


Rt. Honble. J: H: Frere,

Roydon.

John J. Lawrence
Grand Rapids, Mich.

~~Grad R. R. I~~

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
J. DIDOT, l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont-de-Lodi, n° 6.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ PÈRE ET FILS, imp. lib. rue Saint-Louis, n° 46. au Marais; et rue de Richelieu, n° 47.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
J. RENOUARD, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard des Italiens, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Haute-Feuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

C. SUETONII
TRANQUILLI
QUÆ EXSTANT
OMNIA OPERA

EXCUDEBAT JULIUS DIDOT

NATU MAJOR

REGIS TYPOGRAPHUS

C. SUETONII

TRANQUILLI

DUODECIM CÆSARES

ET MINORA QUÆ SUPERSUNT OPERA

BAUMGARTENII-CRUSII COMMENTARIO

EXCURSIBUS ERNESTII ET ANNOTATIONIBUS
VARIORUM NOVISQUE ILLUSTRAVIT

CAR. BENEDICT. HASE

ACADEMIÆ LITT. ET INSCRIPTT. INSTIT. FRANC. SOCIUS

VOLUMEN POSTERIUS

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE


POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVIII

CALIGULA.



CALIGULA.



Laguiche del. et direx. Sixdeniers sculp.

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

C. SUETONII TRANQUILLI

CAIUS CALIGULA.

Cap. I. Germanicus, C. Cæsaris pater, Drusi et[1] minoris Antoniæ filius, a[2] Tiberio patruo adoptatus, quæsturam quinquennio[3] ante, quam per leges liceret, et post eam consulatum[4] statim gessit : missusque[5] ad exercitum in Germaniam, excessu Augusti nunciato, legiones universas, Imperatorem Tiberium pertinacissime recusantes, et sibi summam Reipublicæ deferentes, incertum, constantia an pietate majore, compescuit[6]; atque, hoste

I. 1. *Et minoris Antoniæ*. Conf. Plutarch. Anton. 87. Pro *minoris*, alii *junioris*, quod glossam recte judicat Oudendorp.

2. *A Tiberio.... adoptatus*. Vide Tiber. cap. 15. Factum ann. 757; Dio, LV, 13.

3. *Quinquennio ante;* natus annos viginti et quod excurrit. Quæstor enim fuit ann. 760, auctore Dion. LV, 31, quum vitam iniisset ann. 739. Annus autem quæsturæ legitimus inde ab Augusti temporibus erat ætatis vigesimus quintus, ut patet e Dion. LII, 20, et docet Lips. in Excurs. ad Tacit. Annal. III, 29.

4. *Consulatum statim gessit;* id est, prætermissa ædilitate et prætura, a quæstura statim ad consulatum transiit, non eodem anno, sed quinquennio post, ann. 765. Dio, LVI, 26.

5. *Missusque:.... in Germaniam*. Multa omittit auctor, ad rem, quam agit, festinans, ut expeditionem Pannonicam ann. 760, de qua Dio, LV, 31 seq. Vell. II, 116, et res prius in Germania gestas, in quam missus jam fuerat ann. 762, auctore Dion. LVI, 25. Denuo id factum ann. 766. Vell. II, 123, « Cæsar Augustus, quum Germanicum nepotem suum, reliqua belli patraturum, misisset in Germaniam, etc.» Præfuit ibi octo legionibus. Tacit. Annal. I, 3, « Germanicum, Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus imposuit. »

6. *Legiones universas..... compescuit*. Vide supra, Tiber. 25; Tacit. I, 31 seq.

mox devicto[7], triumphavit. Consul deinde iterum[8] creatus, ac prius quam honorem iniret, ad componendum Orientis statum expulsus, quum Armeniæ regem[9] devicisset, Cappadociam in provinciæ formam redegisset, annum ætatis agens quartum et tricesimum diutino morbo

7. *Hoste mox devicto*. Cf. Tacit. Annal. I, 50 seq. — *Triumphavit;* ann. 770. Tacit. Annal. II, 41 : « C. Cæcilio, L. Pomponio Coss. Germanicus Cæsar a. d. VII Kal. Junias triumphavit de Cheruscis Cattisque et Angrivariis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt; vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, præliorum : bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur, etc. » Cf. Vell. II, 129; Strabo, VII, 1, § 3 et 4.

8. *Consul... iterum creatus;* ann. 771. Tacit. Annal. II, 53 : « Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum Consules habuit : sed eum honorem Germanicus iniit apud urbem Achaiæ Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso, in Dalmatia agente. » — *Ac prius.... expulsus.* Tacit. Annal. II, 5 : « Ceterum Tiberio haud ingratum accidit, turbari res Orientis; ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, novisque provinciis impositum, dolo simul et casibus objectaret. » Missus est Germanicus ann. 770, statim post triumphum. Tacit. Annal. II, 43, « Tunc decreto Patrum permissæ Germanico provinciæ, quæ mari dividuntur, majusque imperium, quoquo adisset, quam his, qui sorte aut missu Principis obtinerent. »

9. *Quum Armeniæ regem devicisset;* ann. 771. Tacit. Annal. II, 56 : « Armenii regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone; sed favor nationis inclinabat in Zenonem, Polemonis regis Pontici filium, quod is prima ab infantia instituta et cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, et quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata, approbantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne regium capiti ejus imposuit. Ceteri venerantes regem, Artaxiam consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. » Et cap. 58, « Vonones Pompeiopolim, Ciliciæ maritimam urbem, amotus est. » Lips. igitur ad Tacit. Annal. II, 56, vel *dejecisset* apud Nostrum legi jubet, vel, quod potius censet, et plerisque probavit, *dedisset*. Puto, Suetonium errasse, vel alium fontem secutum. Fortasse etiam Germanicus Armeniis in amovendo Vonone armis opem præstiterat, ut uterque scriptor possit conciliari. Ita fere vulgatam defendit etiam Mullerus, Observ. pag. 14. — *Cappadociam... redegisset;* perducto Romam rege Archelao. Cf. ad Tiber. 37; Tacit. Annal. II, 42 et 56, ubi, « At Cappadoces, in formam provinciæ redacti, Q. Veranium Legatum accepere : et quædam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur. » Dio, LVII,

Antiochiæ[10] obiit, non sine veneni suspicione. Nam præter livores, qui toto corpore erant, et spumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est: cujus ea natura existimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat.

II. Obiit autem, ut opinio fuit, fraude Tiberii, ministerio et opera Cn. Pisonis[1]: qui sub idem tempus Syriæ præpositus[2], nec dissimulans, offendendum sibi aut patrem, aut filium, quasi plane ita necesse esset, etiam ægrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit: propter quæ, ut Romam rediit, pæne discerptus a populo, a Senatu capitis damnatus est[3].

III. Omnes Germanico corporis animique virtutes, et quantas nemini cuiquam, contigisse, satis constat[1]: formam et fortitudinem egregiam, ingenium in[2] utroque elo-

17; Strabo, XII, 1, 4. Ann. 771.

10. *Obiit;* ann. 772, natus ann. 739. Cf. Tacit. Annal. II, 69—72, et notata supra ad Tiber. cap. 52. — *Cor.... cujus ea natura existimatur, ut.... igne confici nequeat.* Plin. Hist. Nat. XI, 71: « Negatur cor cremari posse in iis, qui cardiaco morbo obierint; negatur et veneno interemtis. Certe exstat oratio Vitellii, qua reum Pisonem ejus sceleris coarguit, hoc usus argumento, palamque testatus, non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari. Contra genere morbi defensus est Piso. »

II. 1. *Ministerio et opera Cn. Pisonis.* Tacit. Annal. II, 69 seq. Cf. ad Tiber. 52.

2. *Syriæ præpositus;* ann. 770. Tacit. Ann. II, 43, « Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum, per affinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum ejus, pacta erat; præfeceratque Cn. Pisonem, ingenio violentum et obsequii ignarum, etc. »

3. *Capitis damnatus est.* Tacit. Annal. III, 10—15; Sueton. Tiber. l. c. Dio, LVII, 18.

III. 1. *Omnes Germanico.... virtutes... contigisse, satis constat.* Vide Tacit. Annal. II, 13 et 73, ubi, « Et erant, qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent, etc. » Dio, LVII, 18. Unus Velleius, ait Casaub., per adulationem Principis turpissimam ausus laudato ab omnibus juveni ignaviæ maculam aspergere.

2. *In utroque.... genere;* Græco

quentiæ doctrinæque genere præcellens, benevolentiam singularem, conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum et efficax studium. Formæ minus congruebat gracilitas crurum, sed ea quoque paulatim repleta, assidua equi vectatione post cibum. Hostem cominus sæpe percussit. Oravit causas[3] etiam triumphalis; atque inter cetera studiorum monumenta reliquit et comœdias Græcas. Domi forisque civilis: libera ac fœderata oppida sine lictoribus[4] adibat. Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias Manibus dabat. Cæsorum clade Variana veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, colligere sua manu, et comportare primus aggressus est[5]. Obtrectatoribus etiam, qualescunque et quantacunque de causa nactus esset, lenis adeo et innoxius, ut Pisoni, decreta sua rescindenti, clientelas divexanti[6], non prius succensere in animum induxerit, quam

et Latino. Vide ad Tiber. cap. 70.

3. *Oravit causas*, etc. Cf. Dio, LVI, 26. Ovid. Fast. I, 21:

Quæ sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis quum tulit arma reis.

Patet autem, *triumphalem* dici ob ornamenta triumphalia prius accepta, quum statim post legitimum triumphum in Orientem profectus fuerit.

4. *Sine lictoribus*. Athenis uno lictore usus est. Tacit. Annal. II, 53, « Hinc ventum Athenas, fœderique sociæ et vetustæ urbis datum, ut uno lictore uteretur, » ubi vide Lips.

5. *Cæsorum.... reliquias.... et comportare primus aggressus est;* ann. 768. Tacit. I, 62: « Romanus exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente, alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes, ut conjunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul et infensi condebant. Primum exstruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos, et præsentibus doloris socius. Quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine cæsorum insepultorumque tardatum ad prælia et formidolosiorem hostium credebat. »

6. *Divexanti*. Recepimus pro *diu vexanti* emendationem, quæ Lipsio, Torrentio, Salmasio, in mentem venit, probatam etiam Wolfio. Infra Ner. 34, « neque in *divexanda* quicquam pensi habuit. » Decreta rescissa a Pisone narrat Tac. Ann. II, 69: « At Germanicus, Ægypto remeans, cuncta, quæ apud legio-

veneficiis quoque et devotionibus[7] impugnari se compererisset: ac ne tunc quidem ultra progressus, quam ut et amicitiam ei more majorum renunciaret[8], mandaretque domesticis ultionem[9], si quid sibi accideret.

IV. Quarum virtutum fructum uberrimum tulit, sic probatus et dilectus a suis, ut Augustus (omitto enim necessitudines reliquas), diu cunctatus, an sibi successorem destinaret[1], adoptandum Tiberio dederit: sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet, præ turba occurrentium prose-

nes aut urbes jusserat, abolita, vel in contrarium versa cognoscit. »

7. *Non prius.... quam veneficiis quoque et devotionibus*, etc. Tacit. loc. cit. « reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina et devotiones, et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infernis sacrari. » Conf. ad Tiber. cap. 52.

8. *Quam ut et amicitiam ei.... renunciaret*. Tacit. Annal. cap. 70, « componit epistolas, quis amicitiam ei renunciabat, » ad quem loc. vide Excurs. Lipsii. *Et* ante *amicitiam* abest in Codice, cujus collatio est in manibus Mulleri.

9. *Mandaretque domesticis ultionem*. Oratio est apud Tac. Ann. cap. 71, qui addit: « Juravere amici, dextram morientis contingentes, spiritum ante, quam ultionem, amissuros. » — *Si quid sibi accideret; εἴ τι πάθοι*, per euphemismum. Ernestius dicendum fuisse censet *accidisset*. Ita actio ulciscentium respiceretur, cui sane post mortem demum Germanici locus. Sed verba h. l. referuntur ipsius Germanici, mortem suam ut rem futuram et adhuc incertam cogitantis. *Accideret* igitur optativus est aoristi. Ita cap. 24, « quod *spe* occupandi Urbem, si quid sibi per tempestates *accideret*, remansisset. » Auctor imperfecto usus est, quoniam retulit ad *spem*, scripturus *accidisset*, si retulisset ad *occupandi Urbem*. Non minore injuria Ernest. infra, cap. 29, damnat « cui tam diu non *prodesset* elleborum, » rectam Latinitatem postulare dicens *profuisset*. Immo, continuus usus ellebori neque eodem illo tempore intermissus, antea tamen et adhuc sine fructu, imperfecto optime significatur.

IV. 1. *Ut Augustus..... an sibi successorem destinaret*, etc. Tacit. Annal. IV, 57: « Dubitaverat Augustus, Germanicum, sororis nepotem, et cunctis laudatum, rei Romanæ imponere; sed precibus uxoris evictus, Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit. » — *Adoptandum Tiberio dederit*. Conf. Tiber. 15.

quentiumve nonnunquam eum discrimen vitæ adisse: e Germania vero, post compressam seditionem, revertenti, prætorianas cohortes universas prodisse obviam, quamvis pronunciatum esset, ut duæ tantummodo exirent; populi autem Romani sexum, ætatem, ordinem omnem usque ad vicesimum lapidem effudisse se.

V. Tamen longe majora et firmiora de eo judicia in morte ac post mortem exstitere. Quo defunctus est die, lapidata[1] sunt templa, subversæ Deum aræ, Lares a quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expositi. Quin et barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque adversus nos bellum esset, velut in domestico communique mœrore, consensisse ad inducias: regulos quosdam barbam posuisse[2], et uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus: regum etiam regem[3] et exercitatione venandi, et convictu Megistanum[4] abstinuisse, quod apud Parthos justitii instar est.

VI. Romæ quidem, quum ad primam famam valetudinis attonita et mœsta civitas sequentes nuncios opperiretur, et repente jam vesperi incertis auctoribus convaluisse tandem percrebruisset[1], passim cum luminibus et

V. 1. *Lapidata;* lapidibus percussa. De hujus verbi usu vide quæ notavit Duker. ad Flor. I, 22, 2.

2. *Regulos.... barbam posuisse.* Barbam ponere in luctu et capillos radere, gentibus Orientalibus erat solenne. Copiose de hoc more egerunt Kirchmann. de Funer. Rom. II, 14, et Geierus, de Ebræorum Luctu, cap. 8, § 5, nostri loci haud obliti.

3. *Regum etiam regem*, id est, Parthorum regem, τὸν βασιλέα, τὸν μέγαν βασιλέα. Plutarcho, Lucull. 14, Tigranes etiam, Armeniæ rex, ob maximam potentiam βασιλεὺς βασιλέων dicitur. Idem, Pompei. 38, hunc ducem dedignatum narrat, in literis τὸν Πάρθον βασιλέα βασιλέων προσαγορεῦσαι.

4. *Megistanum*, procerum. Tacit. Annal. XV, 27, *Megistanas Armenios* memorat. Senec. Ep. XXI, *Megistanas* et *Satrapas* conjungit. In Sacris Literis idem voc. ter recurrit: Marc. 6, 21; Apoc. 6, 15, et cap. 18, 23. Respondet Latinis *optimates*, *magnates*.

VI. 1. *Et.... convaluisse tandem percrebruisset*, etc. Vide Taciti locum, Annal. II, 82, subjectum ad Tiber. cap. 52.

victimis in Capitolium concursum est, ac pæne revulsæ templi fores, ne quid gestientes vota reddere morarentur[2]. Expergefactus e somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque undique concinentium, « Salva [3]Roma, salva patria, salvus est Germanicus! » Sed ut demum, fato functum, palam factum est, non solatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit, duravitque etiam per festos Decembris mensis dies[4]. Auxit gloriam desideriumque defuncti etiam atrocitas insequentium temporum, cunctis nec temere opinantibus, reverentia ejus ac metu repressam Tiberii sævitiam[5], quæ mox eruperit.

VII. Habuit in matrimonio Agrippinam, M. Agrippæ et Juliæ filiam, et ex ea novem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti, unus jam puerascens, insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris[1] Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunque introiret, exosculabatur. Ceteri superstites patri fuerunt. Tres sexus feminini, Agrippina, Drusilla, Livilla, continuo triennio natæ: totidem mares, Nero et Drusus et C. Cæsar. Neronem et Drusum[2] Senatus, Tiberio criminante, hostes judicavit.

2. *Ne quid gestientes... morarentur.* Optimam eam recepimus cum Burmann. Oudendorp. Ernest. lectionem. Vulg. *moraretur.* Sensus: ne fores se vota reddere gestientes *quid* (id est, τι, aliquo modo vel aliquod momentum) *morarentur*, detinerent.

3. *Salva Roma*, etc. Versus trochaicus tetrameter catalecticus.

4. *Per festos Decembris mensis dies*: Saturnalia.

5. *Reverentia ejus.... repressam Tiberii sævitiam.* Conf. Dio, LVII, 19. Tacit. Annal. VI, 51: « morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. »

VII. 1. *In æde Capitolinæ Veneris.* Commemoratur etiam infra, Galb. cap. 18. Vide Nardin. Rom. Vet. V, 16, qui, utrum eadem atque *Erycinæ Veneris* ædes fuerit, an *Calvæ*, an et alterius, incertum se fatetur.

2. *Neronem et Drusum*, etc. Cf. Tiber. 54.

VIII. C. Cæsar natus est pridie Kalendas [1] Septembres, patre suo et C. Fonteio Capitone Consulibus. Ubi natus sit, incertum diversitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gætulicus [2] Tiburi genitum scribit; Plinius Secundus in Treveris, vico Ambiatino [3], supra Confluentes: addit etiam pro argumento, aras ibi ostendi, inscriptas, OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM. Versiculi, imperante mox eo divulgati, apud hibernas legiones procreatum indicant:

In castris natus, patriis nutritus in armis,
Jam designati Principis omen erat.

Ego in actis, Antii editum, invenio. Gætulicum refellit Plinius, quasi mentitum per adulationem, ut ad laudes juvenis gloriosique Principis aliquid etiam ex Urbe Herculi sacra [4] sumeret: abusumque audentius mendacio, quod ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus et ipse C. Cæsar; de cujus amabili pueritia immaturoque obitu supra diximus. Plinium arguit ratio temporum. Nam qui res Augusti memoriæ mandarunt,

VIII. 1. *Pridie Kalendas Septembres.* Consentit Dio, LIX, 7, τὴν τελευταίαν τοῦ Αὐγούστου natalem ejus dicens. Annus fuit 765.

2. *Cn. Lentulus Gætulicus.* Distinguendum Gætulicum a Lentulo Augure, de quo dictum ad Tiber. 49, ac duos fuisse Gætulicos, patrem, cujus mortem refert Tacit. Annal. IV, 44, ad ann. 778, et filium, de quo hic sermo, historiis carminibusque æque celebrem, Consulem ann. 779, interfectum a Caligula ann. 792 ob conjurationem (vide Dion. LIX, 22, et Nostr. Claud. 9), docet Lips. ad Tacit. Annal. l. c. ubi scriptores, qui eum memoravere, citavit.

3. *Vico Ambiatino.* De orthographia nominis (scribitur enim varie) locique situ, vide Cellar. Geogr. Ant. II, 3, pag. 321 seq. coll. Mann. Geogr. Græc. et Rom. vol. II, p. 185 seq. — *Confluentes* sunt Mosellæ et Rheni, hodie *Coblentz*. Ceterum, Plinii sententiam confirmat Tacit. I, 41, « infans *in castris* genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, etc.» Pro Tacito pugnat Lipsius, in Excursu ad locum citatum; pro Suetonio Ernestius ad nostrum. Arbiter hodie nemo fuerit, nec refert tam accurate scire natale solum monstri. Optime tamen Oudend. disputat in nota 6 ad hoc caput, qua Suetonii argumenta confirmat.

4. *Ex urbe Herculi sacra.* Vide ad August. 72.

Germanicum exacto consulatu in Galliam missum, consentiunt, jam nato Caio. Nec Plinii opinionem inscriptio aræ quicquam adjuverit, quum Agrippina bis in ea regione filias enixa sit, et qualiscunque partus, sine ullo sexus discrimine, *puerperium*[5] vocetur; quod antiqui etiam puellas *pueras*, sicut et pueros *puellos* dictitarent. Exstat et Augusti epistola, ante paucos, quam obiret, menses ad Agrippinam neptem ita scripta de Caio hoc (neque enim quisquam jam alius infans nomine pari tunc supererat): « Puerum Caium quintodecimo Kalendas Junii, si Dii volent, ut ducerent Talarius et Asellius, heri cum his constitui. Mitto præterea cum eo ex servis meis medicum, quem, scripsi Germanico, si vellet, ut retineret. Valebis, mea Agrippina, et dabis operam, ut valens pervenias ad Germanicum tuum. » Abunde arbitror parere, non potuisse ibi nasci Caium, quo prope bimulus demum perductus ab Urbe sit. Versiculorum quoque fidem eadem hæc elevant; et eo facilius, quod hi sine auctore sunt. Sequenda est igitur, quæ sola [actorum] restat [et] publici instrumenti auctoritas[6]: præsertim quum Caius Antium, omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliter, quam natale solum, dilexerit; tradaturque etiam, sedem ac domicilium imperii tædio Urbis transferre eo destinasse.

IX. Caligulæ cognomen[1] castrensi joco traxit, quia

5. *Puerperium*. Priscian. lib. VI: « *Pueri* femininum *pueram* dicebant antiquissimi, unde et *puerpera*, quæ *puerum* vel *pueram* parit. » Idem docet voc. *puella*, id est, *puerula*.

6. *Quæ sola* [*actorum*] *restat* [*et*] *publici instrumenti auctoritas*. Cum Casaubono, Grævio et Oudendorp. *actorum* in textum venisse putamus ex interpretatione *publici instrumenti*, quod patet etiam ex vitiosa in omnibus libris scriptione. Recepto vocab. *actorum*, addidit aliquis *et* ante *publici instrumenti*. Wolfius utrumque omisit. Nisi sequeretur *auctoritas*, suaderem, *Sequenda est igitur auctori*, *quæ sola*, etc.

IX. 1. *Caligulæ cognomen*, etc.

manipulario habitu inter milites educabatur. Apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore et gratia valuerit, maxime cognitum est, quum post excessum Augusti tumultuantes, et in furorem usque præcipites, solus haud dubie conspectu suo flexit. Non enim prius destiterunt, quam ablegari eum ob seditionis periculum, et in proximam civitatem demandari[2], animadvertissent. Tunc demum ad pœnitentiam versi, reprenso ac retento vehiculo, invidiam, quæ sibi fieret, deprecati sunt[3].

X. Comitatus est patrem et Syriaca expeditione. Unde reversus primum in matris, deinde, ea relegata, in Liviæ Augustæ proaviæ suæ contubernio mansit: quam defunctam prætextatus etiam tum[1] pro Rostris laudavit: transiitque ad Antoniam aviam, et unetvicesimo[2] ætatis anno, accitus Capreas a Tiberio, uno atque eodem die togam

Tacit. Annal. I, 41: « Militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. » Cf. Dio, LVII, 5; Aur. Vict. cap. 3, et Cæs. 3; Senec. de Constant. Sap. 18. De hoc calciamenti genere vide Nigronum, de Caliga, c. 4; Balduin. Calceum Antiquum, cap. 13; Ruben. de Re Vestiaria, II, 1.

2. *Et in proximam civitatem demandari;* in Treveros. Conf. Tacit. Annal. I, 40 seq. Dio, l. c.

3. *Reprenso..... vehiculo, invidiam.... deprecati sunt.* Tacitus: « Sed nihil æque flexit, quam invidia in Treveros; orant, obsistunt, rediret, maneret, pars Agrippinæ occursantes, plurimi ad Germanicum regressi. » *Invidia fiebat* militibus, quod apud Treveros tutius mansuros dux judicaverat suos, quam in illorum castris.

X. 1. *Prætextatus etiam tum;* annos natus 16, quum lucem vidisset ann. 765, Livia obiret ann. 782. Vide Tiber. 51. — *Pro Rostris laudavit.* Tacit. Annal. V, 1, « Laudata est pro Rostris a C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est. »

2. *Unetvicesimo.* Recepimus Oudendorpii emendationem, jubente etiam Wolfio. Vulgo *undevicesimo* et *inde vicesimo*. Sed Tacit. Annal. VI, 20, ad ann. 786, ætatis Caii unetvicesimum, « Sub idem tempus C. Cæsar, discedenti Capreas avo comes, M. Silani filiam, conjugio accepit. » Id autem factum, auctore Nostro, cap. 12, *non ita multo post* sumtam togam. Alias dixisset *insequenti anno*.

sumsit, barbamque posuit[3], sine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum ejus. Hic omnibus insidiis tentatus elicientium cogentiumque se ad querelas[4], nullam unquam occasionem dedit, perinde obliterato suorum casu[5], ac si nihil cuiquam accidisset: quæ vero ipse pateretur, incredibili dissimulatione transmittens[6]; tantique in avum, et qui juxta erant, obsequii, ut non immerito sit dictum, « nec servum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse[7]. »

XI. Naturam tamen sævam atque probrosam[1] nec tunc quidem inhibere poterat, quin et animadversionibus pœnisque ad supplicium datorum cupidissime interesset, et ganeas atque adulteria, capillamento celatus[2] et veste longa, noctibus obiret, ac scenicas saltandi canendique artes studiosissime appeteret; facile id sane Tiberio patiente, si per has mansuefieri posset ferum ejus inge-

3. *Barbamque posuit;* quæ initæ virilis ætatis solennitas festo celebrari solebat. Vide Rupert. ad Juvenal. III, 186. — *Qualis contigerat tirocinio fratrum ejus.* Conf. ad Tiber. cap. 54.

4. *Elicientium.... querelas;* id est, elicientium querelas, et cogentium se ad querelas. In utroque verbo est conatus sine effectu.

5. *Perinde obliterato suorum casu,* etc. Tacit. Ann. VI, 20, « immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exsilio fratrum rupta voce; qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis; » ubi conjicio legendum, « *qualem* scil. habitum *in diem* (καθ' ἡμέραν) Tiberius induisset, pari habitu. »

6. *Incredibili dissimulatione transmittens.* Tacit. Annal. VI, 45: « Nam, etsi commotus ingenio, simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat. »

7. *Nec servum meliorem.... nec deteriorem dominum fuisse.* Montesquieu, *Grandeur et Décadence,* etc. cap. XV, ubi dictum retulit, « ces deux choses sont assez liées; « car la même disposition d'esprit « qui fait qu'on a été vivement frap- « pé de la puissance illimitée de ce- « lui qui commande, fait qu'on ne « l'est pas moins, lorsque l'on vient « à commander soi-même. »

XI. 1. *Sævam atque probrosam; sævam,* quod suppliciis interesse, *probrosam,* quod ganeas atque adulteria obire solebat.

2. *Capillamento celatus. Capillamentum,* apposititia coma, quali mulieres uti solent.

nium, quod[3] sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, ut aliquoties prædicaret, « exitio suo omniumque Caium vivere: » et, « se natricem [serpentis id [4]genus] populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare. »

XII. Non ita multo post Juniam Claudillam, M. Silani nobilissimi viri filiam, duxit uxorem[1]. Deinde Augur in locum fratris sui Drusi[2] destinatus, prius quam inaugurarетur, ad pontificatum traductus est[3]: insigni testimonio[4] pietatis atque indolis, quum, deserta desolataque reliquis subsidiis[5] aula, Sejano hoste tunc suspecto, mox et oppresso, ad spem successionis paulatim admoveretur. Quam quo magis confirmaret, amissa Junia [6]ex partu,

3. *Quod sagacissimus senex ita... perspexerat*, etc. Conf. Dio, LVIII, 23. Nepotem etiam suum e Druso, Tiberium, a Caio interemtum iri, perspexerat Tiberius, auctore eodem Dione, cap. cit. Tacit. Annal. VI, 46: « Et C. Cæsari, forte orto sermone, L. Sullam irridenti, *omnia Sullæ vitia, et nullam ejusdem virtutem habiturum*, prædixit. Simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu, *Occides hunc tu*, inquit, *et te alius.* »

4. *Serpentis id genus.* Manifestum glossema, uti jam alii judicarunt. Uncis inclusimus.

XII. 1. *Juniam Claudillam.... duxit uxorem;* ann. 786. Tac. Annal. VI, 20, « Sub idem tempus C. Cæsar, discedenti Capreas avo comes, Claudiam, M. Silani filiam, conjugio accepit. » Dio, LVIII, 25, ad ann. 788 refert.

2. *In locum fratris... Drusi*, qui periit ann. 786. Conf. ad Tiber. cap. 54.

3. *Ad pontificatum traductus est.* Si Dioni fides. LVIII, 8, biennio ante, ann. 784. Certum quidem est, Suetonium nimio brevitatis studio tempora paulum miscuisse. Nam pontificatum Caii ad ann. 784 pertinere, docent præter Dionem verba *Sejano hoste... oppresso.* Constat enim, Sejanum obiisse ann. 784. Sed quum Augurem factum narrasset Caium, subjungit statim auctor, pontificatus mentionem, quamquam biennio ante in illum collati. Vide Baumgart.

4. *Insigni testimonio*, scil. a Tiberio de pietate Caii erga se atque indole lato.

5. *Reliquis subsidiis;* mortuis Germanico et Druso, filio Tiberii, sublatis fratribus Caii, Druso et Nerone.

6. *Amissa Junia ex partu.* Dio, LIX, 8, ad ann. 790, *τὴν θυγατέρα τοῦ Σιλανοῦ ἐκβαλόντα* ad Orestillæ, de qua vide cap. 25, nuptias eum processisse dicit. Cum Nostro consentit Tacit. Annal. VI, 45, mortem Juniæ Claudiæ ad ann. 789 referens.

Enniam Næviam, Macronis uxorem[7], qui tum prætorianis cohortibus præerat, sollicitavit ad stuprum, pollicitus et matrimonium suum, si potitus imperio fuisset: deque ea re et jurejurando, et chirographo cavit. Per hanc insinuatus Macroni, veneno Tiberium aggressus est[8], ut quidam opinantur: spirantique adhuc detrahi anulum, et, quoniam suspicionem retinentis dabat, pulvinum jussit injici, atque etiam fauces manu sua oppressit, liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamaverat, confestim in crucem acto. Nec abhorret a veritate, quum sint quidam auctores, ipsum postea, etsi non de perfecto, at certe de cogitato quondam parricidio, professum. Gloriatum enim esse assidue, in commemoranda sua pietate, « ad ulciscendam necem matris et fratrum introisse se cum pugione cubiculum Tiberii dormientis, et[9] misericordia correptum, abjecto ferro recessisse: nec illum, quamquam sensisset, aut inquirere quicquam, aut exsequi ausum. »

XIII. Sic imperium adeptus, populum Romanum, vel dicam hominum genus, voti compotem[1] fecit, exoptatissimus Princeps maximæ parti provincialium ac militum, quod infantem plerique cognoverant; sed et universæ

7. *Enniam Næviam, Macronis uxorem*, etc. Nævius Sertorius Macro (ita enim appellatur Dioni, LVIII, 9) præcipuam Tiberio operam præstiterat in opprimendo Sejano, cui successit in cohortium prætorianarum præfectura; *Sejano deterior*, ut Arruntius apud Tacit. Annal. VI, 48, postea a Caio ad mortem adactus: vide infra ad cap. 26. Caii cum uxore ejus consuetudinem Tacitus, Annal. VI, 45, ita narrat: « nimia jam potentia Macronis, qui gratiam C. Cæsaris, nunquam sibi neglectam, acrius in dies fovebat, impuleratque, post mortem Claudiæ, quam nuptam ei retuli, uxorem suam Enniam, immittendo amore juvenem illicere, pactoque matrimonii vincire, nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur. » Vide Dion. LVIII, 28.

8. *Veneno Tiberium aggressus est.* Vide Tiber. 73. Mox, pro *retinentis*, Reines. ad marginem edit. Casaub. conjecit *renitentis*.

9. *Et misericordia.* Alii suasere *sed*, Mullerus *at*.

XIII. 1. *Voti compotem.* Grammatice quidem refertur hoc ad *po-*

plebi urbanæ ob memoriam Germanici patris, miserationemque prope afflictæ domus[2]. Itaque ut a Miseno[3] movit, quamvis lugentis habitu, et funus Tiberii prosequens, tamen inter altaria et victimas, ardentesque tedas[4], densissimo et lætissimo obviorum agmine incessit, super fausta omina[5] *sidus* et *pullum* et *puppum* et *alumnum*[6] appellantium.

XIV. Ingressoque Urbem, statim consensu Senatus et irrumpentis in Curiam turbæ, irrita Tiberii[1] voluntate, qui testamento alterum nepotem suum, prætextatum adhuc, coheredem ei dederat, jus arbitriumque omnium rerum illi permissum est, tanta publica lætitia, ut tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia victimarum cæsa tradantur. Quum deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas[2] trajecis-

pulum Romanum; at simul complectitur *genus hominum;* de quo zeugmate vide Periz. ad Sanctium, pag. 712.

2. *Prope afflictæ domus,* tot cladibus fere dejectæ.

3. *A Miseno;* ubi obierat Tiberius. Vide Tiber. 72 et 75. — *Lugentis habitu;* forte ut a se veneni Tiberio dati suspicionem averteret.

4. *Inter altaria.... ardentesque tedas.* Vide Lipsium ad Tacit. Hist. II, 70, et Casaub. ad hunc loc.

5. *Omina.* Ita dedimus cum Gronov. Burmann. Wolfio. Vulg. *nomina.* Josephus ἐπιβοήσεις εὐφήμους dicit, et Noster *super* i. e. præter faustas alias acclamationes sive omina, blanda ei nomina data refert. Supra, August. 57, « Revertentem ex provincia non solum *faustis ominibus*, sed et modulatis carminibus prosequebantur. »

6. *Alumnum.* Ipse se υἱὸν καὶ τρόφιμον Senatorum ferebat. Dio, LIX, 6.

XIV. 1. *Irrita Tiberii voluntate;* de qua vide Tib. 76. Cf. Dio, LIX, 1.—*Coheredem imperii* juvenem Tiberium constitutum fuisse, præter Dionem docent etiam Xiphilin. Josephus et Philo, quod et ex verbis Nostri patet, quibus « jus arbitriumque omnium rerum *Caio* permissum » refert. Frustra difficultates quæsivit Casaubonus, ubi nullæ sunt.

2. *In proximas Campaniæ insulas.* Alterum ejus iter in Campaniam ad ann. 792 refert Dio, LIX, 13. Mox *in testificanda sollicitudine* est, « ubi sollicitudinem testificari posset, vel, ubi id ageret, ut sollicitudinem testificaretur, » ne quis nove dictum censeat cum Ernestio pro *testificandæ sollicitudinis.* Utrumque enim, prouti sententiam capias, æque bene dicitur. Muller.

set, vota pro reditu suscepta sunt; ne minimam quidem occasionem quoquam omittente in testificanda sollicitudine et cura de incolumitate ejus. Ut vero in adversam valetudinem incidit[3], pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt, qui, depugnaturos se[4] armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito voverent. Accessit ad immensum civium amorem notabilis etiam externorum favor. Namque Artabanus[5], Parthorum rex, odium semper contemtumque Tiberii præ se ferens, amicitiam ejus ultro petiit; venitque ad colloquium legati consularis, et transgressus Euphratem, aquilas et signa Romana, Cæsarumque imagines adoravit.

XV. Incendebat[1] et ipse studia hominum omni genere popularitatis. Tiberio cum plurimis lacrimis pro concione laudato, funeratoque amplissime, confestim Pandateriam et Pontias, ad transferendos matris fratrisque [2]cineres,

nimis arctis finibus circumscribit auctoris sententiam, subaudiens *vota suscipiendi* post *occasionem*.

3. *Ut... in adversam valetudinem incidit;* octavo imperii mense per intemperantiam, ut narrat Philo, pag. 769. Cf. Dio, LIX, 8.

4. *Qui, depugnaturos se*, etc. Vide cap. 27. In sua capita deflectere se putabant Deorum iram destinatamque alicui mortem, qui pro salute ejus ita se devovebant. Apte Casaub. comparat Neron. 36. Eadem sententia veterum frequentibus pro patria devotionibus causa fuit. Postea *titulo proposito* est, « formula devotionis in tabula publice proposita. »

5. *Namque Artabanus*, etc. Vide Tiber. 66. Coactum a L. Vitellio, Syriæ præposito, Artabanum tanta verecundia Caium prosecutum esse, ad ann. 793 narrat Dio, LIX, 27, quocum consentit Noster, in Vitell. 2, ubi vide. Quum tamen h. l. *ultro* ad colloquium venisse regem, dicat, idque primo imperii Caligulæ anno, mutasse postea de hoc Cæsare Artabanus videtur sententiam, fortasse offensus contumelia Darii Arsacidæ, qui obses Romæ erat, de qua vide infra cap. 19, sed ad pristinum officium revocatus a Vitellio. Suetonium certe eamdem rem duobus locis ita sui immemorem tradidisse, vix credibile est. Diversa in Excursu ad h. l. disputat Ernest. parum probabilia.

XV. 1. *Incendebat.* MS. cujus collationem commodavit mihi Mullerus, habet *Intendebat*, quod probat vir ille doctissimus loco Tiber. 62, « *auxit intenditque* sævitiam. »

2. *Ad transferendos matris fra-*

festinavit, tempestate turbida, quo magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per semet in urnas condidit. Nec minore scena[3] Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo, et inde Romam Tiberi subvectos, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti [4] die duobus ferculis Mausoleo intulit: inferiasque his annua religione publice instituit: et eo amplius matri Circenses, carpentumque[5], quo in pompa traduceretur. At in memoriam patris Septembrem mensem *Germanicum* appellavit. Post hæc Antoniæ aviæ[6], quicquid unquam Livia Augusta honorum cepisset, uno Senatusconsulto congessit. Patruum Claudium, Equitem Romanum ad id tempus, collegam sibi in consulatu assumsit[7]. Fratrem Tiberium[8] die virilis togæ adoptavit, appellavitque *principem juventutis*. De sororibus[9] auctor fuit, ut omnibus sacramentis adjiceretur, NEQUE ME LIBEROSQUE MEOS CARIORES HA-

trisque cineres. Cf. Tiber. 54; Dio, LIX, 3. Accuratior Dione Suetonius *matris fratrisque*, non *fratrumque*, cineres dicit, quorum illa in insula *Pandateria*, hic in *Pontia* perierat (mallem enim h. l. *Pontiam* cum Torrentio scribere, ut Tiber. 54, quod duplici forma idem auctor usus esse non videtur), quum Drusus Romæ in Palatio interfectus fuisset, quamquam credibile est, hujus cineres eodem cum illis honore fuisse conjunctos.

3. *Nec minore scena*, specie, spectaculo: quod ipsum dicimus nos *étalage*, *appareil*.

4. *Ac frequenti die*. Inutilis mutatio est Lipsii et Torrentii *ferventi*, tautologiam etiam auctori inferens pro sententia satis commoda.

5. *Carpentumque;* tensam. Vide Cæs. 76. Omnino de usu carpenti cf. Lips. ad Tacit. Annal. XII, 42.

6. *Post hæc Antoniæ aviæ*, etc. Dio, LIX, 3, ubi vide Fabric. nummos comparantem, in quibus Antonia *Sacerdos Augusti* dicitur, et Inscriptionem apud Gruterum, p. CCXXXVI, 9.

7. *Patruum Claudium... assumsit;* ann. 790. Conf. Dio, LIX, 6. In equestri ordine remanserat hucusque, legitimis honoribus, qui aditum in Curiam darent, a Tiberio exclusus. Vide Claud. 5.

8. *Fratrem Tiberium*, etc. Dio, LIX, 8. Fratrem dicit patruelem.

9. *De sororibus*, etc. Dio, LIX, 3. Recte Casaub. ex eodem Dione, cap. 9, lectionem asserit, quam habet Memmianus, HABEBO, quum alii dent HABEO. Dio enim, προτιμήσουσιν. Atque ita suaserat jam Lips. ad Tacit. Annal. XV, 67.

BEBO, QUAM CAIUM HABEO ET SORORES EJUS; item relationibus Consulum: QUOD BONUM FELIXQUE SIT C. CÆSARI SORORIBUSQUE EJUS. Pari popularitate damnatos relegatosque restituit: criminumque, si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit[10]. Commentarios, ad matris fratrumque suorum causas pertinentes, ne cui postmodum delatori aut testi maneret ullus metus, convectos in Forum, et ante clare obtestatus Deos, neque legisse, neque attigisse quicquam, concremavit[11]. Libellum de salute sua oblatum non recepit, contendens, « nihil sibi admissum, cur cuiquam invisus esset: » negavitque, se delatoribus aures habere.

XVI. Spintrias[1] monstrosarum libidinum, ægre, ne profundo mergeret, exoratus, Urbe summovit. Titi Labieni[2], Cordi Cremutii[3], Cassii Severi[4] scripta, Senatus-

10. *Criminumque..... omnium gratiam fecit.* Majestatis crimina.

11. *Commentarios.... concremavit.* Conf. Dio, LIX, 4 et 6. Postea tamen plures argutos narrat cap. 10, ἐκ τῶν γραμμάτων, ἃ κατακεκαυκέναι ποτὲ ἔφη. Vide et LX, 4, in vita Claudii. Exempla aliorum, qui eadem animi magnitudine, et vera quidem, non ficta, ultionis materiam crematis inimicorum literis sibi præcluserunt, collegit Fabric. ad Dion. XLI, 63.

XVI. 1. *Spintrias.* Vide Tiber. 43, ex quo loco verba *monstrosarum libidinum* repetita arbitratur Ernestius, probante Oudend. At ita glossatorem puto additurum etiam fuisse vocabulum *repertores*, offensum hoc usu genitivi; ac Muller. excidisse etiam censet *inventores*; potius *repertores*. Tiberius qui hos adolescentes vocavit *spintrias*, unde illud vocabulum excogitaverit, nemo interpretatus est, nisi forte quia monstrosis libidinibus ante oculos hircosi et olidi senis repræsentabant *spinteres*, i. e. catenulas tribus symplegmatibus annulorum connexas. Pudeat hic memorare reges et regum vicem gerentes in Borussia et Gallia superiore sæculo celeberrimos. Ed.

2. *Titi Labieni.* De hoc vide Glandorp. Onomast. pag. 514.

3. *Cordi Cremutii.* Vid. Tiber. 61.

4. *Cassii Severi.* De hoc Tacit. Annal. I, 72, « Primus Augustus cognitionem de famosis libellis, specie legis ejus (majestatis), tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat; » et IV, 21, « Relatum et de Cassio Severo exsule, qui, etc. » Historias eum scripsisse, patet e Nostro, Vitell. 2. Plura Lips. ad Tacit. IV, 21, et Glandorp. p. 209.

consultis abolita, requiri, et esse in manibus lectitarique permisit: quando maxime sua interesset, ut facta quæque posteris tradantur. Rationes imperii[5], ab Augusto proponi solitas, sed a Tiberio intermissas, publicavit. Magistratibus liberam jurisdictionem, et sine sui appellatione, concessit[6]. Equites Romanos severe curioseque, nec sine moderatione, recognovit[7]: palam ademto equo, quibus aut probri aliquid aut ignominiæ inesset: eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modo in recitatione præteritis. Ut levior labor judicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit[8]. Tentavit et, comitiorum more revocato, suffragia populo [9]reddere. Legata ex testamento Tiberii, quamquam abolito, sed et Juliæ Augustæ, quod Tiberius suppresserat, cum fide, ac sine calumnia repræsentata persolvit[10]. Ducentesimam auctionum Italiæ remisit[11]. Multis incendiorum damna

5. *Rationes imperii*, etc. Conf. Dio, LIX, 9.

6. *Magistratibus .... concessit;* unde δημοκρατικώτατος initio fuisse dicitur Dion. LIX, 3. De *appellatione ad Principem* vide not. ad August. 33.

7. *Equites .... recognovit.* Conf. ad August. 38.

8. *Quintam decuriam addidit.* Vide ad Aug. 29 et 32: conf. Plin. H. N. XXXIII, 1 (7).

9. *Suffragia populo reddere.* Cf. Dio, LIX, 9. Tiberio enim Cæsare primum, ut Tacit. Annal. I, 15, « e Campo comitia ad Patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant. » Biennio post, ann. 792, jus illud populo Caius denuo eripuit. Vide Dion. LIX, 20.

10. *Legata .... persolvit.* Cf. Dion. LIX, 2, memoratum ad Tiber. fin. De *suppresso* Liviæ testamento vide etiam ad Tiber. 51.

11. *Ducentesimam .... remisit.* Instituerat *centesimam rerum venalium* post bella civilia Augustus, ut militaris ærarii subsidium (Tacit. Annal. I, 78), eamque Tiberius servatam prius, quamvis deprecante populo (Tacit. l. c.), postea, redacta Cappadocia post Archelai regis mortem in provinciam, quo levaretur vectigal, mutaverat in *ducentesimam* ann. 770 (Tacit. A. II, 42). Idem tamen senex ad avaritiam pronior, reduxisse *centesimam* dicitur Dion. LVIII, 16, ann. 784, post mortem Sejani. Jam quum hoc loco nostro omnes libri conspirent in lectione *Ducentesimam*, atque auctor accedat numus

supplevit[12]: ac si quibus regna restituit, adjecit et fructum omnem vectigaliorum, et reditum[13] medii temporis, ut Antiocho Commageno[14] sestertium millies confiscatum. Quoque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ octoginta donavit[1], quod excruciata

a Patino prolatus, C. Cæsaris Consulis III, in quo medio sunt literæ R. CC. hoc est *remissa ducentesima*, jure statuerunt (vide Ryck. ad Tacit. II, 42, et Fabric. ad Dion. LV, 31, et LVIII, 16) viri docti, Caligulam prius ducentesimam pro centesima restituisse, postea et illam abrogasse, de priore illo beneficio intelligentes verba Dionis, LIX, 9, καὶ τὸ τέλος τῆς ἑκατοστῆς κατέλυσε, quibus commoti Turneb. Advers. XXVII, 20, Lips. ad Tacit. II, 42, Casaub. ad h. l. emendaverant in Nostro *Centesimam*. Fortasse etiam Dio hoc loco totum vectigalis genus omnino ἑκατοστῆς nomine designavit. Ceterum, cf. Burmann. de Vectigal. cap. 5, Casauboni tamen correctionem approbantem.

12. *Multis.... supplevit.* Dio, l. c. Ceterum, verbum *supplere* haud simpliciter donationem significare, ut Ernest. ad h. l. contendit, sed eam, qua suppeditato, quod deest, in statum integrum aliquis restituitur, recte docet Walther. Observ. pag. 21, neque potuisset ita a verbi natura recedi.

13. *Et fructum... et reditum*, etc. Veram credo Ernestii sententiam, qui *vectigaliorum fructum* intelligit pecuniam, quæ venit e portoriis, decumis, scriptura, etc. *reditus* eam, quæ e metallis regiis, tributis, etc. atque eodem fere redit Beroaldi interpretatio, quamquam reprehensa ab Ernestio, qua *vectigalia* publicos esse reditus, *reditus* privata vectigalia dicit. Nostris adhuc temporibus distinguimus publicos et privatos regum reditus (*la liste civile et le domaine de la couronne*). Wolfius probat alteram lectionem *redituum*.

14. *Ut Antiocho Commageno;* Antiochi, interfecti ab Augusto (vide Dion. LII, 43) ann. 725, nepoti, et filio Antiochi II, mortui 773, imperante Tiberio (Tacit. Annal. II, 42), a quo in provinciam redacta est Commagene. Restituit igitur Caligula avi patrisque regnum Antiocho III, ann. 790 (Dio, LIX, 8), qui ab eodem ademtum recepit a Claudio (Dio, LX, 8) ann. 794, et ad Vespasiani usque tempora administravit, cui auxilium contra Vitellium tulit (Tacit. Hist. II, 81), Tito etiam in oppugnandis Hierosolymis socius (Tacit. Hist. V, 1). Vide Baumgart. Elementa Hist. Ant. pag. 431 seq. — *Commagenes*, quæ ad Syriam pertinebat, caput erat Samosata. Conf. Strabon. XVI, 2, 3. — *Confiscatum;* nempe *HS. millies*, ne dubites cum Glareano, quo referas, ad *fructum*, an ad *regnum*.

15. *Mulieri.... donavit.* Exstant in Excerpt. Peiresc. verba, quæ Reimar. inseruit Dioni, LIX, 26, ad quem locum Valesius nostrum comparavit. Pertinere sane res ad prima tempora imperii Caligulæ videtur. Pro *octoginta*, al. *octin-*

gravissimis tormentis de scelere patroni reticuisset. Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus[16], quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, Senatu prosequente, nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum ejus canentibus. Decretum autem, ut dies, quo cepisset imperium, *Parilia*[17] vocaretur, velut argumentum rursus conditæ Urbis.

XVII. Consulatus quatuor gessit: primum ex Kalendis Juliis[1] per duos menses; secundum[2] ex Kalendis Januariis per triginta dies; tertium[3] usque in Idus Januarii; quartum[4] usque in septimum Idus easdem. Ex omnibus duos novissimos conjunxit[5]. Tertium autem Lugduni

genta, quæ profecto summa fidem excedit.

16. *Clypeus aureus;* id est, clypeata imago. Macrob. Saturn. I, 3: « Quum in ea provincia, quam Q. Cicero frater rexerat, vidisset *clypeatam imaginem* ejus, ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam, etc. » Vocarunt has imagines et *scuta*.

17. *Parilia;* seu *Palilia*. Primordia Urbis hoc festo (XI Kal. Mai.) celebrabantur. Vide Rosin. Ant. Rom. IV, 8, pag. 266 seq. Ceterum, similis honor Cæsari contigerat, cum solennitate hujus festi conjunctus; Dio, XLIII, 42.

XVII. 1. *Primum ex Kalendis Juliis*, etc. Ann. 790. Iniit hunc consulatum *Kalendis Juliis* (ita enim restituerunt e MSS. Torrentius et Casaub. pro inepto *Januariis*), quoniam in prius semestre acceperant ordinarii Consules, Cn. Acerronius Proculus et C. Pontius Nigrinus, quibus legitimo demum muneris tempore functis alterius semestris initio successit. Cf. Dio, LIX, 6, Ernestii Excurs. ad h. l. et Oudend. not. — *Per duos menses*. Conf. Dio, LIX, 9. Nomina suffectorum in alterum semestre ignoramus.

2. *Secundum*, etc. Ann. 792. Dio, LIX, 13.

3. *Tertium*, etc. Ann. 793. Dio, LIX, 24. Quamquam autem usque in Idus Januar. modo gessit, totus tamen annus ejus nomine designatus est, more illorum temporum solenni, unde Tacit. Agric. 44, « Natus erat Agricola, Caio Cæsare tertium Consule Idib. Juniis. »

4. *Quartum*, etc. Ann. 794, quo periit mense Januario.

5. *Ex omnibus.... conjunxit;* id est, *continuavit*, ut August. 26, vel *junctim gessit*, ut Claud. 14, ubi opponitur *per intervallum*. Patet autem, *tres* novissimos consulatus eum conjunxisse, unde varie mederi conati sunt huic difficultati

iniit solus, non, ut quidam opinantur, superbia negligentiave, sed quod defunctum sub Kalendarum diem collegam rescisse absens non potuerat. Congiarium populo bis dedit trecenos sestertios: toties abundantissimum epulum[6] Senatui equestrique ordini, etiam conjugibus ac liberis utrorumque. Posteriore epulo, forensia[7] insuper viris, feminis ac pueris fascias[8] purpuræ ac conchylii distribuit. Et ut lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem Saturnalibus[9], appellavitque *Juvenalem*.

XVIII. Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in Septis[1], aliquot edidit, quibus inseruit catervas Afrorum Campanorumque pugilum, ex utraque regione electissimorum. Neque spectaculis semper ipse præsedit; sed interdum aut magistratibus aut amicis præsidendi munus injunxit. Scenicos ludos et assidue, et varii generis, ac multifariam fecit: quondam et nocturnos,

viri docti (vide Ernest. Excurs. ad h. l.), sed frustra, si quid video. Errorem Suetonio excidisse existimo. Interpretatio enim Mulleri τοῦ *conjunxit* per « simul cum collega gessit, » ut Cicer. Pro lege Manil. cap. 9, *bellum conjungere* dicit, cum usu Suetonii pugnare videtur, supra notato.

6. *Toties abundantissimum epulum*, etc. Ann. 790, post dedicatam templum Augusti (Dio, LIX, 7), et ann. 792 (Dio, cap. 13).

7. *Forensia*, scil. vestimenta. Opponuntur his *domestica*. Vide August. cap. 73.

8. *Fascias*. Varius *fasciarum* erat usus, varia materia et pretium. Illigari iis solebant obvolvique pectora, femora, tibiæ, aliæque corporis partes, ut adeo pro pectoralibus, femoralibus, tibialibus, quæ veteres nostris similia ignorabant, haberentur. Vide Salmas. ad Lamprid. Alex. Sev. cap. 40; Ernest. in Clav. Cic. sub vocab. *fascia*, *fasciolæ*, *strophium*.

9. *Adjecit diem Saturnalibus*. Dio, LIX, 6. De *Saturnalium* diebus, auctis ab uno ad quinque, disputat Lipsius, Saturn. I, 3 et 4. De ipso festo vide Rosin. Ant. Rom. IV, 16, pag. 294.

XVIII. 1. *Partim in Amphitheatro Tauri*, *partim in Septis*. De illo cf. ad August. 29; de Septis ad Aug. 43; de insano furore, quo ejusmodi spectacula amabat Caligula, vide infra cap. 54. Conf. Dio, LIX, 10. Postea malim *lectissimorum*. Litera *e* adhæsit vocabulo e præcedente *regione*.

accensis tota Urbe luminibus. Sparsit et missilia[2] variarum rerum, et panaria cum opsonio viritim divisit. Qua epulatione Equiti Romano, contra se[3] hilarius avidiusque vescenti, partes suas misit : sed et Senatori ob eamdem causam codicillos, quibus Prætorem eum extra ordinem designabat. Edidit et Circenses plurimos a mane usque ad vesperam, interjecta modo Africanarum[4] venatione, modo Trojæ decursione : et quosdam præcipuos, minio et chrysocolla[5] constrato Circo, nec ullis, nisi ex senatorio ordine, aurigantibus. Commisit et subitos, quum e Gelotiana[6] apparatum Circi prospicientem pauci ex proximis Mænianis[7] postulassent.

XIX. Novum præterea atque inauditum genus spectaculi excogitavit. Nam Baiarum medium intervallum Puteolanas ad moles, trium millium et sexcentorum fere passuum, ponte conjunxit[1], contractis undique onerariis

2. *Sparsit et missilia*, et tesseras distribuit. Dio, LIX, 9. De his *tesseris* et *missilibus* vide Lips. de Magn. Rom. II, 11; Reimar. ad Xiphil. LXI, 18; ipsam denique descriptionem Xiphilini, LXVI, 25.

3. *Contra se*; ex adverso discumbenti. — *Senatori*, etc. Caligula jam insaniebat, hunc Prætorem ob gulæ aviditatem designando.

4. *Africanæ* belluæ, tigres, pantheræ : absolute positum, ut et *Libycæ* dicuntur.

5. *Chrysocolla*. De hac vid. Plin. Hist. Nat. XXXIII, 5 (26). Idem : « Visumque jam est Neronis Principis spectaculis, arenam Circi chrysocolla sterni, quum ipse concolori panno aurigaturus esset. » Imitatus igitur est Nero Caium, de quo tacet Plinius.

6. *E Gelotiana*, scil. domo. Vide Turneb. Advers. XXII, 30, et Gruteri Inscript. pag. DXCVIII, 7. Al. *lege Luciana*.

7. *Mænianis*. Festus : « Mæniana ædificia a Mænio sunt appellata; is enim primus ultra columnas extendit ligna, quo ampliarentur superiora. » Quis ille Mænius fuerit, incertum. Vide tamen Donat. de Urbe Roma, II, 27.

XIX. 1. *Nam Baiarum.... intervallum... ponte conjunxit*. Nonnulli addunt post *passuum* vocab. *spatium*, quod recepit Oudend. qui locum alias corruptum censet, nescio an nimis quæsitis difficultatibus. Bremius etiam reprehendit auctorem, quod *medium intervallum*, non, ut res erat, *Baias et Puteolanas moles* ponte conjunctas dixit. Sed in verbo *conjunxit*, ut sæpe, aliud latet verbum, ut *su-*

navibus, et ordine duplici ad ancoras collocatis, superjectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citro commeavit, biduo continenti; primo die phalerato equo, insignisque quernea corona, et cætra [2], et gladio, aureaque chlamyde; postridie quadrigario habitu [3], curriculoque bijugi famosorum equorum [4], præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus; comitante prætorianorum agmine, et in [5] essedis cohorte amicorum. Scio, plerosque existimasse, talem a Caio pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabulaverit; alios, ut Germaniam et Britanniam, quibus imminebat, alicujus immensi operis fama territaret. Sed avum meum narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasyllus

perstravit, ut sensus sit : *Baias et Puteolanas moles*, super medium intervallum *ponte strato*, *conjunxit*. Id sane verum, scriptores sæpius minus accurate scribere, dum brevitati nimis studeant. Ceterum, opus describit Dio, LIX, 17, qui inter Baulos et Puteolos, spatio XXVI stadiorum, i. e. trium millium et 600 fere passuum pontem esse factum testatur, *μεταξὺ τῶν τε Ποτιόλων καὶ τῶν Βαύλων· Bauli* autem, ut Tacit. Annal. XIV, 4, « villæ nomen, quæ promontorium Misenum inter et Baianum lacum, flexo mari alluitur, » unde Oudendorp. ob brevius spatium, passuum numero a Suetonio dato magis conveniens, *Baulorum* hoc loco nostro mallet, pro *Baiarum*. Conf. Joseph. XIX, 1. — *Aggere terreno*. Al. *terreo*. Conf. Oudend. ad hunc locum, et Tzschuck. ad Pompon. Mel. I, 9, 4.

2. *Insignisque quernea corona, et cætra*. Dedimus *quernea* cum Ernest. et Oudendorp. pro *quercica*. Postea auctore eodem Oudendorp. omisimus verba *et securi* ante *et cætra*. Desunt enim in plerisque Codd. orta haud dubie e vitiosa scriptura vocis *cætra* vel *cetra*, cui quis notius vocabulum substituit; præterea *securis* et *gladius* haud bene in eodem conveniunt, neque memoratur *securis* a Dione.

3. *Quadrigario habitu*. Lips. mutavit *quadrigarii*. Sed Noster etiam cap. 9 dicebat *manipulario habitu*.

4. *Curriculoque .... famosorum equorum*, etc. De his omnibus Dio, loc. cit. Recentiores scriptores *famosum* pro *celebri* in utramque partem dicere, veteres vix aliter, quam in malam, monuit Duker. ad Flor. III, 7, 6.

5. *In essedis* pro *in essedo* ex Dione adstruxerunt Oud. et Wolf.

mathematicus, anxio de successore Tiberio, et in verum nepotem[6] proniori, affirmasset, « Non magis Caium imperaturum, quam per Baianum sinum equis discursurum. »

XX. Edidit et peregre spectacula: in Sicilia Syracusis asticos ludos[1], et in Gallia Lugduni miscellos[2]; sed et certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ: quo [certamine] ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem et laudes componere coactos, eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.

XXI. Opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti theatrumque Pompeii[1], absolvit. Inchoavit autem aquæ ductum[2] regione Tiburti, et Amphitheatrum juxta Septa:

6. *In verum nepotem*, naturalem e Druso filio, Tiberium.

XX. 1. *Asticos ludos*. Non dubito cum Burmann. Ernest. Oudendorp. quin scribendum sit *iselasticos* vel *selasticos*, quod nomen datum ludis Græcorum sacris ab honore victorum, quo, diruta murorum parte, in urbem invehebantur (ἀπὸ τοῦ εἰσελαύνειν). Vide de his ludis, præter laudatos a Burmanno, Fabrum, Agonist. II, 10 et 17. Sæpius autem eos celebratos fuisse ab Imperatoribus Romanis, docent etiam epistolæ Plinii, X, 119 et 120, ubi vide Gesner. *Asticos* (ἀστυκοὺς ἀγῶνας vel ἀστικούς) probant Scalig. de Emend. Temp. 5, p. 479, et Casaub. ad hunc locum, intelligentes ludos Græcos, sic dictos, quod in urbe, non extra urbem, exhibebantur, in honorem Bacchi, et convenit iis aliorum lectio *Atticos*. Lectio vulg. *hasticos* non magis est ferenda, quam emendatio Torrentii *Actiacos*. Cf. Ernest. Excurs.

2. *Et.... Lugduni miscellos*. Dio, LIX, 22, ad ann. 792. Editi autem sunt procul dubio ad aram Augusti, de qua Dio, LIV, 32, ubi vide Fabric. Juvenal. Sat. I, 44,

Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Miscelli dicebantur, ut mixti e vario certaminum genere. *Miscellanea ludi* Juvenal. XI, 20, huc non pertinent. Conf. ibi nost. Edit. tom. II, pag. 610, *ferulis, flumine*, dura nimis pœna: sed bene actum fuit quod victi coronare victores cogerentur. Postea *certamine* videtur additicium.

XXI. 1. *Templum Augusti theatrumque Pompeii*. Vide Tiber. 47. Dedicavit templum Augusti ann. 790. Dio, LIX, 7. Theatrum Pompeii dedicavit Claudius. cap. 21.

2. *Inchoavit... aquæ ductum*, etc. Plin. H. N. XXXVI, 15 (24, § 10, ed. Franz.): « Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impen-

quorum operum a successore ejus Claudio alterum peractum, omissum alterum est[3]. Syracusis collapsa vetustate mœnia, Deorumque ædes refectæ. Destinaverat et Sami Polycratis[4] regiam restituere, Mileti [5] Didymeum peragere, in jugo Alpium urbem condere, sed ante omnia Isthmum in Achaia perfodere[6]; miseratque jam ad dimetiendum opus primipilarem.

XXII. Hactenus quasi de Principe: reliqua ut de monstro narranda sunt. Compluribus cognominibus[1] assumtis (nam et PIUS, et CASTRORUM FILIUS, et PATER EXERCITUUM, et OPTIMUS MAXIMUS CÆSAR vocabatur), quum audiret forte reges[2], qui officii causa in Urbem advenerant, concertantes apud se super cœnam de nobilitate generis, exclamavit, Εἷς κοίρανος[3] ἔστω, εἷς βασιλεύς. Nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque principatus[4] in regni formam converteret.

dium operis inchoati a Caio Cæsare, et peracti a Claudio. Quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus HS. LV. D. » Cf. ad Claud. 20.

3. *Omissum alterum est;* nempe Amphitheatrum. Claudius enim opera potius necessaria, quam multa perfecit. Claud. 20.

4. *Polycratis;* de quo vide Herodot. III, 39 seq.

5. *Mileti Didymeum;* id est, Apollinis Didymei (Apollo Διδυμαῖος an Διδυμεύς rectius dicatur, vide disputantem Ernest. ad hunc locum; id certum, templum scribendum *Didymeum*, non *Didymæum*, ut *Mausoleum*, *Museum*, *Odeum*, etc.) templum, oraculo celebre. Cf. Stephanum. Describit templum Strabo, XIV, 1, 5, ubi, διέμεινε δὲ χωρὶς ὀροφῆς διὰ τὸ μέγεθος, unde *peragere* illud voluit Caius, sed honore ædis in se translato: conf. Dionis locum, quem ex Excerpt. Peiresc. libro LIX, cap. 28, restituit recentissimus editor.

6. *Isthmum.... perfodere;* exemplo Cæsaris. Conf. ad Cæsar. 44.

XXII. 1. *Compluribus cognominibus*, etc. Conf. Dio, LIX, 3.

2. *Reges;* Agrippam Judæum et Antiochum Commagenum intelligit Casaub. atque eos affuisse Caligulæ, ὥσπερ τινὰς τυραννοδιδασκάλους, testatur Dio, LIX, 24.

3. Εἷς κοίρανος, etc. Homer. Iliad. II, 204:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

4. *Speciem principatus;* splen-

Verum admonitus, et principum et regum se excessisse fastigium, divinam ex eo majestatem[5] asserere sibi cœpit; datoque negotio, ut simulacra numinum, religione et arte præclara, inter quæ Olympii Jovis[6], apportarentur e Græcia, quibus capite demto suum imponeret, partem Palatii ad Forum usque promovit, atque æde Castoris et Pollucis in vestibulum transfigurata[7], consistens sæpe inter fratres Deos medius[8], se adorandum adeuntibus exhibebat; et quidam eum LATIAREM JOVEM[9] consalutarunt. Templum etiam numini suo proprium, et sacerdotes, et excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum[10], amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur. Magisteria[11] sacerdotii

dorem, pompam, apparatum. Vide quæ de hac voce diximus ad Cæs. 77, et cf. Ernest. Clav. Cicer. sub voc. *species*. De *principis* nomine vide Lips. ad Tacit. Annal. I, 1.

5. *Divinam.... majestatem*, etc. Dio, LIX, 3 et 26, quo capite, ut et 28, plura de hac ejus insania narrantur.

6. *Inter quæ Olympii Jovis;* Phidiæ opus. Conf. Dio, LIX, 28. Simulacrum loco moveri non potuisse, aliisque prodigiis territum se, Memmium Regulum, cui datum erat transportandi negotium, ad Caium retulisse, narrat Josephus, XIX, 1; Pausan. autem, IX, 27, Cupidinem etiam Thespiensium eodem modo nefarie a Caio attrectatum, sed non majori successu, ejusque sceleris morte postea pœnas æque dedisse, ac Neronem idem conatum. Simulacra autem, re vera apportata, suis urbibus restituit Claudius, auctore Dion. LX, 6.

7. *Partem Palatii... atque æde... transfigurata.* Conf. Dio, LIX, 28. Postea restituit Dioscuris templum Claudius. Auctor idem Dio, LX, 6. De loco ipso atque æde Castoris et Pollucis vide Nardin. Rom. Vet. IV, 4 (Thes. Græv. tom. IV, pag. 1147 seq.).

8. *Medius.* Al. *medium se adorandum*, etc. quod servat Oudend.

9. *Latiarem Jovem.* Al. *Latialem*, ut cap. 16, *Palilia*, vel *Parilia.* Utraque enim forma in usu erat. Cf. Dio, LIX, 28.

10. *Simulacrum .... iconicum;* id est, quod figuram vivi atque staturam (εἰκόνα) exacte exprimeret. Vide Harduin. ad Plin. Hist. Nat. XXXIV, 4 (9), ubi *effigies iconicæ* vocatæ dicuntur, in quibus ex membris hominum ipsorum similitudo esset expressa. Idem, XXXV, 8 (34), Panænum, fratrem Phidiæ, prælii apud Marathona duces *iconicos* pinxisse dicit.

11. *Magisteria sacerdotii*, etc. *Magistri* sacerdotii alicujus sunt

ditissimus quisque, et ambitione et licitatione maxima, vicibus comparabant. Hostiæ erant phœnicopteri, pavones, tetraones, Numidicæ, meleagrides, phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur. Et noctibus quidem plenam fulgentemque lunam invitabat assidue in amplexus atque concubitum[12]: interdiu vero cum Capitolino Jove[13] secreto fabulabatur, modo insusurrans, ac præbens invicem aurem, modo clarius, nec sine jurgiis. Nam vox comminantis audita est:

Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ·[14]

donec exoratus, ut referebat, et in contubernium ultro invitatus, super templum Divi Augusti ponte transmisso, Palatium Capitoliumque conjunxit. Mox, quo propior esset, in area Capitolina novæ domus fundamenta jecit.

XXIII. Agrippæ se nepotem[1] neque credi, neque dici

ii, qui primum locum tenent inter sacerdotes Deo cuipiam consecratos; unde *magisterium* dicitur ipse locus et munus; h. l. pluraliter, quia *per vices* obiri solebat, quum ipsum sacerdotium *perpetuum* esset. Cf. Lips. ad Tacit. VI, 12, et Casaub. ad Capitolin. M. Anton. c. 4. De ingente pecunia, quam dare cogebantur pro his magisteriis, vide Dion. supra cit. et Claud. 9.

12. *Lunam invitabat... in... concubitum*. Cf. Dio, LIX, 26.

13. *Cum Capitolino Jove*, etc. Cf. Dio, cap. 28.

14. *Nam vox... audita est:* Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ. Hæc verba pro iis, quæ in editiones vulgo recepta sunt, *Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε*, ex optimis, qui quidem Græca exhibent, Codd. huic loco restituenda, postquam censuere Victorius, Castigat. in Cicer. Epist. ad Att. XVI, 6, et Turneb. Advers. XXII, 31, et XXVII, 20, præstantissimi editores omnes exhibuerunt, auctoritate maxime duorum locorum, quamquam paullo diversorum; Dionis nempe, cap. 28, ubi, fulminante Jove, quum et ipse Caius machina quadam contra jacularetur, exclamat ex Homero, Iliad. XXIII, 724, Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ, et Senecæ, de Ira, I, cap. ult., « Caius Cæsar, iratus cælo, quod obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosius quam spectabat, quodque comessatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis, ad pugnam vocavit Jovem, et quidem sine missione, Homericum illum exclamans versum, Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ, etc. »

XXIII. 1. *Agrippæ.... nepotem;* ex matre Agrippina. Dicitur autem Agrippa Tacit. I, 3, *ignobilis loco;* Vell. II, 96, « *novitatem* multis rebus *nobilitavisse*, » coll. cap. 127. Senec. Controv. II, 4, « Tanta au-

ob ignobilitatem ejus volebat: succensebatque, si qui vel oratione, vel carmine, imaginibus eum Cæsarum insererent. Prædicabat autem, matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia admisisset[2], procreatam. Ac non contentus hac Augusti insectatione, Actiacas Siculasque victorias, ut funestas populo Romano, et calamitosas, vetuit sollennibus feriis celebrari. Liviam Augustam proaviam, *Ulyxem stolatum*[3] identidem appellans, etiam ignobilitatis[4] quadam ad Senatum epistola arguere ausus est, quasi materno avo Decurione Fundano ortam; quum publicis monumentis certum sit, Aufidium Lurconem Romæ honoribus functum. Aviæ Antoniæ secretum petenti denegavit, nisi ut interveniret Macro præfectus. Ac per istiusmodi indignitates et tædia causa exstitit mortis; dato tamen, ut quidam putant, et veneno. Nec defunctæ ullum honorem habuit; prospexitque e triclinio ardentem rogum. Fratrem[5] Tiberium inopinantem, repente immisso

tem sub Divo Augusto libertas fuit, ut præpotenti tunc M. Agrippæ non defuerint, qui *ignobilitatem* exprobrarent. »

2. *Ex incesto, quod Augustus..... admisisset.* Contra vulgarem sententiam, quæ ad hoc incestum exsilii causam retulit, quo damnatus Ovidius, disputat in Ovidio nostro, tom. VIII, pag. 261, vir doctis bene notus Villenave.

3. *Ulyxem stolatum;* id est, callidam feminam; non inficete. Haud deerat ingenium Germanici filio.

4. *Etiam ignobilitatis,* etc. Livia enim gens plebeia erat. Cf. Tiber. 3. Tiberii autem maternam aviam Fundanam fuisse, prodit Noster, Tiber. 5. — *Aufidium Lurconem* (ita enim viri docti consensere, e MSS. scribendum pro *Lingonem*) Glandorp. Onomast. p. 138, eumdem putat, qui Cicer. Pro Flacco, 4, ad Attic. I, 16, et Plin. X, 20 (Varron. de Re Rust. III, 6), memoratur. Conf. Ernest. Clav. Cic. in *M. Lurco.*

5. *Fratrem Tiberium.... interemit.* Cf. Dio, LIX, 8. Rem ita narrat Philo, ut fabulam ex ingenio texere videatur: Mandatu Caii tribunos et centuriones quosdam venisse ad adolescentulum Tiberium; et jussisse, ut se ipse interficeret; neque enim fas esse, ut soboles Imperatoria per alium tolleretur: illum, qui neminem adhuc occidi vidisset, et in summa rerum imperitia propter ætatem versaretur, primo ab iis, qui venerant, petiisse, ut sibi aliquis cervices, quas protenderet, amputaret: dein,

Tribuno militum, interemit. Silanum item socerum[6] ad necem, secandasque novacula fauces, compulit: causatus in utroque, quod hic ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupandi Urbem, si quid sibi per tempestates accideret[7], remansisset; ille antidotum oboluisset, quasi ad præcavenda venena sua sumtum: quum et Silanus impatientiam nauseæ vitasset et molestiam navigandi, et Tiberius propter assiduam et ingravescentem tussim medicamento usus esset. Nam Claudium[8] patruum non nisi in ludibrium reservavit.

XXIV. Cum omnibus sororibus suis[1] stupri consuetudinem fecit: plenoque convivio singulas infra se vicissim collocabat, uxore supra cubante. Ex his Drusillam vitiasse virginem, prætextatus adhuc, creditur, atque etiam in concubitu ejus quondam deprehensus ab Antonia avia, apud quam simul educabantur. Mox Lucio Cassio Longino consulari collocatam[2] abduxit, et in modum justæ

quum irritæ ejus preces essent, orasse, ut se docerent, qua corporis parte ferrum immitteret, ut quam citissime moreretur: ita edoctum ab iis se occidisse.

6. *Silanum item socerum*, etc. Cf. Dio, cap. cit. ubi plurimæ contumeliæ in Silanum collatæ narrantur.

7. *Si quid sibi.... accideret.* De hoc imperfecto vide not. ad cap. 3.

8. *Nam Claudium*, etc. De hoc vide Claud. 8.

XXIV. 1. *Cum omnibus sororibus suis*, etc. Tres ei fuere sorores, ut prodidit auctor, c. 7; Agrippina, Drusilla, Livilla. Cf. Dio, LIX, 3, 11, 22. Eutrop. VII, 7, « Stupra sororibus intulit; ex una etiam natam filiam agnovit, » (ubi male vulgo *cognovit*, quod fuere, qui contra omnem temporum rationem de stupro intelligerent).

2. *L. Cassio Longino.... collocatam*. Tacit. Ann. VI, 15: « Servio Galba, L. Sulla Coss. (ann. 785), diu quæsito, quos neptibus suis maritos destinaret Cæsar (Tiberius), postquam instabat virginum ætas, L. Cassium, M. Vinicium legit... Cassius plebeii Romæ generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus, facilitate sæpius, quam industria commendabatur. Huic Drusillam, Vinicio Juliam, Germanico genitas, conjungit. » Idem, VI, 45, progeneros Cæsaris Cn. Domitium, Cassium Longinum, M. Vinicium, Rubellium Blandum nominat. Hic

uxoris propalam habuit. Heredem quoque bonorum atque imperii æger instituit. Eadem defuncta[3], justitium indixit: in quo risisse, lavisse, cœnasse cum parentibus, aut conjuge liberisve, capital fuit[4]. Ac mœroris impatiens[5], quum repente noctuque profugisset ab Urbe, transcucurrissetque Campaniam, Syracusas petiit; rursusque inde propere rediit, barba capilloque promisso. Nec unquam postea quantiscunque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi « per numen Drusillæ » dejeravit[6]. Reliquas sorores nec cupiditate

L. Cassius postea Asiæ præfectus, jussu Caii in vinculis Romam deductus, mortem evasit: Dio, LIX, 29, ubi scriptoris vel scribæ vitio Caius dicitur. Vide Reimar. ad hunc locum post Glandorp. Onom. pag. 205, et Lipsium ad Tacit. Annal. VI, 15, disputantem contra Pomponium, qui cum C. Cassio, celebri jurisconsulto, nostrum confudit. Cf. Bayle, *Dictionn. Histor. et Crit.* sub *Cassius Longinus*.

3. *Eadem defuncta*, etc. Ann. 791. Vide Dion. LIX, 11, decretos mortuæ a fratre honores fuse enarrantem.

4. *Capital fuit.* Hanc Memmiani et optimorum Codd. lectionem comprobarunt Græv. Oudendorp. Wolfius. Al. *capitale*. De utraque forma, cf. præter Oudend. ad hunc locum, Tzschuck. ad Melam, I, 9, 7. Ceterum, eleganter Dio conditionem illorum temporum paucis explicat: alios enim fuisse accusatos, quod eam non lugerent, ὡς ἄνθρωπον, quum esset homo; alios, quod lugerent, ὡς θεόν, quum esset dea. Deinde exemplum subjicit; impietatis arcessitum fuisse, et periisse, qui calidam vendidisset.

5. *Ac mœroris impatiens*, etc. Senec. Consol. ad Polyb. cap. 36: « C. Cæsar, amissa sorore Drusilla, is homo, qui non magis dolere quam gaudere principaliter posset, conspectum conversationemque civium suorum profugit, exsequiisque sororis suæ non interfuit, justa sorori non præstitit, sed in Albano suo tesseris ac foro, et provocatis hujusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris levabat mala... Idem ille Caius furiosa inconstantia, modo barbam capillumque submittens, modo Italiæ ac Siciliæ oras errabundus permetiens, et nunquam satis certus, utrum lugeri vellet, an coli sororem. Eodem enim tempore, quo templa illi constituebat ac pulvinaria, eos, qui parum mœsti fuerant, crudelissima afficiebat animadversione. »

6. *Nisi per numen Drusillæ dejeravit.* Vulg. *nomen*, sed illud rectius. Nam præterquam quod divinis eam ubique honoribus coli Caius jussit, ac Veneri exæquavit, *Pantheam* vocatam fuisse scribit Dio, imperatumque mulieribus, ut eam, tanquam Junonem scilicet, in posterum jurarent.

tanta, nec dignatione dilexit, ut quas sæpe exoletis suis prostraverit. Quo facilius eas in causa Æmilii [7] Lepidi condemnavit, quasi adulteras, et insidiarum adversus se conscias. Nec solum chirographa omnium, requisita fraude ac stupro [8], divulgavit, sed et tres gladios, in necem suam præparatos, Marti Ultori, addito elogio, consecravit.

XXV. Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere [1]. Liviam Orestillam [2], C. Pisoni nubentem, quum ad officium et ipse venisset, ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit, quod repetisse usum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali, mandasse ad Pisonem [3], contra

7. *In causa Æmilii Lepidi*, qui antea Drusillæ maritus, convictus postea conjurationis in Caium (Dio, LIX, 11 et 22), itemque stupri in Agrippinam et Livillam. Ex Æmilio Paulo et Julia, Augusti nepte, natum illum opinatur Lipsius ad Tacit. Annal. XIV, 2. At Julia, inquit, soror Agrippinæ, quæ mater Caii et sororum. Hinc clarum, cur Caius successorem illum imperii destinaverit, et quinquennio maturius, quam per leges, magistratum capere voluerit (Dio, cap. 22). Erat enim sanguinis gentisque Augustæ, pari cum Caligula gradu.

8. *Requisita fraude ac stupro*; id est, quæ sibi fraude comparaverat, ac stupro quidem ad requirenda ea et elicienda iis, qui habebant, omisso. Postea *addito elogio* est addita tabula, inscriptione, titulo, quo consecrationis causa notata erat. De *consecratis gladiis* vide Lips. ad Tacit. Annal. XV, 74.

XXV. 1. *Discernere*. Servavimus hoc verbum, quamvis jubentibus Gronov. Observ. III, 13, et Periz. ad Sanct. pag. 784, legi *decernere*, et probante Wolfio. Ut enim multis in locis *diligere* et *deligere* æque valere possunt, quum illud sit *e pluribus legere*, hoc *de numero aliquo legere*, quod eodem redit, ita *discernere* hoc est « e pluribus, quæ narrantur vel judicantur, quid verum, quid probandum sit, cernere, atque ita definire, decernere, » cur ferendum non sit, haud video. Recte in sententiam nostram disputare videtur etiam Bremius, et prorsus eam confirmant, quæ Walther. dicit, Observ. pag. 21, *discernere* denotare antecedens, *decernere* consequens. Idem Liv. VII, 9, *discerni* legendum, recte ex meo sensu judicat.

2. *Liviam Orestillam*. *Corneliam Orestinam* eam appellat Dio, LIX, 8, quem sequuntur Xiphilinus et Zonaras. — *Quum ad officium et ipse venisset*; ad pompam nuptialem; quum interesset nuptiis.

3. *Mandasse ad Pisonem*; i. e.

accumbentem, « Noli uxorem meam premere : » statimque e convivio abduxisse eam, ac proximo die edixisse, MATRIMONIUM SIBI REPERTUM EXEMPLO ROMULI ET AUGUSTI[4]. Lolliam Paulinam[5], C. Memmio consulari, exercitus regenti, nuptam, facta mentione aviæ ejus, ut quondam pulcherrimæ, subito ex provincia evocavit, ac perductam a marito[6] conjunxit sibi, brevique missam fecit, interdicto cujusquam in perpetuum coitu. Cæsoniam[7], neque facie insigni, neque ætate integra, matremque jam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciviæ perditæ, et ardentius et constantius amavit: ut sæpe chlamyde peltaque et galea[8] ornatam, ac juxta adequitantem, militibus ostenderit; amicis vero etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus est,

misisse, qui diceret Pisoni. Ita Græci ἐπιστέλλειν dicunt et πέμπειν, involuta jubendi notione. Vide Sturzii Lex. Xenoph. in πέμπειν, N°. 1, lit. ε. De usu Latini verbi *mandare* hoc sensu cf. Freinshem. ind. Flori, et Duker. ad Flor. III, 3, 6.

4. *Exemplo Romuli et Augusti.* Romulus enim Hersiliam (vide Plutarch. Romul. 14), Augustus Liviam, nuptas jam, abduxerant.

5. *Lolliam Paulinam*, etc. Ann. 792. Cf. Dio, LIX, 12. Hæc Lollia Tacit. Annal. XII, 1, filia dicitur M. Lollii consularis, et neptis erat M. Lollii, de quo dictum ad Tiber. 12. Vide Plin. Hist. Nat. IX, 35 (58). Claudii Imperatoris nuptias postea ambiit, mortua Messalina, (cf. Tacit. Ann. l. c. Nostr. Claud. 26) ad mortem adacta odio Agrippinæ ann. 803; Tacit. Annal. XII, 22. — *C. Memmio consulari.* Consul fuerat ann. 784, quo tempore oppressus est Sejanus (conf. Dion. LVIII, 9), præfectus postea Macedoniæ et Achaiæ (vide Pigh. Annal. ad ann. 781), unde transportandi Romam Jovis Olympii negotium a Caligula datum ei dicit Joseph. XIX, 1: cf. supra ad cap. 22. Defuncti ann. 815 laudes celebrat Tacit. Annal. XIV, 46.

6. *Ac perductam a marito;* id est, turpiter traditam. Eusebius, in Chronico, « Caius Memmii Reguli uxorem duxit, *impellens eum, ut uxoris suæ patrem esse se scriberet,* » ubi vide Scaliger. Consulto autem Suetonium usum turpi verbo *perductam* (cf. Tiber. 45), quum *deduci* proprie sponsæ dicerentur, recte monuisse videtur Ernest. De verbo *perducere* sensu utroque, turpi et honesto, vide Walch. ad Lactant. VI, 17, ubi *perductores* sunt *lenones scortorum.*

7. *Cæsoniam*, etc. Dio, LIX, 12.

8. *Ornatam*, instructam. Al. *armatam* e glossa.

uno atque eodem die professus, et maritum se ejus, et patrem infantis ex ea natæ. Infantem autem, Juliam Drusillam appellatam, per omnium Dearum templa circumferens, Minervæ gremio imposuit, alendamque et instituendam commendavit[9]. Nec ullo firmiore indicio sui seminis esse credebat, quam feritatis: quæ illi quoque tanta jam tunc erat, ut infestis digitis ora et oculos simul ludentium infantium incesseret.

XXVI. Leve ac frigidum sit his addere, quo propinquos amicosque pacto tractaverit, Ptolemæum[1], regis Jubæ filium, consobrinum suum (erat enim et is M. Antonii ex Selene filia nepos), et in primis ipsum Macronem, ipsam Enniam[2], adjutores imperii: quibus omnibus pro necessitudinis jure, proque meritorum gratia, cruenta mors persoluta est. Nihilo reverentior leniorve erga Senatum: quosdam summis honoribus functos, ad essedum sibi currere[3] togatos per aliquot passuum millia, et cœ-

9. *Infantem autem... commendavit.* Cf. Dio (locum ex Excerpt. Peiresc. reposuit Reimarus LIX, 28), qui cum Joseph. XIX, 1, Jovis Capitolini genibus impositam Drusillam prodit.

XXVI. 1. *Ptolemæum;* ann. 793. Cf. Dio, LIX, 25; infra, cap. 35. — *Ex Selene filia.* Inepte al. *ex Helena* vel *Helene,* et *ex Helenæ filia.* Cleopatræ, e regina Cleopatra filiæ (vide Dion. LI, 15; Plutarch. Anton. 87; et ad August. 17, fin.), Antonius *Selenæ* nomen indiderat, ut filio Alexandro *Solis,* unde Solem et Lunam, Cleopatræ liberos, ante currum triumphalem Augusti ductos, narrat Eusebius in Chronico. De *Juba* cf. ad August. l. c. *Consobrini* autem Ptolemæus et Caligula erant impari gradu. Ille enim Antonii nepos, hic pronepos ex avia Antonia.

2. *Ipsum Macronem, ipsam Enniam.* Cf. Dio, LIX, 10. De Macrone et Ennia, supra cap. 12. Postea *jus necessitudinis* Ptolemæum, *meritorum gratia* Macronem spectat.

3. *Currere.* Ita edidimus cum Oudendorp. et Ernest. ex optimis libris pro *occurrere,* quod huic loco non convenit. Casaubon. suadebat *accurrere,* id est, παραθέειν (ut Plutarch. Lucull. 21, qui locus nostrum egregie illustrat), vel παρατροχάζειν (quo utitur Appian. Syriac. 64, et Civil. III, 70). *Currere* confirmatur locis Nostri, Galb. 6, *etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit,* et Eutrop. IX, 15, « Galerius pulsus, et ad

nanti, modo ad pluteum[4] modo ad pedes stare, succinctos linteo[5], passus est: alios quum clam interemisset, citare nihilo minus ut vivos perseveravit, paucos post dies voluntaria morte perisse mentitus. Consulibus, oblitis de natali suo edicere, abrogavit magistratum[6]: fuitque per triduum sine summa potestate Respublica. Quæstorem suum in conjuratione nominatum [7] flagellavit, veste detracta, subjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent. Simili superbia violentiaque ceteros tractavit ordines. Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit. Elisi per eum tumultum viginti amplius Equites Romani, totidem matronæ, super innumeram turbam ceteram. Scenicis ludis, inter plebem et Equitem causam discordiarum serens, decimas maturius dabat[8], ut equestria

Diocletianum profectus, quum ei in itinere occurrisset, tanta insolentia a Diocletiano fertur exceptus, *ut per aliquot passuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurrisse.* » Addit autem *togatos*, ut recte monet Burmannus, quo gravior hac veste oneratis esset hic cursus. Præterea *irreverentem* erga Senatum ostendit, quod veste Romana indutos servile officium præstare sibi coegit.

4. *Ad pluteum*, fulcrum tori. Cf. interpr. ad Propert. IV, 8, 68,

Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens.

5. *Succinctos linteo*. Vide interpr. ad Phædr. II, 5, 11:

Ex alticinctis unus Atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat districta, cirris dependentibus.

Cf. Ferrar. de Re Vestiar. III, 4.

6. *Consulibus.... abrogavit magistratum*; ann. 792. Cf. Dio, LIX, 20. Consules intellige Cn. Domitium Corbulonem, suffectum Kal. Jul. (Dio, cap. 15), et collegam incerti nominis; nam Sanquinium Maximum, quem Ernest. addit e Dion. cap. 13, finito priori semestri dignitate decessisse oportet: cf. Pigh. tom. III, pag. 567.

7. *Quæstorem suum.... flagellavit*. Senec. de Ira, III, 18: « C. Cæsar Sextum Papinium, cui pater erat consularis, Betilienum Bassum, Quæstorem suum, procuratoris sui filium, aliosque Senatores et Equites Romanos, uno die flagellis cecidit, torsit, non quæstionis, sed animi causa. »

8. *Decimas maturius dabat*. Patet, *decimas* dona fuisse quædam, fortasse missilia, quibus allecta plebs Romana locos ad rapienda illa idoneos, adeoque sedes etiam Equitum, ante ludorum initium implebat, vi postea a venientibus expellenda, unde *discordiarum cau-*

ab infimo quoque occuparentur. Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole velis[9], emitti quemquam vetabat: remotoque ordinario apparatu, tabidas feras, vilissimos senioque confectos, gladiatores quoque pegmares, patresfamiliarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis, subjiciebat[10]. Ac nonnunquam, horreis præclusis, populo famem indixit.

8. Is confirmat locus, cujus miror neminem meminisse interpretum, Galb. 15, « liberalitates Neronis, non plus *decimis* concessis.... revocandas curavit, » ad quem vide not. Cur *decimæ* dictæ, incertum, nisi quod Turneb. Advers. XVIII, 5, a decima Herculi pollucta nomen deflexum putat. Reliquorum interpretum conjecturas (nam omnes fere corrigendum locum censent) vide suis locis. Optima est Bulengeri, de Venat. Circi, cap. 24, et Ernestii ad hunc locum, *tesseras*. Hic tamen falso, si quid video, a communi tesserarum significatione recedens, tabellas intelligit, quibus in aditu exhibendis, gratis ingredi licebat.

9. *Reductis interdum.... velis;* quibus spectantium capita tegebantur, ex quo primus id instituerat Qu. Catulus, quum Capitolium consecraret. Vide Valer. Maxim. II, 4, 6; Plin. Hist. Nat. XIX, 1 (6); Lucret. IV, 73.

10. *Remotoque ordinario apparatu.... subjiciebat.* Reddidimus locum, in quo sanando quanto opere viri docti desudaverint, Burmanni et Oudendorpii editiones ostendunt, et Oudendorpianæ Wolfianæque exempla, quamquam nonnullo hærente scrupulo. *Remoto ordinario apparatu* (vide Cæsar, 10).... *subjiciebat* est, Pro iis, quæ alias ad oblectandum populum exhiberi in muneribus solebant, exhibebat, illis substituebat (*subjicere* enim est sub oculos jacere, ostendere, ne quis cum Burmanno et Ernest. malit *abjiciebat*), quæ nonnisi tædium cruciatumque spectantibus moverent, ut *tabidas feras* (ita pro *rabidis feris* Memm. aliique Codd. optimæ notæ), non fortes validasque, sed tabe, vel morbo, vel annis contracta, macilentas, et qui cæderent eas, bestiarios *vilissimos senioque confectos* (quamquam hæc verba ex interpretatione vocab. *tabidas* in textum venisse existimo, quod explicuerat aliquis *vilissimas, senio confectas;* id enim conjicio ex omisso substantivo, fere necessario, et desiderata in plerisque copula *que* post *senio;* nisi legere quis malit *vilissimosque senesque confectores*, ἀναιρέτας, cf. August. 43); et præter hanc venationem, qui *gladiatores pegmares* agerent, h. e. de pegmate sive constructa ex materia machina depugnarent (cf. de *pegmatibus* Lips. de Amphitheatro, cap. 22, de *pegmaribus* eumdem, Saturn. II, 14, ubi tamen et ipse de salva lectione dubitat; quid si legas *pugiles* vel *pugillares?*), non palæstra exercitos, et qui e gladiatorum familia

XXVII. Sævitiam ingenii per hæc maxime ostendit. Quum ad saginam ferarum, muneri præparatarum, carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos annotavit; et, custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio[1], stans tantummodo intra porticum mediam, a calvo ad calvum[2] duci imperavit. Votum exegit[3] ab eo, qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat, spectavitque ferro dimicantem; nec dimisit, nisi victorem, et post multas preces. Alterum, qui se periturum ea de causa voverat, cunctantem pueris tradidit; verbenatum infulatumque[4], votum reposcentes, per vicos agerent,

essent, sed *patresfamiliarum*, cives igitur Romanos, eosque *notos*, non infimæ sortis homines (*in bonam partem* addit Memm. e glossa, ne quis *notos* h. l. *infames* esse putet), hos ipsos tamen debilitatos, πεπηρωμένους. Ceterum, comparant interpretes locum Dion. LIX, 10, qui huc minus pertinet.

XXVII. 1. *Nullius inspecto elogio;* i. e. tabula, in qua culpa erat perscripta, ob quam in custodia servabatur.

2. *A calvo ad calvum*, etc. Cf. Dio, LIX, 22. Nempe, quum porticum ingressus, totam congregatorum in custodia multitudinem oculis perlustrasset, in utroque latere extremo calvis forte conspectis, totam seriem sine discrimine ab uno calvo ad alterum *duci* ad supplicium jussit; quæ res in proverbium abiit. Aliam, eamque non minus probabilem, interpretationem dat Reinesius ad marg. edit. Casaub. ex Dion. LVIII, 19, ubi a L. Sejano Prætore omnes calvi Sejani (non, ut Reinesius, omnes Sejani calvi) appellati dicuntur, postquam Florealia ad irridendum Tiberium calvorum ministerio celebraverat. Ita Caius Sejanorum odium his verbis prodidisset. Dixit autem auctor *stans tantummodo intra porticum mediam*, ut significaret, non consedisse in tribunali ad dispicienda crimina, sed brevi obtutu defunctum.

3. *Votum exegit*, etc. Cf. Dio, LIX, 8.

4. *Verbenatum infulatumque;* ut publicam hostiam. Auctore enim Turnebo, Advers. XXII, 30, restitutum *verbenatum* pro inepto *verberatum*. Comparat Oudend. Servium ad Virg. Æneid. III, 57, qui: « Massilienses quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendum anno integro publicis et purioribus cibis. Hic postea *ornatus verbenis et vestibus sacris*, circumducebatur per totam civitatem cum exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis, *et sic projiciebatur* (præcipitabatur.) » *Aggerem* autem, quum non addiderit *aliquo*, non incertum intellexit auctor, sed suppliciis

quead præcipitaretur ex aggere. Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla et munitiones viarum, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coercuit[5], aut medios serra dissecuit; nec omnes gravibus ex causis, verum male de munere suo opinatos, vel quod nunquam per Genium suum dejerassent[6]. Parentes supplicio filiorum interesse cogebat[7]. Quorum uni valetudinem excusanti lecticam misit; alium a spectaculo pœnæ epulis statim[8] adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem et jocos provocavit. Curatorem munerum ac venationum, per continuos dies in conspectu suo catenis verberatum[9], non prius occidit, quam offensus putrefacti cerebri odore. Atellanæ[10] poetam, ob ambigui joci versiculum, media Amphitheatri arena igni cremavit. Equitem Romanum, objectum feris,

destinatum, juxta portam Collinam, descriptum a Plutarch. Num. 10. Male, qui rupem Tarpeiam dicunt.

5. *Aut ad bestias condemnavit, aut....... cavea coercuit.* Conf. Dio, LIX, 10. De *dissectis serra* vide Casaub. ad hunc locum, et Fabric. ad Dion. LXVIII, 32, atque ab eo citatos.

6. *Vel quod nunquam per Genium suum dejerassent.* Minucius Fel. Octav. cap. 29, « Etiam principibus et regibus, non ut magnis et electis viris, sicut fas est, sed ut Diis, turpiter adulatio falsa blanditur.... Sic eorum numen vocant, ad imagines supplicant, Genium, id est, dæmonem ejus, implorant; et est iis tutius, per Jovis Genium pejerare, quam regis; » ubi vide Lindner.

7. *Cogebat.* Cf. Dio, LIX, 25.

8. *Alium .... epulis statim adhibuit.* Senec. de Ira, II, 33 : « C. Cæsar *Pastoris*, splendidi Equitis Romani, filium quum in custodia habuisset, munditiis ejus et cultioribus capillis offensus, rogante patre, ut salutem sibi filii concederet, quasi de supplicio ejus admonitus, duci protinus jussit. Ne tamen omnia inhumane faceret adversum patrem, ad cœnam illum invitavit eo die. Venit Pastor, nihil vultu exprobrante, etc. » Illic et hunc Nostrum citavimus, tom. I, p. 100.

9. *Catenis verberatum.* Sine causa interpretes novitate supplicii, in tali monstro minime miranda, moti locum mutare voluerunt, quum alii satis frigide *habenis* suaderent, Gronovius autem et Reines. ad marg. *catomis* (κατωμίς), quæ correctio aliam necessariam reddidit sequentium voc. *putrefacti cerebri odore* in *putrefacti tabi odore*, quæ tautologiam etiam infert.

10. *Atellanæ.* Conf. Tiber. 45.

quum se innocentem proclamasset, reduxit; abscisaque lingua, rursus induxit.

XXVIII. Revocatum quendam a vetere exsilio sciscitatus, quidnam ibi facere consuesset, respondente eo per adulationem, « Deos semper oravi, ut, quod evenit, periret Tiberius, et tu imperares; » opinans, sibi quoque exsules suos mortem imprecari, misit circum insulas, qui universos contrucidarent[1]. Quum discerpi [2] Senatorem concupisset, subornavit, qui ingredientem Curiam, repente hostem publicum appellantes, invaderent, graphiisque[3] confossum, lacerandum ceteris traderent. Nec ante satiatus est, quam membra et artus et viscera hominis tracta per vicos, atque ante se congesta vidisset.

XXIX. Immanissima facta augebat atrocitate verborum. « Nihil magis in natura sua laudare se ac probare, » dicebat, « quam, » ut ipsius verbo utar, « ἀδιατρεψίαν[1]. » Monenti Antoniæ aviæ, tanquam parum esset non obedire, « Memento, ait, omnia mihi et in omnes[2] licere. » Trucidaturus fratrem, quem metu venenorum præmu-

XXVIII. 1. *Misit.... qui universos contrucidarent.* Conf. Dio, LIX, 18. Philo etiam, in Flaccum, sub fin. et Leg. ad Caium, cædem illam exsulum a Caio factam memorat. Rem indigitat Senec. Consol. ad Polyb. cap. 32 : « Clementia tua, Cæsar, efficit, ut quietiorem sub te agant vitam exsules, quam nuper sub Caio egere principes. Non trepidant, nec per singulas horas gladium exspectant, nec ad omnem navium conspectum pavent. »

2. *Quum discerpi Senatorem*, etc. Scribonium Proculum dicit Dio, LIX, 26, ubi vide.

3. *Graphiis*. Vide not. ad Cæs. cap. 82.

XXIX. 1. *Ἀδιατρεψίαν· immobilitatem animi*, quo vocabulo de Stoicorum ἀναισθησίᾳ utitur Lactant. VI, 17. Laudabat Caius eam animi firmitatem, qua immotis oculis cruentissima suppliciorum spectacula adspicere poterat. Haud inepta est glossa Codd. quorumdam, « hoc est, inverecundiam; » διατρέπεσθαι enim sæpe est αἰδεῖσθαι. Vide Casaub. ad hunc locum, et cf. Dio, LIX, 10.

2. *Et in omnes.* Ita cum Ernest. et Oudendorp. edidimus. Vulg. *et homini*. Reliquam lectionis varietatem virorumque doctorum conjecturas vide apud Burmann. et Oudendorp.

niri medicamentis suspicabatur, « Antidotum, inquit, adversus Cæsarem? » Relegatis sororibus[3], non solum insulas habere se, sed etiam gladios, minabatur. Prætorium virum ex secessu Anticyræ, quam valetudinis causa petierat, propagari[4] sibi commeatum sæpius desiderantem, quum mandasset interimi, adjecit: « necessariam esse sanguinis missionem, cui tam diu non prodesset elleborum. » Decimo quoque die, numerum puniendorum ex custodia subscribens[5], « Rationem se purgare, » dicebat. Gallis Græcisque aliquot uno tempore condemnatis, gloriabatur, « Gallogræciam sese subegisse. »

XXX. Non temere in quemquam, nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est: perpetuo notoque jam præcepto, « Ita feri, ut se mori sentiat. » Punito per errorem nominis alio, quam quem destinaverat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud subinde jactabat, *Oderint, dum metuant*[1]. Sæpe in cunctos pariter Senatores, ut Sejani clientes, ut matris ac fratrum suorum delatores[2], invectus est; prolatis libellis[3], quos crematos simulaverat, defensaque Tiberii sævitia[4], quasi necessa-

3. *Trucidaturus fratrem.... Relegatis sororibus*. Vide cap. 23 et 24.

4. *Propagari*. Conf. ad August. 23. Postea pro *prodesset* Ernest. postulat *profuisset*, de qua re diximus ad cap. 3. *Anticyræ* autem insulæ *elleborum* furiosorum medelæ adhibitum, notissimum vel ex Horat. Art. poet. vs. 300, « *tribus Anticyris* caput insanabile, » et Satir. II, 3, 82,

Danda est *ellebori* multo pars maxima avaris;
Nescio, an *Anticyram* ratio illis destinet omnem;

et vs. 166, « Naviget *Anticyram*. »

5. *Subscribens*. Supra, cap. 27, « ex noxiis laniandos *annotavit*. » — *Rationem purgare;* Gallice, *apurer ses comptes*. Atrocissima vox, quam iteravit, si bene memini, dum annis abhinc triginta civili tempestate Gallia jactaretur, unus ex horum temporum carnificibus, quos non puduit judices vocari.

XXX. 1. *Oderint, dum metuant*. Tiberii dictum illud ipsum est apud Chénier, not. ad Tiber. 59.

2. *Ut matris.... delatores*, etc. Conf. Dio, LIX, 10.

3. *Prolatis libellis*, etc. Vide supra ad cap. 15.

4. *Defensaque Tiberii sævitia*. Sic eum pariter defendit apud nos mirus dominandi artifex, *Napo-*

ria, quum tot criminantibus credendum esset. Equestrem ordinem, ut scenæ arenæque devotum[5], assidue proscidit. Infensus turbæ, faventi adversus studium suum[6], exclamavit : « Utinam populus Romanus unam cervicem haberet! » Quumque Tetrinius latro[7] postularetur, « et qui postularent, Tetrinios esse, » ait. Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant[8] : quum occidi juberentur, unus, resumta fuscina, omnes victores interemit. Hanc ut crudelissimam cædem et deflevit edicto, et eos, qui spectare sustinuissent, exsecratus est.

XXXI. Queri etiam palam de conditione temporum suorum solebat, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur: Augusti principatum clade Variana; Tiberii, ruina spectaculorum[1] apud Fidenas, memorabilem factum: suo oblivionem imminere prosperitate rerum. Atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat.

XXXII. Animum quoque remittenti, ludoque et epulis dedito, eadem dictorum factorumque sævitia aderat. Sæpe

léon Buonaparte (absit invidia, si cum Caii nomine nomen ejus conjungamus), de magno Tacito loquens : « *Il a calomnié Tibère!* »

5. *Ut scenæ arenæque devotum.* Ernestii interpretatio, « nimis studiosum spectaculorum scenicorum et gladiatoriorum, » nimis est angusta. Furorem proscindebat Equitum, operas in scena arenaque præbendi, de quo dictum ad August. cap. 43.

6. *Faventi adversus studium suum.* Conf. Dio, LIX, 13. Erat autem addictus deditusque Prasinæ factioni, ut narrat Noster, cap. 55. Quod ad dictum Caligulæ attinet, vide quæ post narratam ejus necem subjicit Dio, LIX, 30.

7. *Latro;* sine dubio damnatus jam ad arenam. — *Postularetur;* ad ipsam arenam. — *Tetrinios esse;* dignos, qui et ipsi ad ferrum darentur.

8. *Retiarii.... secutoribus succubuerant.* Totum pugnæ genus illustratum vide a Lipsio, Saturn. II, 7 et 8, et ab interpr. Juvenal. II, 143, et VIII, 200 seq. quo loco accurate illud describitur.

XXXI. 1. *Ruina spectaculorum;* Amphitheatri. Vide Tiber. 40.

in conspectu prandentis vel comissantis seriæ quæstiones per tormenta habebantur. Miles decollandi[1] artifex quibuscunque e custodia capita amputabat. Puteolis, dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo significavimus, quum multos e litore invitasset ad se, repente omnes præcipitavit[2]. Quosdam gubernacula apprehendentes, contis remisque detrusit in mare. Romæ publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, ut manibus abscisis, atque ante pectus e collo pendentibus, præcedente titulo[3], qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Mirmillonem e ludo, rudibus secum batuentem[4], et sponte prostratum, confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discucurrit. Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium[5] mactavit. Lautiore convivio effusus subito in cachinnos, Consulibus, qui juxta cubabant, quidnam rideret, blande quærentibus: « Quid, inquit, nisi uno meo nutu jugulari utrumque vestrum statim posse? »

XXXIII. Inter varios jocos, quum assistens simulacro Jovis Apellem tragœdum[1] consuluisset, uter illi major

XXXII. 1. *Decollandi*. Conf. de hoc verbo Wesseling. Observ. I, 20.

2. *Puteolis.... præcipitavit*. Dio, LIX, 17.

3. *Præcedente titulo*; hoc est, ut Dio, LIV, 3, *μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως αὐτοῦ δηλούντων*, ubi vide Fabric. Tales titulos et præconum elogia collegit Brisson. de Formulis, V, pag. 488 seq. Conf. Domitian. 10.

4. *Rudibus secum batuentem*; quod tirones facere solebant cum lanista, exercitii causa. Vid. Lips. Saturn. I, 15.

5. *Succinctus poparum habitu.... cultrarium mactavit*. Vide Guther. de Veteri Jure Pontificio, II, 14 (Thes. Græv. tom. V, pag. 108), ubi: « *Popæ* et *Victimarii* sacrorum ministri præcipui fuerunt. Popæ hostias mactabant; *Victimarius* illas apparabat, et cultrum, aquam, ignem et molam. Popas Plautus *lanios* vocat.... *Victimarius*, *μοσχοθύτης*, *μοσχοτόμος*, *cultrarius* Suetonio. » Vide ibid. nostrum locum imagine illustratum. — *Poparum*; al. male *pomparum*.

XXXIII. 1. *Apellem tragœdum*,

videretur, cunctantem flagellis discidit, collaudans subinde vocem deprecantis, quasi etiam in gemitu prædulcem. Quoties uxoris vel amiculæ collum exoscularetur, addebat, « Tam bona cervix, simul ac jussero, demetetur[2]. » Quin et subinde jactabat, « exquisiturum se vel fidiculis de Cæsonia sua, cur eam tanto opere diligeret. »

XXXIV. Nec minore livore ac malignitate, quam superbia sævitiaque, pæne adversus omnis ævi hominum genus[1] grassatus est. Statuas virorum illustrium, ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum collatas, ita subvertit atque disjecit, ut restitui salvis titulis non potuerint[2]: vetuitque posthac viventium cuiquam usquam statuam aut imaginem, nisi se consulto et auctore, poni[3]. Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis; « Cur enim sibi non licere, dicens[4], quod Platoni licuisset, qui eum e civitate, quam constituebat, ejecerit? » Sed et Virgilii ac Titi Livii scripta et imagines, paulum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoveret: quo-

Ascalonitam, qui in deliciis ei fuerat. Conf. Dio, LIX, 5. Apelles hic est, quem veterem Ascalonitarum erga Judæos simultatem exercuisse dicit infensissimus illi Philo, Leg. ad Caium.

2. *Demetetur.* Ita reddidit Grævius, pro vulg. *demetur.*

XXXIV. 1. *Adversus omnis ævi hominum genus.* Ita ex Memm. edidit Oudendorp. probans Grævii elegantem conjecturam, « adversus *omne* omnis ævi hominum genus. » Al. *adversus omne genus hominum*, ubi *omnis ævi*, quod necessarium ad auctoris consilium, male desideratur. Burmann. et Ernest. reddiderunt vulg. « adversus omnis ævi homines. »

2. *Non potuerint.* Al. *valuerint*, quod de homine, aut iis rebus, quibus agendi vel præstandi aliquid facultas, unice dici, jure contendunt Burmann. et Oudend. nisi quis cum Mullero legere malit *restituere valuerint*, scil. homines. Antea *suis* pro *salvis* male correxerunt Torrent. et Lipsius.

3. *Vetuitque.... poni.* Comparat Casaub. Claudii de re eadem edictum, quod affert Dio, LX, 25, ubi Fabric. laudat Frigelium, de Statuis Romanorum, cap. 10, pag. 77 seq. Pro *poni*, Muller. suadet *reponi*, absorpto *re* a præced. *auctore.*

4. *Dicens.* Ex margine intrusum videtur. Ita etiam Oudend. et Ern.

rum alterum, ut « nullius ingenii, minimæque doctrinæ; » alterum, ut « verbosum in historia, negligentemque » carpebat. De juris quoque consultis, quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus, sæpe jactavit, « se, mehercle, effecturum, ne qui respondere possint præter eum[5]. »

XXXV. Vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit: Torquato torquem; Cincinnato crinem[1]; Cn. Pompeio[2] stirpis antiquæ, Magni cognomen. Ptolemæum,

5. *Ne qui respondere possint præter eum.* Quum manifeste verbis insit sententia, quæ Cæs. 77, *debere homines jam pro legibus habere, quæ dicat*, quod confirmat in Leg. ad Caium Philo, edidimus cum Ernest. et Oudend. *ne qui..... possint*, pro *ne quid*, etc. Quod enim alii, *ne quis.... possit*, eodem redit. Pro *possint*, al. *possent;* illud a proximo *effecturum*, hoc a verbo *jactavit* penderet. Jam *præter eum* dictum pro *præter se*, in quo scriptores, quum aliorum verba referunt, haud satis accurati sæpius deprehenduntur, dum se magis narrantes, quam eum, de quo narrant, respiciunt. Ita Valer. Maxim. V, 1, 3, ext. « percontabatur, an ea, *quæ ad aures ejus pervenerant*, dixissent, » ubi auctor æque a quæstione relata ad suam narrationem transit. Æque Suetonium fefellit sententia, « Effecturus erat, ne qui respondere possent præter eum. » Conf. ad Neron. 32, et Eutrop. VII, 11, « quum tanti *se* non esse dixisset, ut propter *eum* civile bellum commoveretur. » Tacit. Hist. II, 64, « Vitellius, metu et odio, quod Petroniam, uxorem *ejus*, mox Dolabella in matrimonium *accepisset*, » ubi τῷ *accepisset* conveniebat *suam*, contra post *uxorem ejus* sequi debebat *acceperat;* sed auctor, quum historice addere rem cœpisset, subito ad Vitellii sententiam deflexit. Græcorum minorem hac in re ἀκρίβειαν esse, satis notum. Ceterum innumeræ fuere hujus loci emendationes, ut *præter æquum* (præcedente *ne quid*), *præter Deum*, *præter equum* (Incitatum scilicet), *præterea;* taceo alias, quas unius æstimemus assis: cf. Burm. et Oudend. *Respondere* autem proprie dicuntur, qui *consuli* solent, unde adhuc *Jurisconsulti* et *responsa juris*.

XXXV. 1. *Cincinnato crinem;* quum a *cincinnis* Cincinnati dicti sint. Liv. III, 12.

2. *Cn. Pompeio;* quem generum postea Claudii, et ab eodem occisum, narrat Suetonius, Claud. cap. 27 et 29. Ademtum autem cognomen Magni a Caio, restitutum a Claudio, prodit Dio, LX, 5. Verba *stirpis antiquæ* addita interpretes dicunt, quia multi obscuræ originis, ut ex libertis Pompeiorum nati, Pompeium nomen gerebant. Equidem hæc duo vocabula glossam puto verborum *nobilissimo cuique*, alieno loco in textum receptam.

de quo retuli, et arcessitum e regno, et exceptum honorifice, non alia de causa repente perculit[3], quam quod, edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ[4] animadvertit. Pulchros et comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. Erat Esius Proculus patre primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem et speciem[5] *Colosseros* dictus. Hunc e spectaculis detractum[6] repente, et in arenam deductum, Threci, et mox hoplomacho comparavit: bisque victorem constringi sine mora jussit, et pannis obsitum vicatim circumduci, ac mulieribus ostendi, deinde jugulari. Nullus denique tam abjectæ conditionis, tamque extremæ sortis fuit, cujus non commodis obtrectaret. Nemorensi regi[7], quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit. Quum quodam die muneris, essedario[8] Porio, ob prosperam pugnam servum suum manumittenti, studiosius plausum esset, ita se proripuit e spectaculis, ut, calcata lacinia

3. *Perculit.* Ita ex emendatione Lipsii et Perizonii, quæ omne punctum tulit, edidimus cum Ernestio pro *percussit.* De *Ptolemæo* vide ad cap. 26.

4. *Purpureæ abollæ.* Pallii hoc fuit genus, unde philosophis sæpius tribuitur. Vide Ferrar. de Re Vestiar. II, 12, et interpr. ad Juvenal. Sat. III, 115, et IV, 76.

5. *Colosseros;* a *colossus* et ἔρως; illud nomen ob *corporis amplitudinem*, hoc ob *speciem* ei datum.

6. *E spectaculis detractum.* Cf. Domit. 10. — De *Threcibus* et *hoplomachis*, diversi generis gladiatoribus, vide Lips. Saturn. II, 9 et 11. — *Comparare*, committere, componere.

7. *Nemorensi regi.* De templo *Dianæ Aricinæ* et *Nemore* dictum ad Cæs. 46. De *rege Nemorensi*, i. e. sacerdote, Strabo, V, 3, 12. Scilicet, hoc ad se fugitivi servi sacerdotium rapiebant, ut si gladio vinceretur qui locum teneret, victor statim *regnum* occuparet. Ovid. Fast. III. 271,

Regna tenent fortesque manu pedibusque fugaces;
Et perit exemplo postmodo quisque suo.

Adversarium igitur fortem manuque promtum, *validiorem*, Caius summisit, qui *regem* occideret, et sacerdotio potiretur.

8. *Essedario.* De *essedariis*, i. e. gladiatoribus, qui ex essedis pugnabant, vide Lips. Saturn. II, 12.

logæ, præceps per gradus iret[9], indignabundus et clamitans, « Dominum gentium populum ex re levissima plus honoris gladiatori tribuentem[10], quam consecratis Principibus, aut præsenti sibi. »

XXXVI. Pudicitiæ neque suæ, neque alienæ pepercit. M. Lepidum[1], Mnesterem pantomimum[2], quosdam obsides dilexisse fertur, commercio mutui stupri. Valerius Catullus, consulari familia juvenis, stupratum a se, ac latera sibi contubernio ejus defessa, etiam vociferatus est. Super sororum incesta, et notissimum prostitutæ Pyrallidis amorem, non temere ulla illustriore femina abstinuit: quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatas, præterque pedes suos transeuntes, diligenter ac lente, mercantium more, considerabat; etiam faciem manu allevans, si quæ pudore summitterent. Quoties deinde libuisset, egressus triclinio, quum maxime placitam sevocasset, paulo post, recentibus adhuc lasciviæ notis, reversus vel laudabat palam, vel vituperabat; singula enumerans bona malave corporis, atque concubitus[3]. Quibusdam, absentium maritorum nomine, repudium ipse misit, jussitque in acta ita referri[4].

9. *Præceps.... iret.* Heinsius suadebat *rueret.* Genuinam lectionem tuetur Burmannus versu Catulli, Carm. XVII,

Ire præcipitem in lutum per caputque pedesque.

Conf. Duker. ad Liv. II, 46.

10. *Tribuentem.* Accusativus regitur ab exclamatione indignabundi, unde inutilis correctio Lipsii *tribuere.*

XXXVI. 1. *M. Lepidum;* Drusillæ maritum. Vide cap. 24. Memorat exoletum Dio, LIX, 11 et 22.

2. *Mnesterem pantomimum;* quem et Messalina perdite amavit. Cf. Dio, LX, 22. Interfectus postea est a Claudio, ut narrat idem Dio, LX, 31.

3. *Singula enumerans.... concubitus.* Huc pertinet, quod Seneca, de Const. Sap. 18: « Asiaticum Valerium in primis amicis habebat (C. Cæsar), ferocem virum, et vix æquo animo alienas contumelias laturum. Huic in convivio, item in concione, voce clarissima, qualis in concubitu esset uxor ejus, objecit. »

4. *In acta ita referri;* in acta urbana, in quæ matrimonia et divor-

XXXVII. Nepotatus[1] sumtibus omnium prodigorum ingenia superavit, commentus novum balnearum usum, portentosissima genera ciborum atque cœnarum: ut calidis frigidisque unguentis lavaretur, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet, convivis ex auro panes et opsonia apponeret, « aut frugi hominem esse oportere, dictitans, aut Cæsarem. » Quin et nummos non mediocris summæ e fastigio basilicæ Juliæ per aliquot dies sparsit in plebem[2]. Fabricavit et deceres[3] Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum et porticuum et tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium et pomiferarum arborum varietate: quibus discumbens de die[4] inter choros ac symphonias, litora Campaniæ peragraret. In exstructionibus prætoriorum atque villarum[5], omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur.

tia referri solebant. Vide Lips. Excurs. ad Tacit. Annal. V, 4. Caligula autem *ita*, nempe *absentium maritorum nomine se repudium misisse*, in acta referri jussit, ut recte monuit Oudendorp. ad h. l. restituti *ita* auctor.

XXXVII. 1. *Nepotatus*. Ita e MSS. ediderunt jam Oudend. et Ernest. pro *Nepotinis*. De re Senec. Consol. ad Helv. c. 9: « C. Cæsar, quem mihi videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent, centies Sestertio cœnavit uno die; et in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo trium provinciarum tributum una cœna fieret. »

2. *Quin et nummos.... sparsit in plebem*. Conf. Dio, LIX, 25; Joseph. XIX, 1. De *basilica Julia* vide Donat. de Urbe Roma, II, 17, qui colli Palatino vicinam eam fuisse existimat.

3. *Deceres; δεκήρεις*. Hanc Turnebi (Advers. XXII, 30) correctionem, petitam e Memm. qui dat *de ceris*, recepere pro *de cedris* Ernest. et Oudendorp.

4. *Quibus discumbens de die;* medio die, ante justum cœnæ tempus, nonam scilicet vel decimam diei horam. De ejusmodi conviviis *tempestivis* vide infra ad cap. 45.

5. *Prætoriorum atque villarum*. Vel splendore atque magnificentia *prætoria* differunt h. l. a *villis*, vel *prætoria* ædificia sunt ipsi Principis habitationi destinata, *villæ* rei rusticæ inservientia. Urbanum in villis ædificium interpretatur nostro loco *prætorium* etiam Heinecc. Ant. Rom. II, tit. 3, § 1.

Et jactæ itaque moles infesto ac profundo mari, et excisæ rupes durissimi silicis, et campi montibus aggere æquati, et complanata fossuris montium juga, incredibili quidem celeritate, quum moræ culpa capite lueretur. Ac, ne singula enumerem, immensas opes, totumque illud Tiberii Cæsaris vicies ac septies millies sestertium[6] non toto vertente anno absumsit.

XXXVIII. Exhaustus igitur atque egens, ad rapinas convertit animum[1], vario et exquisitissimo calumniarum et auctionum et vectigalium genere. Negabat, jure civitatem Romanam usurpare eos, quorum majores sibi posterisque eam impetrassent, nisi filii essent: neque enim intelligi debere *posteros* ultra hunc gradum[2]: prolataque Divorum Julii et Augusti diplomata, ut vetera et obsoleta, [3]delebat. Arguebat et perperam editos cen-

6. *Vicies ac septies millies sestertium*, etc. Dissentit Dio, LIX, 2, qui secundum alios vicies ter sestertium millies fuisse scribit, quas confiscatas pecunias reliquerit Tiberius; secundum alios, tricies et ter millies. Dionis locum variis correctionibus cum nostro conciliare studuerunt viri docti, nescio an frustra, quum pateat, illis jam temporibus de magnitudine summæ fuisse dubitatum. Suetonio tamen maxima fides habenda videtur, ut qui mediam inter duplicem Dionis dederit.

XXXVIII. 1. *Exhaustus.... convertit animum*. Dio, LIX, 4. — De *calumniis* agit auctor hoc cap. usque ad verba, *Auctione proposita*, unde novum caput descripsimus, auctore etiam Oudend.; de *auctionibus*, cap. 39; de *vectigalibus*, cap. 40 seq.

2. *Intelligi... posteros ultra hunc gradum*. Mera hæc fuit in circumscribenda vocabuli potestate calumnia. *Posteri* enim, ut Gr. ἀπόγονοι, ἔκγονοι, non filii tantum sunt vel nepotes, sed omnino omnes, ex alicujus stirpe legitima serie procreati, descendentes.

3. *Delebat*. Recepimus correctionem, quæ ipsa facilitate ut aptissimam se commendat. Vulg. *deflebat*, quod de mimica commiseratione interpretantur, qua tam vetera diplomata nullius amplius auctoritatis esse posse, doluerit, sententia argumento, quod hic tractat auctor, parum congrua. Defenditur tamen a Walthero, Observ. pag. 22, qui *deflere*, de re funebri desumtum, significare putat « aliquam rem ita habere, ut quasi sit *conclamata*. » Casaub. aliique post Lips. ad Tacit. Hist. II, 54, maluerunt *deflabat* vel *difflabat* (illud Cod. Memm. exhibet), h. e. sper-

sus[4], quibus postea quacunque de causa quicquam incrementi accessisset. Testamenta primipilarium[5], qui ab initio principatus Tiberii neque illum, neque se heredem reliquissent, ut ingrata rescidit; item ceterorum, ut irrita et vana, quoscunque quis diceret herede Cæsare mori destinasse[6]. Quo metu injecto, quum jam et ab ignotis inter familiares, et a parentibus inter liberos, palam heres nuncuparetur[7], derisores vocabat, quod post nuncupationem[8] vivere perseverarent, et multis venenatas macteas[9] misit. Cognoscebat autem[10] de talibus causis, ta-

nebat, cum irrisu rejiciebat, ut Gr. καταφυσᾷν dicunt, quod serioris Latinitatis vocabulum nimisque quæsitum nescio an injuria Suetonio obtrudatur. Ad eamdem cum *delebat* probabilitatem accedit, quod Ernest. etiam suasit, *abolebat*, scriptori etiam nostro frequentissimum.

4. *Arguebat et perperam editos census.* Casaub. corrigebat *editi census*, scil. *eos, quibus*, etc. falsa, ut Wolfius monuit, sententia, quum *censui*, patrimonio, incrementum accedat, non iis, qui possident; Ernest. *ut* pro *et*, quod admitti potest, sed non opus est. *Arguebat*, i. e. accusabat, in quæstionem vocabat atque confiscabat census postea aliqua forte auctos, prius perperam editos calumniatus. Ceterum conf. acutam de verbo *arguere* Waltheri disputationem, Observ. pag. 22.

5. *Primipilarium;* ut quibus amplum plerumque patrimonium ex emolumentis bellicis testamentisque militum, dignum adeo Principis rapina. Cf. Dio, LIX, 15, qui Centuriones simpliciter, at minus accurate dicit.

6. *Quoscunque... mori destinasse.* Paulus juriscons. lib. ult. de Testam., « Ejus bona, qui se Imperatorem facturum heredem esse jactaverat, a fisco occupari non possunt. » Conf. Dio, l. c.

7. *Quum jam .... palam heres nuncuparetur.* Conf. Dio, loc. cit. Apposite autem Gruter. comparat locum Taciti, Agric. 43, « Satis constabat, lecto testamento Agricolæ, quo coheredem optimæ uxori et piissimæ filiæ Domitianum scripsit, lætatum eum, velut honore judicioque. Tam cæca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret, a bono patre non scribi heredem, nisi malum Principem. »

8. *Nuncupationem.* Conf. de hac voce Brisson. de Formulis, VII, pag. 585.

9. *Macteas*, seu *matteas* vel *mattyas* (ματτύας a μάττειν), placentulas. Vide Turneb. Advers. XXII, 6.

10. *Cognoscebat autem*, etc. His de causis Caius ipse cognoscebat, taxata prius summa, quam acciperet judicii pretium; confecta pecunia, e tribunali excitabatur (*il rompait l'audience*).

xato prius modo summæ, ad quem conficiendum consideret: confecto demum excitabatur. Ac ne paululum quidem moræ patiens, super quadraginta reos quondam ex diversis criminibus una sententia condemnavit, gloriatusque est expergefactæ somno Cæsoniæ, « quantum egisset, dum ea meridiaret. »

XXXIX. Auctione proposita [1], reliquias omnium spectaculorum subjecit et venditavit, exquirens per se pretia, et usque eo extendens, ut quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti, venas sibi inciderent. Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum a Caio præconem, ne prætorium virum, crebro capitis motu nutantem sibi, præteriret [2]: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores sestertio nonagies ignoranti addicerentur. In Gallia quoque, quum damnatorum sociorum [3] ornamenta, et supellectilem, et servos, atque etiam libertos, immensis pretiis vendi-

XXXIX. 1. *Auctione proposita*, etc. Ab his verbis novum caput distinximus, quod jubet ipsa argumenti ratio. Vide ad cap. superius. Ad verbum *subjecit* supplent *hastæ* vel *præconi*. Subintelligendum potius ex superioribus *auctioni*, quamquam neque hoc opus. Conf. Tit. 8, et Duker. ad Flor. II, 6, 47. *Reliquias omnium spectaculorum*, gladiatores ex arena superstites (τοὺς περιγενομένους τῶν μονομάχων vertit Dio, LIX, 14, ubi rem narrat), apparatum et instrumentum omne, quod peractis spectaculis supererat.

2. *Ne prætorium virum.... præteriret*, inter licitatores omitteret, qui capitis nutu magis atque magis superaddere pretio videretur. — *Addicere*; proprie nos *adjuger*.

3. *Damnatorum sociorum*. Recepi emendationem Oudend., probatam jam a Ruhnken. et Wolf., confirmatam loco Dionis mox citando. Vulg. *damnatarum sororum*, quod cum loco, tempore, et Dione pugnat. Burmann. ejecta voce *sororum*, simpliciter suadebat *damnatorum*. Mihi hoc potius glossæ loco voci vel *sororum* vel *sociorum* appositum videtur. Mox *libertos* edidi cum Burm. et Ernest., partim ob Codicis Memm. auctoritatem, qui dat *liberios*, partim quod *liberti* optime excipiunt *servos*, salva particularum *atque etiam* potestate. Vulg. enim *liberos* in tali etiam monstro nimiam continere sævitiam vel insaniam videtur. Ceterum conf. Dio, LIX, 21, ad ann. 792.

disset; invitatus lucro, quicquid instrumenti veteris aulæ erat, ab Urbe repetiit; comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, et pistrinensibus jumentis: adeo, ut et panis Romæ sæpe deficeret, et litigatorum plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent[4], causa caderent. Cui instrumento distrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit: modo avaritiæ singulos increpans, et, « quod non puderet eos, locupletiores esse, quam se; » modo pœnitentiam simulans, quod principalium rerum privatis copiam faceret. Compererat, provincialem locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus[5], ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleste, tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus traderet, diceretque, « cœnaturum apud Cæsarem, vocatu ipsius. »

XL. Vectigalia nova atque inaudita[1], primum per publicanos, deinde, quia lucrum exuberabat, per Centuriones Tribunosque prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro edulibus[2], quæ tota Urbe venirent, certum statutumque[3] exigebatur: pro litibus atque judiciis, ubicunque conceptis, quadragesima summæ, de qua litiga-

4. *Quod occurrere absentes ad vadimonium non possent;* hoc est, sistere se in judicio, in quo certo die affuturos se, datis vadibus, promiserant, non poterant, via in Urbem longiore, comprehensisque omnibus vehiculis, quibus uti potuissent. De voc. *vadimonium* et *vadari* vid. Clav. Cic. et Rosin. Ant. Rom. IX, 13, pag. 671. — *Causa caderent.* Nam qui *vadimonium deseruisset*, perdebat litem.

5. *Vocatoribus;* qui convivas invitabant.

XL. 1. *Vectigalia nova atque inaudita*, etc. Conf. Dionis locum, LIX, 28, ex Excerpt. Peiresc. repositum.

2. *Edulibus.* Ita Memm. aliique antiquissimi. Al. *eduliis.* Utraque forma frequentatur. Cf. Oudend.

3. *Statutumque.* Hoc jure præferunt Oudend. et Wolfius. Vulg. *statumque.*

retur; nec sine pœna, si quis composuisse vel donasse negotium[4] convinceretur: ex gerulorum[5] diurnis quæstibus pars octava, ex capturis prostitutarum, quantum quæque uno concubitu mereret. Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico[6], et quæ meretricium, et qui lenocinium fecissent; nec non et matrimonia obnoxia essent[7].

XLI. Ejusmodi vectigalibus indictis, neque propositis, quum per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent, tandem flagitante populo proposuit quidem legem, sed et minutissimis literis, et angustissimo loco, uti ne cui describere liceret[1]. Ac, ne quod non manubia-

4. *Si quis composuisse vel donasse negotium*, etc. Bremius *donasse* ad judices, non ad partem litigantem refert, haud recte. *Compono* negotium (*j'arrange, j'accommode une affaire*), ubi de stricto jure aliquid remitto, ita ut utraque pars, litem non persecutura, et commodum aliquod ferat et detrimentum. *Dono* negotium, ubi litem prorsus depono, relictis vel concessis adversario omnibus, de quibus litigandum erat. Sæpius haud tanti erat negotium, ut tantum ex victa causa vectigal solvendum ducerent, itaque mittere rem litemque deponere satius ducebant.

5. *Gerulorum*; bajulorum, geronum. — De voc. *captura* vide Casaub. ad hunc locum.

6. *Ut tenerentur publico*; hoc est, vectigal ærario pendere obligarentur. Pro *Additumque ad caput legis*, Heinsius volebat *Additumque id capiti*, quod est alteram constructionem alteri substituere; Gron. *Additumque et caput legis*, quod sententiam præter rem immutat. Ad legis de vectigalibus caput illud, quo de vectigalibus ex re Venerea sanciebatur, additum etiam id, ut, quæ meretrices antea fuissent (*meretricium fecissent*), vel qui ex lenocinio lucrum comparassent, in singulos annos exerciti quæstus vectigal redderent. Veram hanc interpretationem esse, docet tempus *fecissent* (non *facerent*).

7. *Nec non et matrimonia obnoxia essent; annuum* vectigal penderent, veluti pro usu uxoris et dotis, quam marito attulissent, ut recte interpretatur Ernestius. Burmann. semel tantum in conjugii initio, et ab illis, qui primum uxores ducerent, exactum illud existimat.

XLI. 1. *Ejusmodi vectigalibus... liceret*. Vectigalia illa *indicta* quidem erant a Cæsare et magistratibus per vocem præconis, sed non *scripto proposita*, ut ita facile rerum vectigalibus obnoxiarum summæque tribuendæ obliviscerentur, *scriptura*, id est, lege scripta non moniti. Ita *multa commissa fiebant*,

rum[2] genus experiretur, lupanar in Palatio[3] constituit: distinctisque[4] et instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique starent, misit circum fora et basilicas nomenculatores ad invitandos in libidinem juvenes senesque, præbita advenientibus pecunia fenebri, appositisque[5]; qui nomina palam subnotarent, quasi adjuvantium Cæsaris reditus. Ac ne ex lusu quidem aleæ compendium spernens, plus mendacio atque etiam perjurio lucrabatur. Et quondam proximo collusori demandata vice sua, progressus in atrium domus, quum prætereuntes duos Equites Romanos locupletes sine mora corripi confiscarique jussisset; exsultans rediit, glorians que, nunquam se prosperiore alea usum[6].

XLII. Filia vero nata, paupertatem, nec jam imperatoria modo, sed et patria conquerens onera, collationes

multum peccabatur contra legem, *per ignorantiam scripturæ*, i. e. quia scriptam aliquam legem non noverant. Ita interpretandum puto locum ei, qui genuinum eum habet. Sed *scripturæ* fere puto e corrupto glossemate ortum. Scilicet vocab. *propositis* explicuerat aliquis, addito *scriptura*, vel substituerat etiam *scriptis*, idque alieno postea loco textui insertum. Id quidem certum, duram admodum esse vulgatam lectionem, utcunque interpreteris, dicendumque potius fuisse, ut Oudendorp. monet, *per indigentiam scripturæ*. Ut tamen vel durius loquendi genus auctori tribuere, quam de corrigendo loco cogitare malim, facit Dionis locus, e nostro fere translatus, et ex Excerpt. Peiresc. insertus LIX, 28.

2. *Manubiarum*. Salse dixit de Imperatore, pro *prædarum*. Mox pro *experiretur*, al. *expediretur*, quod probat Burmann. e locis Cæs. 4, et Tiber. 48, provocans ad not. in Phædr. I, 16, 2.

3. *Lupanar in Palatio constituit*. Cf. Dio, LIX, 28.

4. *Distinctisque*. E vestigiis Codicum Burmann. suadet *descriptisque*, Oudendorp, *discretisque*. Idem bene exprimit vulgata.

5. *Præbita.... pecunia fenebri, appositisque*, etc. Oudend. auctoritate Codd. dedit, plenius distincto post *senesque*, *Præbita advenientibus pecunia fenebris, appositique*, etc. Melius nectitur narratio, qualem reddidimus cum Burm. et Ernestio. — *Subnotare*, ut *subscribere*, Gall., *prendre note*, *noter pour mémoire*.

6. *Nunquam se prosperiore alea usum*. In Gallia ita factum narrat Dio, LIX, 22.

in alimoniam[1] atque dotem puellæ recepit. Edixit et strenas[2] ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo ædium Kalendis Januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. Novissime contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum acervos, patentissimo diffusos loco, et nudis pedibus spatiatus, et toto corpore aliquamdiu volutatus est[3].

XLIII. Militiam resque bellicas semel attigit, neque ex destinato, sed quum ad visendum nemus flumenque Clitumni[1] Mevaniam processisset, admonitus de supplendo numero Batavorum, quos circa se habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit[2]: neque distulit, sed legionibus et auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbissime actis, contracto et omnis generis commeatu, quanto nunquam antea[3], iter ingressus est: confecitque modo tam festinanter et rapide, ut prætorianæ cohortes contra morem signa jumentis imponere, et ita subsequi cogerentur; interdum adeo segniter et delicate, ut octophoro veheretur, atque a propinquarum urbium plebe verri sibi vias et conspergi propter pulverem exigeret.

XLIV. Postquam castra attigit, ut se acrem et seve-

XLII. 1. *In alimoniam*. Al. *alimonium*, solenni vocis hujus varietate. Conf. Ernest. ad Tacit. Ann. XI, 16.

2. *Strenas*, etc. Dio, LIX, 24, absenti etiam Caio a Senatoribus in templo Capitolino strenas depositas dicit. De *strenis* vide quæ supra diximus ad August. cap. 57, et Tiber. 34.

3. *Sæpe... volutatus est*. Cf. Dio, cap. 28. *Sæpe*, quod deest in nonnullis, abjecit Burmann., restituit Oudendorp.

XLIII. 1. *Nemus flumenque Clitumni*. *Clitumnum*, fontem fluviumque Umbriæ, cis Apenninum, prisco templo celebrem, descriptum vide a Plinio, Epist. VIII, 8. De eodem et *Mevania* urbe conf. Cellar. Geogr. Ant. II, 9, pag. 748.

2. *Expeditionis Germanicæ impetum cepit*. Cf. Dio, LIX, 21.

3. *Quanto nunquam antea*. In maxima diversitate lectionis, quam recensitam vide apud Burmann. et Oudend., secutus sum auctorita-

rum ducem ostenderet, legatos, qui auxilia serius ex diversis locis adduxerant, cum ignominia dimisit. At in exercitu recensendo, plerisque Centurionum maturis jam, et nonnullis ante paucissimos, quam consummaturi essent[1], dies, primos pilos ademit, causatus senium cujusque et imbecillitatem: ceterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad sex millium summam[2] rescidit. Nihil autem amplius, quam Adminio, Cynobellini Britannorum regis filio[3], qui pulsus a patre, cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto; quasi universa tradita insula, magnificas Romam literas misit, monitis speculatoribus, ut vehiculo ad Forum usque et Curiam pertenderent, nec nisi in æde Martis, ac frequente Senatu, Consulibus traderent.

XLV. Mox, deficiente belli materia, paucos de custo-

tem Gronovii et Wolfii. *Quanto nunquam antea;* supple *iter institutum est.*

XLIV. 1. *Quam consummaturi essent;* scil. *militiam* vel *stipendia*, quod latet in præcedente *maturis*, hoc est, *emeritis*.

2. *Ad sex millium summam.* Hanc Lipsii (ad Tacit. Annal. I, 17, Excurs.) emendationem, pro vulg. *ad sexcentorum millium summam*, omnes editores probarunt. Nempe quum Augustus sanxisset, ut exactis viginti militiæ annis duodena millia nummum præmium essent (vide Dion. LV, 23), ad dimiduum Caligula missionis commoda retraxit.

3. *Nihil autem amplius, quam Adminio, Cynobellini.... filio*, etc. Ex hoc Suetonii loco Oros. VII, 5: « Hic siquidem magno et incredibili apparatu profectus quærere hostem viribus otiosis, Germaniam Galliamque percurrens, in ora Oceani circa prospectum Britanniæ restitit. Quumque ibi Adminium, Cynobellini Britannorum regis filium (ita enim legendum pro corrupto *Minocynobellinum*), qui a patre pulsus cum paucis oberrabat, in deditionem recepisset, deficiente belli materia, Romam rediit. » Cynobellini duos alios filios nominat Dio, LX, 20, *Cataratacum* et *Togodumnum*, devictos a Plautio, Imperatore Claudio, et regiam *Camulodunum* LX, 21, de qua urbe vide interpr. ad Tacit. Annal. XII, 32. Ceterum scripsimus *Cynobellini*, non *Cinobellini*, cum Oudend., auctoribus Cod. Memm., et Dione, qui Κυνοβελλῖνον dicit locis cit. Caii expeditionem brevissime describit idem Dio, LIX, 21. Postea, pro *speculatoribus*,

dia Germanos trajici, occulique trans Rhenum jussit, ac sibi post prandium quam tumultuosissime, adesse hostem, nunciari. Quo facto, proripuit se cum amicis et parte equitum prætorianorum in proximam silvam; truncatisque arboribus[1], et in modum tropæorum adornatis, ad lumina reversus, eorum quidem, qui secuti non essent, timiditatem et ignaviam corripuit; comites autem et participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit, quas, distinctas solis ac lunæ siderumque specie[2], *exploratorias* appellavit. Rursus obsides quosdam, abductos e literario ludo[3], clamque præmissos, deserto repente convivio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit; in hoc quoque mimo præter modum intemperans. Repetita cœna, renunciantes coactum agmen, sicut erant, loricatos ad discumbendum adhortatus est. Monuit etiam notissimo Virgilii versu, « Durarent[4], secundisque se rebus servarent. » Atque inter hæc absentem Senatum populumque gravissimo objurgavit edicto, quod, « Cæsare præliante, et tantis di-

al. corrupte *sæpe latoribus*. De illis vide Lipsium, ad Tacit. Annal. IV, 41.

XLV. 1. *Proripuit se... in proximam silvam; truncatisque arboribus*, etc. Quis ad hoc non statim de præclaris facinoribus cogitet, quibus æternam nomini suo memoriam conciliavit celeberrimus ille *don Quichotte?*

2. *Solis ac lunæ siderumque specie;* sine dubio, quod horum etiam Deorum honores sibi arrogaverat, et attributa gestabat. Conf. Dion. LIX, 26. — *Exploratorias coronas* Bremius dictas existimat, quod exploratis amicis darentur, vitam pro Cæsare tradere haud veritis; cui assentiri nequeo. Imo ob explorationem, quam susceperat sine prælio, ut tamen expeditionis et honos esset et memoria, inventæ sunt a vano homine atque sociis tributæ.

3. *Abductos e literario ludo.* Is ubi fuerit, quærunt; nemo dixerit, quamquam probabile, ex colonia aliqua vel alia urbe Rheno vicina abductos pueros. Perizon. ad Ælian. III, 21, sine exemplis in castris ludum literarium obsides habuisse, putat. Dio autem, vere hostes nonnullos per insidias captos, dicit cap. 22.

4. *Durarent*, etc. Virgil. Æneid. I, 207.

scriminibus objecto, tempestiva convivia[5], Circum, et theatra, et amœnos secessus celebrarent. »

XLVI. Postremo, quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro aut opinante, quidnam cœpturus esset, repente, ut conchas legerent, galeasque et sinus replerent, imperavit[1]; « spolia Oceani » vocans, « Capitolio Palatioque debita. » Et in indicium victoriæ altissimam turrem excitavit, ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium cursus ignes emicarent: pronunciatoque militi donativo, centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus, « Abite, » inquit, « læti, abite locupletes. »

XLVII. Conversus hinc ad curam triumphi, præter captivos ac transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, et, ut ipse dicebat, ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit, ac seposuit ad pompam; coegitque non tantum rutilare et summittere[1] comam, sed et sermonem Germanicum addiscere, et nomina barbarica ferre. Præcepit etiam, triremes, quibus introierat

Durate, et vosmet rebus servate secundis.

5. *Tempestiva convivia*. Ita, Memmiano Cod. præeunte, restitutum pro inepta librariorum correctione *intempestiva*, quæ plerosque locos invasit. De *tempestivis* conviviis, hoc est, ante horam solitam cœnæ, nonam fere vel decimam diei, inceptis, quæ et intemperantiam et inertiam tam mature comissantium ostendebant, vide Lips. Excurs. ad Tacit. Annal. XIV, 2; Salmas. ad Vopisc. Flor. VI; Freinshem. ad Curt. V, 7, et VI, 2; e quibus Salmasius, *intempestiva* convivia, quæ nostro aliisque locis ferunt Lips. et Freinshem. cum multis, prorsus ejicienda e libris censet, ut librariorum modo errore orta.

XLVI. 1. *Postremo... imperavit.* Cf. Dio, LIX, 25. — De loco, ubi *turris* illa a Caio exstructa est, vide disputantes viros doctos ad nostrum locum. Fabricius autem ad Dion. « Hujus turris seu Phari, ad Bononiam adhuc superstitis, effigies apud Montfaucon. tom. IV, Supplem. Tab. 50. »

XLVII. 1. *Rutilare.... comam.* Germanis enim, ut Tacit. Germ. 4, « truces et cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora et tantum ad impetum valida. »

Oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam devehi. Scripsit et Procuratoribus[2], « Triumphum appararent quam minima summa, sed quantus nunquam alius fuisset; quando in omnium hominum bona jus haberent. »

XLVIII. Priusquam provincia decederet, consilium iniit nefandæ atrocitatis, legiones, quæ post excessum Augusti seditionem olim moverant[1], contrucidandi, quod et patrem suum Germanicum ducem, et se, infantem tunc, obsedissent. Vixque a tam præcipiti cogitatione revocatus, inhiberi nullo potuit modo, quin decimare velle perseveraret. Vocatas itaque ad concionem inermes[2], atque etiam gladiis depositis, equitatu armato circumdedit. Sed quum videret, suspecta re plerosque dilabi ad resumenda, si qua vis fieret, arma, profugit [3]concionem, confestimque Urbem petiit, deflexa omni acerbitate in Senatum[4], cui ad avertendos tantorum dedecorum rumores palam minabatur; querens inter cetera, fraudatum se justo triumpho[5], quum ipse paulo ante, ne quid de honoribus suis ageretur, etiam sub mortis pœna denunciasset.

XLIX. Aditus ergo in itinere a legatis amplissimi or-

2. *Procuratoribus;* scil. fisci Imperatoris, unde et sequentia, *quam minima summa,* de pecunia intelligenda sunt, quæ ex fisco illo impenderetur.

XLVIII. 1. *Quæ.... seditionem olim moverant.* Vide Tiber. 25, et Calig. 1 et 9.

2. *Inermes;* sine loricis, scutis et galeis. Hæc enim proprie *arma,* ut Gr. ὅπλα, unde distinguuntur h. l. gladii. Mox, pro *depositis,* al. *dispositis,* correctum jam a Turneb. Advers. XXVII, 20. Ceterum, vere factam talem militum cædem, prodit Dio, LIX, 22.

3. *Profugit concionem.* Vulg. *concione.* Accusativum exemplis defendit Burmann., atque puto, huic constructioni *effugiendi* etiam sive *evadendi* notionem inesse, quum altera fugientis modo actum significet, nisi hoc est argutari.

4. *Deflexa omni acerbitate in Senatum.* Conf. Dio, LIX, 25. Senec. de Ira, III, 19, de toto Senatu trucidando cogitasse eum dicit.

5. *Fraudatum se justo triumpho.* Ex Imperatoris dato, scilicet ob victorias, cognomine justi triumphi prætextum cepisse, docent verba Dionis, cap. 22, quæ subjicit Baumgart. — *Quum ipse... denunciasset.* Conf. Dio, LIX, 23.

dinis, ut maturaret, orantibus, quam maxima voce, « Veniam, » inquit, « veniam, et hic mecum, » capulum gladii crebro verberans, quo cinctus erat. Edixit et, « reverti se, sed iis tantum, qui optarent, equestri ordini et populo: nam se neque civem neque Principem Senatui amplius fore. » Vetuit etiam, quemquam Senatorum sibi occurrere: atque omisso, vel dilato triumpho, ovans Urbem natali suo ingressus est. Intraque quartum mensem periit[1], ingentia facinora ausus, et aliquanto majora moliens. Siquidem proposuerat Antium, deinde Alexandriam, commigrare, interemto prius utriusque ordinis electissimo quoque. Quod ne cui dubium videatur, in secretis ejus reperti sunt duo libelli[2], diverso titulo: alteri GLADIUS, alteri PUGIO index erat. Ambo nomina et notas continebant morti destinatorum. Inventa et arca ingens[3], variorum venenorum plena: quibus mox a Claudio demersis, infecta maria traduntur, non sine piscium exitio, quos enectos æstus in proxima litora ejecit.

XLIX. 1. *Intraque quartum mensem periit.* Quum natalis ejus in prid. Kal. Sept. inciderit (vide cap. 8), mors in IX Kal. Februar. (vide cap. 58), vera censenda emendatio Perizonii et Ryckii ad Tacit. Annal. XII, 58, « Intraque *quintum* mensem. » Probarunt eam Ernest. et Oudendorp.

2. *In secretis ejus reperti sunt duo libelli*, etc. Ad verbum Oros. VII, 5: « Duo libelli in secretis ejus reperti sunt, quorum alteri *pugio*, alteri *gladius* pro signo nominis ascriptum erat; ambo lectissimorum virorum utriusque ordinis (senatorii et equestris) nomina et notas continebant morti destinatorum. » Conf. Dio, LIX, 26. Recte autem Orosii exemplo Oudend. hoc loco nostro reposuit, inverso vocabulorum ordine, *nomina et notas*, quod probavit Wolfius, in textum recipere oblitus. Prius in libellis illis exaranda erant *nomina* morti destinatorum, et adjungendæ *notæ*, seu notandæ causæ mortis, crimina, quibus peterentur. Ern. genera suppliciorum intelligit, quæ magis e vestigio decrevisse Caius videtur.

3. *Inventa et arca ingens*, etc. Oros. l. c. « Inventa est et arca ingens variorum venenorum (*pocula continens*, quæ e glossa addita censet Oudend., ut apud Nostrum *plena*), quibus mox Claudio Cæsare jubente demersis, infecta maria traduntur non sine magno piscium exitio, quos enecatos per

L. Statura fuit eminenti, colore expallido[1], corpore enormi, gracilitate maxima cervicis et crurum, oculis et temporibus concavis, fronte lata et torva, capillo raro ac circa verticem nullo, hirsutus cetera. Quare, transeunte eo, prospicere ex superiore parte, aut omnino quacunque de causa *capram* nominare, criminosum et exitiale habebatur. Vultum vero natura horridum ac tetrum etiam ex industria efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. Valetudo ei neque corporis neque animi constitit. Puer comitiali morbo vexatus, in adolescentia ita patiens laborum[2] erat, ut tamen nonnunquam subita defectione ingredi, stare, colligere semet, ac sufferre vix posset. Mentis valetudinem et ipse senserat, ac subinde de secessu, deque purgando cerebro cogitavit. Creditur potionatus[3] a Cæsonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit. Incitabatur insomnia[4] maxime: neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiescebat; ac ne his quidem placida

proxima litora passim æstus ejecit. » — *Quibus.... a Claudio demersis.* Dio, LX, 4:

L. 1. *Colore expallido.* Ita optimi Codd. pro *pallido.* Oculos Plinius XI, 37 (54), Caio tribuit *rigentes.* Senec. de Constant. Sap. 18, formam C. Cæsaris *materiam* fuisse dicit *risus benignissimam;* « tanta illi (inquit) palloris insaniam testantis fœditas erat, tanta oculorum sub fronte anili latentium torvitas, tanta capitis destituti et emendicatis capillis aspersi deformitas. Adjice obsessam setis cervicem, et exilitatem crurum, et enormitatem pedum. »

2. *Ita patiens laborum*, etc. Malim *idem* pro *ita.* Quamquam puer morbo comitiali vexatus, *idem* adolescens patiens laborum erat, ut *tamen*, etc. Tam parum valetudo eì constitit.

3. *Potionatus.* Sine omni hæsitatione verbum relinquo, Vegetio et serioribus scriptoribus frequens, et ad analogiam vocab. *concio, concionari*, efformatum. Oudendorp. conjecit *potione tentatus*, ut *tentare veneno* dicitur Neron. 35. — Philtrum autem Caium a Cæsonia accepisse, quod in insaniam verterit, auctores etiam Joseph. XIX, 2, et Juvenal. VI, 616:

....si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.

4. *Insomnia.* Al. *insomnio*, de

quiete, sed pavida miris rerum imaginibus, ut qui inter ceteras, pelagi quondam speciem colloquentem secum videre visus sit. Ideoque magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro residens, nunc per longissimas porticus vagus, invocare identidem atque exspectare lucem consuerat.

LI. Non immerito mentis valetudini attribuerim diversissima in eodem vitia, summam confidentiam, et contra nimium metum. Nam qui Deos tanto opere contemneret, ad minima tonitrua et fulgura connivere, caput obvolvere, ad vero majora[1] proripere se e strato, sub lectumque condere solebat. Peregrinatione quidem Siciliensi, irrisis multorum locorum miraculis, repente a Messana noctu profugit, Ætnæi verticis[2] fumo ac murmure pavefactus. Adversus barbaros quoque minacissimus[3], quum trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam, « non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat, » equum illico conscendit; ac propere versus ad pontes, ut eos calonibus et impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus ac super capita hominum translatus est. Mox etiam, audita rebellione Germaniæ[4], fugam et subsidia fugæ, classes apparabat; uno solatio acquiescens, transmarinas certe sibi superfuturas provincias, si victores

qua forma singulari jure dubitantem vide Oudend. ad hunc locum.

LI. 1. *Ad vero majora*, etc. Displicet *vero*, quod abest ab uno Cod. Alii aliter. Heinsius corrigit, *at vero ad majora*.

2. *Ætnæi verticis*, etc. Turneb. Advers. XXVII, 20, e vetusto Cod. maluit *crateris*, quod post Gronov. comprobarunt Oudendorp. Ruhnken. Wolfius.

3. *Adversus barbaros quoque minacissimus*, etc. Tacit. Germ. 37, « Ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. »

4. *Germaniæ*. Fuere, qui mutatum vellent in *Germanorum*, ob sequens *victores*, immemores notissimæ Latinorum consuetudinis, quam synesin vocant. Mox *certe* e tribus Torrentii Codd. restituerunt Oudend. et Ernest.

Alpium juga, ut Cimbri, vel etiam Urbem, ut Senones quondam, occuparent: unde credo, percussoribus ejus postea consilium natum apud tumultuantes milites ementiendi, ipsum sibi manus intulisse, nuncio malæ pugnæ perterritum.

LII. Vestitu calciatuque, et cetero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano[1], semper usus est. Sæpe depictas gemmatasque indutus pænulas[2], manuleatus et armillatus in publicum processit: aliquando sericatus, et cycladatus[3]: ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria [4]caliga, nonnunquam socco muliebri, plerumque vero aurea barba, fulmen tenens, aut fuscinam, aut caduceum, Deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus [5] est. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assidue gestavit[6]; interdum et Magni Alexandri thoracem[7], repetitum e conditorio ejus.

LIII. Ex disciplinis liberalibus minimum eruditioni,

LII. 1. *Ac denique humano.* Ernestius legendum censet, « nec denique humano; » Wolfius *aut.* Mihi præplacet *ac*, suppleto ex antecedentibus *ne quidem.* Docte idem tuetur Waltherus, Observ. pag. 23.

2. *Indutus pænulas.* Pænulis (id fere, quod lacernæ sunt) Imperatores nunquam utebantur, ne cives quidem in Urbe, nisi frigoris aut pluviæ causa, quum Romanorum proprie toga fuerit. Cf. ad August. 40, fin. — *Depictas;* pictas. Exemplis defendit Oudendorp. Ita in poematio Bibaculi apud Nostr. de Illustr. Gramm. c. 11, « *depictas* minio assulas. » — *Manuleatus;* manicata tunica, quali molles, indutus. Id quoque Romano probrosum. Gell. VII, 12. De Caio Seneca, de Constant. Sap. 18 (citandus mox, cap. 56), « Hæc ipse *perlucidus, crepidatus, armillatus.* »

3. *Cycladatus. Cyclas,* tunica muliebris (*une espèce de jupe*), extremæ cujus oræ circumducebatur intextus auro et adsutus limbus (*une bordure*).

4. *Modo in speculatoria caliga;* quali speculatores uti consuerant (*chaussure de coureur*).

5. *Plerumque vero... conspectus est.* Cf. Dio, LIX, 26 (quemadmodum ex Excerpt. Peiresc. locum dedit Reimarus).

6. *Triumphalem.... ornatum.... gestavit.* Dio, loc. cit.

7. *Interdum et Magni Alexandri thoracem.* Cf. ad cap. 19.

eloquentiæ plurimum attendit[1], quamtumvis facundus et promtus, utique, si perorandum in aliquem esset. Irato et verba et sententiæ suppetebant; pronunciatio quoque et vox, ut neque eodem loci præ ardore consisteret, et exaudiretur a procul stantibus. Peroraturus, « stricturum se lucubrationis suæ telum, » minabatur; lenius comtiusque scribendi genus adeo contemnens, ut Senecam[2], tum maxime placentem, « commissiones meras[3] » componere, et « arenam esse sine calce[4], » diceret. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere[5], et magnorum in Senatu reorum accusationes defensionesque meditari; ac, prout stilus cesserat, vel onerare sententia sua quem-

LIII. 1. *Eloquentiæ plurimum attendit*. Conf. Dio, LIX, 19; Tacit. Annal. XIII, 3: « Etiam C. Cæsaris turbata mens (i. e. mentis valetudo, non turbata per iram, ut Burmanno placet) vim dicendi non corrupit. » Si Suidæ credendum, scripsit etiam Caligula *ῥητορικὴν τέχνην Ῥωμαϊκῶς*, quem tamen librum Lips. ad Tacit. l. c. Germanico potius tribuit. Cf. et Joseph. XIX, 2. Ceterum, *eruditionem* apud Nostrum recte interpretatur Ernestius *literas Græcas et Latinas*, seu philologiam.

2. *Ut Senecam*, etc. Capitis periculum Seneca subiisse dicitur Dion. cap. cit. ideo tantum, quod causam quamdam in senatu, præsente Caio, pulcherrime egerat.

3. *Commissiones meras; ἀγωνίσματα*, quales erant orationes recitatæ in *commissionibus*, in oratoriis poeticisque certaminibus. Ita fere nos, *des fleurs de rhétorique*, *des déclamations académiques*. Vide Casaub. ad August. 86, et ad h. l.

4. *Et arenam esse sine calce*; « quod sententias plerumque loqueretur breves, et nulla admodum connexione inter se cohærentes. » Ita Casaub. Ingeniosa tamen est interpretatio hujus dicti, quam dedit Mullerus in Observ. pag. 15 seq., repetitum illud dicens a Circo, in quo Caii studia maxime versabantur, ut adeo Senecam *arenam*, stadium, curriculum sine *calce*, sine meta, sine loco calce vel creta notato, ubi cursu exacto victor consistere et præmium accipere solebat, h. e. hominem dixerit ingenii intemperantis, qui, ut Amm. Marcell., *extra calces decurreret*, nimis copiosum rebus et verbis, nugatorem ineptum, qui in Foro et in Curia multum agendo nihil peragеret, declamatorem umbraticum, cui finis esset propositus nullus, et qui nesciret, quando loqui desineret.

5. *Rescribere*; orationes vel senatorias vel forenses, quæ vim habuissent, refellere, ut oratorum laudem deprimeret. Gallicum verbum *répondre* ita pro refutare sæpe ponimus.

que, vel sublevare; equestri quoque ordine ad audiendum invitato per edicta.

LIV. Sed et aliorum generum artes studiosissime et diversissimas exercuit. Threx et auriga[1], idem cantor, atque saltator. Batuebat pugnatoriis armis, aurigabat exstructo plurifariam Circo. Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur[2], ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus et tragœdo pronuncianti concineret, et gestum histrionis quasi laudans vel corrigens palam effingeret. Nec alia de causa videtur eo die, quo periit, pervigilium indixisse, quam ut initium in scenam prodeundi licentia temporis[3] auspicaretur. Saltabat autem nonnunquam etiam noctu: et quondam tres consulares secunda vigilia in Palatium accitos, multaque et extrema metuentes, super pulpitum collocavit; deinde repente magno tibiarum et scabellorum[4] crepitu, cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit. Atque hic tam docilis ad cetera, natare nesciit.

LV. Quorum vero studio teneretur, omnibus ad insaniam favit. Mnesterem pantomimum etiam inter spectacula osculabatur[1]: ac si quis saltante eo vel leniter obstreperet, detrahi jussum manu sua flagellabat. Equiti Romano tumultuanti per Centurionem denunciavit, abiret sine mora Ostiam, perferretque ad Ptolemæum[2] re-

LIV. 1. *Threx et auriga.* Dio, LIX, 5.

2. *Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur*, etc. Conf. Dio, loc. cit.

3. *Licentia temporis*, noctis, quæ mendas tegit, quæ tollit pudorem.

4. *Scabellorum. Scabella* instrumenta erant pneumatica, quæ calceorum modo pedibus saltantium alligata eumdem sonum crepantem semper referebant. Descripsit ea et marmore illustravit Rubenius, de Re Vestiar. II, 17. Conf. Ernest. Clav. Cicer. sub voc. *scabillum.* — *Cum palla... prosiluit... abiit.* Dio, loc. cit.

LV. 1. *Mnesterem... osculabatur.* Conf. Dio, LIX, 27. De *Mnestere*, cap. 36.

2. *Ptolemæum.* Vide supra ad cap. 26.

gem in Mauritaniam codicillos suos. Quorum [3] exemplum erat: « Ei, quem istuc misi, neque boni quicquam, neque mali, feceris. » Threces quosdam Germanis corporis custodibus præposuit. Mirmillonum armaturas [4] recidit. Columbo victori, leviter tamen saucio, venenum in plagam addidit[5], quod ex eo *Columbinum* appellavit. Sic certe inter alia venena scriptum ab eo repertum est. Prasinæ factioni ita addictus et deditus, ut cœnaret in stabulo assidue, et maneret[6]. Agitatori Eutycho[7] commissatione quadam in apophoretis vicies sestertium contulit. Incitato equo, cujus causa pridie Circenses, ne inquietaretur, viciniæ silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum[8], et præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monilia e gemmis, domum etiam, et familiam, et supellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati acciperentur: consulatum quoque traditur destinasse.

LVI. Ita bacchantem atque grassantem non defuit ple-

3. *Exemplum;* Gallice nos, *le contenu.*

4. *Mirmillonum armaturas recidit;* h. e. non modo minus pretiosas et elegantes fieri jussit, ut Ernest. explicat, sed leviora etiam arma dedit et minora, quo facilius Threcibus, quibus magis favebat, succumberent.

5. *Venenum in plagam addidit.* Conf. Dio, LIX, 14. De *factionibus* autem aurigarum, quatuor distinctis coloribus, *veneto* sive cæruleo, *prasino* seu viridi, *albo* et *russeo* sive *russato*, quos vel a Diis, vel ab elementis acceperunt, accurate exposuit Bulenger. de Circo, cap. 48 et 49. Conf. Fabric. ad Dion. l. c. Reimar. ad Xiphil. LXI, 6, et LXVII, 4, ubi quatuor prioribus novas Domitianus adjecisse dicitur duas factiones *auream* et *purpuream* (πορφυροῦν enim scribendum ibi docet doctissimus interpres pro ἀργυροῦν ex Martial. Epigr. XIV, 55, et Nostr. Domit. cap. 7).

6. *Et maneret;* pernoctaret.

7. *Eutycho.* Cf. Joseph. XIX, 3. — *In apophoretis;* h. e. donis, quæ convivis a comissatione domum redeuntibus a magistro convivii dabantur. Conf. August. 75.

8. *Incitato equo... præter equile marmoreum*, etc. Conf. Dio, LIX, 14. Sic et L. Verus Antoninus equo, cui *Volucer* nomen erat, aureum viventi simulacrum fecit, et mortuo sepulcrum erexit.

risque animus adoriri. Sed una alteraque conspiratione detecta[1], aliis per inopiam occasionis cunctantibus, duo consilium communicaverunt, perfeceruntque: non sine conscientia potentissimorum libertorum, præfectorumque prætorii; quod ipsi quoque, etsi falso, in quadam conjuratione quasi participes nominati, suspectos tamen se et invisos sentiebant. Nam et statim seductis magnam fecit invidiam, destricto gladio affirmans, « sponte se periturum, si et illis morte dignus videretur: » nec cessavit ex eo criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. Quum placuisset Palatinis ludis[2] spectaculo egressum meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea[3], Tribunus cohortis prætoriæ, depoposcit: quem Caius seniorem jam, ut mollem et effeminatum [4]denotare omni probro consuerat, et modo, signum petenti, PRIAPUM aut VENEREM dare, modo, ex aliqua causa agenti gratias, osculandam manum offerre[5], formatam commotamque in obscœnum modum.

LVI. 1. *Sed una alteraque conspiratione detecta.* Conf. de morte Sex. Papinii Zonaras, pag. 557 (quem locum cum nostro comparavit Reimarus ad Dion. LIX, 25). De conspiratione Æmilii Lepidi vide Dion. supra cit. ad cap. 24.

2. *Quum... Palatinis ludis*, etc. Conf. Joseph. XIX, 1. Institutos hos ludos a Livia post mortem Augusti, narrat Dio, LVI, 46.

3. *Cassius Chærea.* Conf. Dio, LIX, 29. Fuse conspirationis narrationem exhibet Joseph. XIX, 1.

4. *Quem... ut mollem et effeminatum denotare*, etc. Conf. Joseph. et Dio, ll. cc. Senec. de Constant. Sap. 18: « Chæreæ, Tribuno militum sermo non pro manu erat, languidus sono, et infracta voce suspectior. Huic Caius signum petenti modo Veneris, modo Priapi dabat; aliter atque aliter exprobrans armato mollitiem. Hæc ipse perlucidus, crepidatus, armillatus. Coegit itaque illum uti ferro, ne sæpius signum peteret. » *Signum*; nos, *le mot d'ordre.*

5. *Osculandam manum offerre.* Manus osculari, servorum erat. Vide Fabric. ad Dion. LIX, 27. — *Commotamque in obscœnum modum.* Emendationes Lipsii ad Tacit. XIII, 2, *gammatamque* h. e. ad formam literæ Gamma insertis commixtisque digitis flexam, et proximo *in obscœnum nodum* argutiores sunt, quam veriores.

LVII. Futuræ cædis multa prodigia exstiterunt. Olympiæ simulacrum Jovis, quod dissolvi transferrique Romam placuerat[1], tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint. Supervenitque illico quidam Cassius quoque nomine, jussum se somnio affirmans, immolare taurum Jovi. Capitolium Capuæ[2] Idibus Martiis de cælo tactum est: item Romæ cella Palatini atriensis[3]. Nec defuerunt, qui conjectarent, altero ostento periculum a custodibus domino portendi; altero, cædem rursus insignem, qualis eodem die[4] facta quondam fuisset. Consulenti quoque de genitura sua, Sulla mathematicus, « certissimam necem appropinquare, » affirmavit. Monuerunt et Fortunæ Antiatinæ[5], « ut a Cassio caveret. » Qua causa ille Cassium Longinum, Asiæ tum Proconsulem, occidendum delegaverat, immemor, Chæream Cassium nominari. Pridie, quam periret, somniavit, consistere se in cælo juxta solium Jovis, impulsumque ab eo

LVII. 1. *Simulacrum Jovis, quod ....placuerat.* Vide supra, cap. 22. — *Tantum cachinnum .... edidit.* Dio, LIX, 28. Tantus autem ferebatur esse Jovis cachinnus, ut machinas i. e. vectes, quibus ad movendum ingens simulacrum usi fuerant opifices, labefactaret. Postea *diffugerint* injuria reprehendit Ernest. postulans *diffugerent.* Conf. not. ad Cæs. 6.

2. *Capitolium Capuæ.* Vide ad Tiber. cap. 40.

3. *Item... cella Palatini atriensis.* Intelligunt cellam, οἴκημα, servi atriensis Palatii. Sed quum Capitolium sive Jovis templum præcesserit, *Palatinum atriensem* Apollinem esse puto Palatinum, de cujus templo vide ad August. 29. Conjunxerat autem Caligula (vide cap. 22) Palatium Capitoliumque, ita ut Apollinis templum Palatini Jovi Capitolino pro atrio esset, et ipse Deus ad *custodes,* de quibus proxime sermo; posset referri. Nihil tamen definio in re, de qua in utramque partem potest disputari.

4. *Qualis eodem die,* etc. Idibus Martiis, quibus Jul. Cæsar occisus fuerat.

5. *Fortunæ Antiatinæ.* Al. *sortes,* quod ex interpretatione ortum videtur, quum sortium crebrior apud Nostrum fiat mentio. Vide quæ notavimus ad Tiber. 14 et 63. Erant autem duæ Fortunæ Antii, oracula edentes, quas *veridicas sorores* dicit Martial. Epigr. V, 1, 3. Conf. Bulenger. de Sortibus (Thes. Græv. tom. V, pag. 363). — *Ut a Cassio caveret.* Conf. Dio, LIX, 29.

dextri pedis pollice, et in terras præcipitatum. Prodigiorum loco habita sunt etiam, quæ forte illo ipso die paulo prius acciderant. Sacrificans[6] respersus est phœnicopteri sanguine. Et pantomimus Mnester [7] tragœdiam saltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat. Et quum in Laureolo mimo[8], in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomit, plures secundarum[9] certatim experimen-

6. *Sacrificans;* non Caius ipse, sed is, qui phœnicopterum Caio sacrificium immolabat (vide cap. 22), nisi quis, Caium sibi ipsi sacrificasse censeat. Joseph. XIX, 1, in sacrificio, a Caio Augusto Cæsari per ludorum Palatinorum solemnitatem oblato, Asprenatis Senatoris, qui postea cum Caio periit, togam cruore respersam, idque mortis signum huic fuisse, narrat.

7. *Tragœdiam;* Cinyram, in qua ipse cum filia Myrrha occisus sit. Joseph. l. c. Carmen autem, quod Neoptolemus tragœdus pronunciavit, Persarum interitum spectans, sed ad Philippi mortem postea applicatum, servavit Diodor. XVI, 92, ubi vide Wesseling. Ceterum, quod Josephus addit, hac ipsa quondam die Philippum ab amico Pausania, quum theatrum adiret, interfectum esse, id temporum rationi non convenire, ex initio regni Alexandri Magni computat Usserius, Annal. ad ann. 3668, pag. 157 seq., ubi effecit, circa diem 24 Septembris Philippum occisum fuisse, quum Caii mortem auctor noster cap. seq. ad IX Kal. Febr. referat.

8. *In Laureolo mimo.* De incerto hujus mimi auctore, vel Q. Lutatio Catulo, vel Nævio, vel Laberio, argumentoque, vide Rupert. ad hæc Juvenalis VIII, 187,

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, dignus vera cruce,

quæ, in crucem aliquem in eo actum fuisse, fortasse servum Laureolum, vere Josephum narrare ostendunt. Diverse igitur Noster actorem *e ruina* h. e. lapsu (puto enim intercidisse *e* ante *ruina* ob antecedens *se*) se proripientem sanguinem illum vomuisse narrat, quo scena repleta est, quum Joseph. τὸ αἷμα τὸ περὶ τὸν σταυρωθέντα ἐκκεχυμένον dicat, nisi utrumque in eadem fabula occurrit, ut statuit etiam Oudend. Namque paucis probabitur emendatio, quam Reinesius margini adscripsit, *cervina*, hac addita interpretatione, « Quum cruci affigeretur, habuit utriculos de pelle cervina sanguinis plenos ; subduxit ille sese ita, ut utriculi illi affixi clavis sanguinem fuderint. » Ceterum pro *vomit* vulgo legitur *vomit, ut,* quod nullum dat sensum, vel ineptum, sed ex quo vera fortasse eruenda lectio *vomuerat.*

9. *Plures secundarum ;* scil. partium. Nimirum post actam fabulam prodibant in scenam hypocritæ, qui primos actores imitabantur, eoque artificio spectatores oblectabant, uti h. l. *experimentum*

tum artis darent, cruore scena abundavit. Parabatur et in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Ægyptios et Æthiopas explicarentur.

LVIII. Nono Kalendas Februarias, hora quasi septima, cunctatus, an ad prandium surgeret[1], marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis egressus est. Quum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas evocati præpararentur; ut eos inspiceret hortareturque, restitit[2]. Ac, nisi princeps gregis algere se diceret, redire ac repræsentare spectaculum voluit[3]. Duplex dehinc fama est. Alii tradunt, alloquenti pueros a tergo Chæream cervicem gladio cæsim graviter percussisse[4], præ-

artis dabant, fictum vel artificiosum sanguinem, αἷμα τεχνητόν, certatim evomentes, quum primarius actor ob fabulæ argumentum id fecisset. Male Bremius eos fuisse dicit, qui minoris momenti personas agerent (*les seconds rôles*), quamquam aliis locis apta hæc est interpretatio. Omnino de *secundarum* et *tertiarum partium actoribus* vide docte disserentem Bulenger. de Theatro, I, 7.

LVIII. 1. *Cunctatus, an ad prandium surgeret;* e theatro. Dio, LIX, 29, in ipso theatro Caium ceterosque edisse ac bibisse narrat. Auctore Josepho, Asprenas eum monuit, ut lotus pransusque reverteretur, vix differente in ipso theatro Chærea negotium, quum hora jam esset *nona* diei.

2. *Quum in crypta .... restitit.* Vide Dion. et Joseph. — *Hortareturque;* scil. ut partes suas bene agerent, quo pertinet mox *alloquenti pueros*, ut recte interpretatur Ernest., ut saltem haud necessaria videatur, quam Oudend. protulit probavitque, ingeniosa tamen conjectura Hopsii *sortireturque*, i. e. sorte disponeret, quam firmare studet loco Neron. 21, ubi de tali citharœdorum sortitione sermo.

3. *Ac, nisi.... diceret.... voluit.* Eadem forma nos, indicativo tempore subjunctivoque conjunctis, « Et il *revenait* sur ses pas pour « faire commencer le spectacle, si « le chef de la troupe ne lui *eût* pas « *dit*, etc. » Ita Claud. 58, « neque in Britanniam *transvexit*, nisi..... *explorasset;* » Tacit. Annal. XI, 34, « nec multo post .... *offerebantur* communes liberi, nisi Narcissus amoveri eos *jussisset;* » idem, cap. 37, « ni cædem Narcissus *properavisset*, *verterat* pernicies in accusatorem. » *Princeps gregis* est magister puerorum scenicorum. *Repræsentare spectaculum;* statim, e vestigio, exhibere populo.

4. *Chæream cervicem.... percus-*

missa voce, « Hoc age[5]! » dehinc Cornelium [6]Sabinum, alterum e conjuratis Tribunum, ex adverso trajecisse pectus. Alii, Sabinum, summota per conscios Centuriones turba, signum more militiæ petisse, et, Caio *Jovem* dante, Chæream exclamasse, « Accipe iratum[7]! » respicientique maxillam ictu discidisse. Jacentem, contractisque membris clamitantem[8] se vivere, ceteri vulneribus triginta confecerunt. Nam signum erat omnium, « Repete! » Qui-

sisse. Josephus Chæream narrat, quum signum petenti rursus obscœnum dedisset, primum vulnus impegisse (inter collum et humerum) non letale tamen, ita ut sine voce Caius præ dolore fugeret. Senec. de Constant. Sap. 18, « Chærea primus inter conjuratos manum sustulit; ille *cervicem mediam* uno ictu decidit; plurimum deinde undique publicas ac privatas injurias ulciscentium gladiorum ingestum est. »

5. *Hoc age!* quæ formula in sacrificiis erat solemnis, curam animosque præsentium ad actum sacrum revocans. Refert eam ad disciplinam Pythagoricam et inde ad Numæ instituta Plutarchus, Num. cap. 14, quem etiam vide Coriolan. cap. 25. De eadem plura Brisson. de Formulis, I, pag. 11 seq. Chærea scilicet ad Caium tanquam ad victimam accedens ea utebatur, atque ita Galbam etiam « obtulisse ultro jugulum, et, *ut hoc agerent* ac ferirent, quando ita videretur, hortatum » narrat Noster, cap. 24.

6. *Dehinc Cornelium Sabinum*, etc. Si fides Josepho, Caius, quum fugere conaretur, a Sabino repulsus in genua decidit, mox omnibus omnium gladiis confossus, è quibus letiferum illi vulnus Aquilas intulit.

7. *Accipe iratum!* Recepimus emendationem Lipsii, Excurs. ad Tacit. Annal. XIII, 2, probatam Gronov., Ernest., Wolfio, et plerisque, commoti tot et tantorum nominum auctoritate. Inhæret tamen animos vulg. *Accipe ratum!* quod ab auguriis ductum docet Brisson. l. c. pag. 121, ubi aves *ratum auspicium facere* dicebantur. Caius quum *Jovem* dedisset, h. e. Tonantem, Fulgurantem, Vindicem, Chærea regessit, En ratum tibi omen, en præsentem numinis vindictam! Si falsa, haud absurda tamen vulgata est lectio, eamque defendit etiam Walther. Observ. pag. 24, ex conjuncta cum nomine Jovis *fulminis*, ideoque *ictus*, *cladis*, notione.

8. *Contractisque membris clamitantem*, etc. Quid hoc sit, scire se negat Oudend., suadens *indicantem*, quod esset frigidissimum. Jacens et contractis i. e. convulsis membris præ vulnerum dolore, clamitabat se vivere. Quod Josephum, eum non clamitasse, testari dicit Oudendorp., id huc non pertinet, quum de primo Chæreæ ictu, nul-

dam etiam per obscœna ferrum adegerunt. Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus[9] in auxilium accucurrerunt: mox Germani corporis custodes: ac nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam Senatores innoxios, interemerunt[10].

LIX. Vixit annis undetriginta[1]: imperavit triennio et decem mensibus, diebusque octo[2]. Cadaver ejus clam in hortos Lamianos asportatum[3], et tumultuario rogo semiambustum, levi cespite obrutum est: postea per sorores ab exsilio reversas[4] erutum, et crematum, sepultumque. Satis constat, priusquam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos: in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumta sit. Periit una et

loque ad vulnus illud amicorum auxilio implorato, ibi sermo sit.

9. *Cum asseribus*; quibus lecticam imponere solebant.

10. *Mox Germani.... interemerunt.* Longa Josephi est narratio de Germanorum furore. Interemtos ab iis tradit Asprenatem, Norbanum, Anteium cum paucis aliis, totumque theatrum strictis gladiis circumdatum, donec Aruntius, certo de Caii morte allato nuncio, gratiaque tumultum sedaret. Conf. Dio, LIX, 30.

LIX. 1. *Vixit annis undetriginta.* Natus prid. Kal. Sept. ann. 765 (vide cap. 8), periit IX Kal. Februar. ann. 794. Vixit igitur annos 28 cum quinque fere mensibus, atque accuratius ita Eutrop. VII, 7, « interfectus in Palatio est anno ætatis suæ *XXVIII*. » Nostro etiam loco nonnulli *XXVIII*; sed vulgata rectior; solet enim auctor numero rotundo uti.

2. *Imperavit.... diebusque octo*; calculo inito a morte Tiberii, quæ incidit, auctore Sueton. cap. 73, in XVII Kalend. April. ann. 790. Dio, LIX, 30, triennio et menses novem cum diebus 28 imperasse dicit, cujus verba Casaubonus frustra sollicitat, oblitus, Dionem Tiberii mortem referre ad VII Kal. April. Josephus, XIX, 2, numero rotundo, τέταρτον ἐνιαυτὸν ἡγεμονεύσας Ῥωμαίων, λείποντα τεσσάρων μηνῶν. Aliorum numeros attulit Fabricius ad Dion. loc. cit.

3. *In hortos Lamianos asportatum.* De his hortis, juxta Mæcenatianos sitis, vide Nardin. Rom. Vet. IV, 2, et Borrichii Ant. Urb. Rom. Fac. cap. 7. Gens *Lamia* nobilitate et originis, quam ferebat, antiquitate erat illustris. Cf. Horat. Carm. III, 17, 1.

4. *Ab exsilio reversas*; quum illas revocasset Claudius. Conf. Dio, LX, 4.

uxor Cæsonia[5], gladio a Centurione confossa, et filia parieti illisa.

LX. Conditionem temporum illorum etiam per hæc existimare quivis possit[1]. Nam neque cæde vulgata statim creditum est[2]: fuitque suspicio, ab ipso Caio famam cædis simulatam et emissam, ut eo pacto hominum erga se mentes deprehenderet; neque conjurati cuiquam imperium destinaverunt. Et Senatus in asserenda [3]libertate adeo consensit, ut Consules primo non in Curiam, quia Julia vocabatur[4], sed in Capitolium convocarint; quidam vero, sententiæ loco, abolendam Cæsarum memoriam, ac diruenda templa, censuerint. Observatum autem notatumque est inprimis, Cæsares omnes, quibus Caii prænomen fuerit[5], ferro perisse, jam inde ab eo, qui Cinnanis temporibus sit occisus[6].

5. *Periit.... et uxor Cæsonia.* Cf. Dio, LIX, 29. Interemta est, auctore Joseph. XIX, 2, a Julio Lupo, Tribuno militum, misso ad hoc negotium a Chærea.

LX. 1. *Conditionem... existimare quivis possit.* Terent. Heautont. II, 3, 41, (ed. nost. v. 282):

... ea tum res dedit *existimandi* copiam,
Quotidianæ vitæ *consuetudinem*;

et Hecyr. I, 2, 88, (ed. nost. v. 163):

ad exemplum amborum *mores* earum *existimans*.

Ernest., qui hoc loco restituit *æstimare*, bene edidit defenditque « *existimari* (i. e. judicari) a medicis jubet » apud Tacit. Hist. IV, 81.

2. *Nam neque cæde vulgata statim creditum est.* Cf. Jos. XIX, 1.

3. *In asserenda libertate*, etc. Vide Claud. 10.

4. *Quia Julia vocabatur.* Hanc Curiam, destructa Curia Hostilia, Cæsari ædificandam suoque nomine appellandam demandaverat Senatus (Dio, XLIV, 5); post Cæsaris mortem ædificaverant Triumviri (idem, XLVII, 19); dedicaverat Augustus (idem, LI, 22). Mox dedimus ex more Suetonii *convocarint* et *censuerint*. Vulg. *convocarent* et *censuerunt*, quod ab aliis mutatum in *censerent*.

5. *Fuerit.* Ita recte reposuerunt Ernest. et Oudend. ob sequens *sit occisus*, unde patet, constructionem pendere a verbo *notatum est*. Nam alias auctor non minus bene dicere potuisset, quod habent plures, *fuit*, ex veritate historica, non ex sententia aliorum. Caium autem Cæsarem, Dictatoris patrem, sua morte periisse, docet locus Plinii, ad Cæs. cap. 1 citatus, morboque etiam Caium, Augusti ex Julia et Agrippa nepotem, quos citavimus ad August. cap. 65. Idem monuit jam Torrentius.


6. *Qui Cinnanis temporibus sit*

occisus; cum L. Julio fratre, hospitis Etrusci scelere proditus, ut narrat Cic. de Orat. III, 3. Cf. Appian. Bell. Civ. I, 72. Factum ann. 667. — Notatis in Caium finem faciant, quæ summo viro (Montesquieu, *Grandeur et Décadence*, etc. cap. XV) suggerit Princeps turpissimus: « C'est ici qu'il faut se donner le « spectacle des choses humaines. « Qu'on voie, dans l'histoire de « Rome, tant de guerres entrepri- « ses, tant de sang répandu, tant « de peuples détruits, tant de gran- « des actions, tant de triomphes, « tant de politique, de sagesse, de « prudence, de constance, de cou- « rage : ce projet d'envahir tout, si « bien formé, si bien soutenu, si « bien fini, à quoi aboutit-il, qu'à « assouvir le bonheur de cinq ou « six monstres? Quoi! ce sénat n'a- « vait fait évanouir tant de rois, « que pour tomber lui-même dans « le plus bas esclavage de quelques- « uns de ses plus indignes citoyens, « et s'exterminer par ses propres « arrêts! On n'élève donc sa puis- « sance, que pour la voir mieux « renversée! les hommes ne tra- « vaillent à augmenter leur pou- « voir, que pour le voir tomber « contre eux-mêmes dans de plus « heureuses mains! »

CLAUDIUS.



CLAUDIUS.



Laguiche del.t et dir.t Sardeniers sculp.t

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

[illegible]TONII TRANQUILLI

[illegible]IUS CLAUDIUS

D[illegible]US.

[illegible] olim D[illegible] [illegible] peperit [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible] honore [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] etiam [illegible]

[illegible], auctore No- gistratus uno eum anno gessisse, stro August. 63, prognato, confundit, immaturum partum ipse edit, immemor eorum, quæ ad haud probabile est, et quod *confestim post præturam consulatum iniisse* dicitur, qui incidit in ann.



Laguiche del.t et dir.t — Sixdeniers sculp.t

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

C. SUETONII TRANQUILLI

TIBERIUS CLAUDIUS

DRUSUS.*

CAP. I. PATREM Claudii Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia, quum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium[1] peperit: fuitque suspicio, ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est versus:

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Is Drusus in quæsturæ præturæque honore dux Rætici, deinde Germanici belli[2], Oceanum septemtrionalem pri-

* *Tiberius Claudius Drusus*. Dio, LX, 2, Xiphil. et Zonaras: Τιβέριος Κλαύδιος Νέρων Γερμανικός. *Nero*, quod nomen habet alter Cod., cap. 2, dicitur etiam a Vopisc. Aurelian. 21; *Tiberius* infra cap. 4, ab Augusto. De *Germanici* cognomine assumto Noster cap. 2 exponit. Vide Fabric. ad Dion. l. c.

I. 1. *Intra mensem tertium*. Cf. Dio, XLVIII, 44. Burm. ad locum nostrum, dum Drusum cum *immaturo infante*, postea ex Augusti Liviæque matrimonio, auctore Nostro August. 63, prognato, confundit, immaturum partum ipse edit, immemor eorum, quæ ad Aug. l. c. recte notaverat, nisi quod ibi etiam lectorem ad notata ad Claud. ablegat.

2. *Dux Rætici... belli;* ann. 739. Cf. Dio, LIV, 22; Vell. II, 95; et notata a nobis ad August. 21, et Tiber. 9. — Romam Drusus reversus (quum hactenus Quæstor fuisset), Ædilis ann. 743 factus est (Dio, LIV, 32), eodemque auctore, cap. 34, Prætor eodem anno, quamquam prætura ad ann. 744 potius pertinere videtur, quod duos magistratus uno eum anno gessisse, haud probabile est, et quod *confestim post præturam consulatum iniisse* dicitur, qui incidit in ann.

mus Romanorum ducum navigavit: trans Rhenum fossas novi et immensi operis effecit, quæ nunc adhuc *Drusinæ* vocantur[3]: hostem etiam frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris[4], humana amplior, victorem tendere ultra, sermone Latino prohibuisset. Quas ob res ovandi jus et triumphalia ornamenta [5] percepit; ac post præturam confestim inito consulatu, atque expeditione repetita, supremum diem morbo obiit[6] in æstivis castris, quæ ex eo *Scelerata* sunt appellata. Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad Urbem devectum, sepultumque est in campo Martio[7]. Ceterum exercitus ho-

745, ut Dio, LV, 1. Ræticum illud bellum celebrat Horatius in carmine notissimo, IV, 4,

Qualem ministrum fulminis alitem, etc.

— *Deinde Germanici;* ann. 742 et 743. Vide Dion. LIV, 32 seq. Tacit. Germ. 34: cf. Mannert. tom. III, pag. 63 seq.

3. *Fossas.... quæ.... Drusinæ vocantur. Fossam Drusianam* Tacitus dicit, Annal. II, 8. De loco vide Cell. Geogr. Ant. II, 3, p. 261 seq. *Aggerem* etiam coercendo Rheno a Druso inchoatum, qui conjunctusne fuerit cum fossa illa, incertum, memorat Tacit. Annal. XIII, 53; Hist. V, 19.

4. *Quam species barbaræ mulieris,* etc. Dio, LV, 1, ubi vide Fabricium, de hoc et similibus spectris disserentem.

5. *Ovandi jus.... percepit;* ann. 743. Dio, LIV, 33.

6. *Supremum diem... obiit;* ann. 745, in consulatu, ac statim post visum illud, secundum Dion. LV, 1. Livius, Epit. CXL, « Drusus a fractura, equo super crus ejus collapso, tricesimo die, quam id acciderat, mortuus est. » — *Scelerata.* Ita, auctore Floro, I, 12, 2, « *scelerato* signata nomine, quæ proficiscentes in prælium Fabios porta dimisit, » ubi Dukerus: « *Sceleratus* interdum significationem calamitatis habet (citat locum nostrum, et *sceleratum frigus* Virgil. Georg. II, 256), et *scelus* pro calamitate, infortunio. Guyet. ad Terent. Eunuch. II, 3, 34. »

7. *Corpus ejus.... sepultumque est in campo Martio.* Livius, l. c. « Corpus a Nerone fratre, qui nuncio valetudinis evocatus raptim accurrerat, Romam pervectum, et in C. Julii tumulo conditum. Laudatus est a Cæsare Augusto vitrico, et supremis ejus plures honores additi. » Dio, LV, 2. Cf. etiam ad Tiber. 7, et Senec. Consol. ad Polyb. cap. 34. — *Scribarum*, scil. publicorum, de quibus vide Ernest. Clav. Cicer. Scribarum aliarumque magistratuum operarum *decurias*

norarium ei tumulum excitavit[8], circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent. Præterea Senatus inter alia complura, marmoreum arcum[9] cum tropæis via Appia decrevit, et Germanici cognomen[10] ipsi posterisque ejus. Fuisse autem creditur non minus gloriosi, quam civilis animi[11]. Nam ex hoste super victorias opima quoque spolia captasse, summoque sæpius discrimine duces Germanorum tota acie insectatus: nec dissimulasse unquam, pristinum se Reipublicæ statum, quandoque [12]posset,

dicit Noster, August. 57, ubi vide Grævii notam, a nobis datam. — *Ad Urbem*. Oudendorpii nota est: « Male Casaub. ait, *ad* hoc loco valere *in*. Devectum est cadaver *ad Urbem* a municipiorum et coloniarum primoribus, *in Urbem* vero a scribarum decuriis, et hinc e Foro ab Equitibus in campum Martium elatum ibique sepultum. Vide Perizon. ad Sanctii Minerv. IV, 6, § 1. » Cf. Dio, l. c.

8. *Honorarium ei tumulum excitavit;* cenotaphium. Conf. Dio, l. c. *Aram Druso sitam* inter Rhenum et Luppiam flumen commemorat Tacit. Annal. II, 7, quam superimpositam fuisse puto tumulo, ut apud Virgil. Æneid. III, 304,

Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad *tumulum*, viridi quem cespite *inanem*,
Et geminas, causam lacrimis, sacraverat *aras*.

Id patere ex iis, quæ addit Noster, *Galliarumque civitates publice supplicarent*, monuit jam Lips. ad Tacit. l. c. Ceterum cum Oudendorp. ad locum nostr. et Oberlin. ad Tacit. diversum existimo hunc tumulum a *monumento Drusi apud Moguntiacum*, cujus mentio apud Eutrop. VII, 8, et vestigia hodie servantur in nomine *Drusiloch*, hoc est, *Drusi locus*, de quo adi Burmann. — *Circa quem.... quotannis miles decurreret*. Copiose de hoc περιδρομῆς honore funebri, quem contigisse etiam Augusto narrat Dio, LVI, 42, describitque in funere Severi Herodianus, IV, 2, egit Kirchmann. de Funer. Roman. III, 3, pag. 212 seq.

9. *Marmoreum arcum*, etc. Ἁψὶς dicitur Dioni, LV, 2. Id. LVI, 17, ἁψῖδες τροπαιοφόροι, et LX, 22, ἁψὶς τροπαιοφόρος, ad quæ loca Fabric.

10. *Et Germanici cognomen*, etc. Dio, LV, 2, Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθείς, unde Claudius Germanici habet cognomen apud Dion. LX, 2 (vide not. ad init. hujus cap.), Joseph. XIX, 5, et in numis, quos dat Patinus ad h. l.

11. *Non minus gloriosi, quam civilis animi*. Vell. II, 97: « adolescens tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria perficit; cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. »

12. *Quandoque posset*. Ita Memm.

restituturum. Unde existimo, nonnullos tradere ausos, suspectum eum Augusto, revocatumque ex provincia, et, quia cunctaretur, interceptum veneno. Quod equidem magis, ne prætermitterem, retuli, quam quia verum aut verisimile putem; quum Augustus tanto opere et vivum dilexerit, ut coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in Senatu professus est, et defunctum ita pro concione laudaverit, ut Deos precatus sit, « similes ei Cæsares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent. » Nec contentus elogium tumulo ejus versibus a se compositis exsculpsisse, etiam vitæ memoriam prosa oratione composuit. Ex Antonia minore complures quidem liberos tulit; verum tres omnino reliquit, Germanicum, Livillam, Claudium.

II. Claudius natus est, Iulo Antonio, Fabio Africano Consulibus[1], Kalendis Augustis, Lugduni[2], eo ipso die,

liber. Al. *quandocunque posset*, vel *quandoque restituturum, si posset;* utrumque, si quid video, ex correctione.

II. 1. *Iulo Antonio, Fabio Africano Consulibus;* ann. 744. Consentit Dio, LX, 2, ἦγε πεντακοστὸν ἔτος τῆς ἡλικίας, quum imperium capesseret ann. 794. *Iulus* autem (hoc enim prænomen pro *Julio* ex Horat. Carm. IV, 2, 2, ei asserunt Lips. ad Tacit. Annal. I, 10, interpr. ad nostr. locum, Reimar. ad Dion. LIV, 26 et 36, et LV, 10, et quos alios laudat Kraus. ad Vell. II, 100) M. Antonii Triumviri erat filius, ob adulterium cum Julia Augusti filia necatus ann. 752: vide Dion. Tacit. Vell. locis cit. Alteri Consuli, Fabio *Maximo* (ut dicitur Dion. LIV, 36), *Africani* agnomen, quod ad Antonium pertineat, scriptoris vel librarii errore adhæsisse, judicant Lips. l. c. Sigonius, Casaub. Sed jure defendit Nostrum Grævius ex indice Consulum ante Dionis librum LIV, ubi K. Φάβιος K. υἱ. Ἀφρικανὸς dicitur, et ex Excerpt. Chron. Euseb. a Scaligero publicatis, ex numo denique aureo apud Goltzium, in quo, *Iul. Anton. M. F. Q. Mx. African.* Lipsium reprehendit etiam Reines. ad marginem, ob Africani agnomen Antonio temere impositum.

2. *Lugduni.* Seneca, in Apocolocynt. « Lugduni natus est.... ad XVI lapidem a Vienna natus est. Gallus germanus. Itaque quod Gallum facere oportebat, Romam cepit, etc. » — De *ara Augusti* vide ad Calig. 20. Biennio autem ante Claudii natales illam dedicatam fuisse, *anniversarium* igitur dedi-

quo primum ara ibi Augusto dedicata est, appellatusque Tiberius Claudius Drusus. Mox, fratre majore in Juliam familiam adoptato, Germanici cognomen assumsit[3]. Infans autem relictus a patre, ac per omne fere pueritiæ atque adolescentiæ tempus variis et tenacibus morbis conflictatus est; adeo, ut animo simul et corpore hebetato, ne progressa quidem ætate ulli publico privatove muneri habilis existimaretur. Diu, atque etiam post tutelam receptam[4], alieni arbitrii, et sub pædagogo fuit; quem « barbarum et olim superjumentarium, ex industria sibi appositum, ut se quibuscunque de causis quam sævissime coerceret, » ipse quodam libello conqueritur. Ob hanc eandem valetudinem et gladiatorio munere[5], quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præsedit; et togæ virilis die, circa mediam noctem, sine sollemni officio[6], lectica in Capitolium latus est.

III. Disciplinis tamen liberalibus[1] ab ætate prima non

cationis diem hoc loco dici, recte monent ex Dione, LIV, 32, et Liv. Epit. CXXXVII, Ernest. et Oudendorpius.

3. *Germanici cognomen assumsit.* Vide not. ad cap. 1.

4. *Post tutelam receptam;* hoc est, ut explicavit Torrentius, postquam sui juris effectus in tutorum esse potestate desiisset, peculiari jurisconsult. loquendi formula, « apud quos pupillus *suæ tutelæ effici* et *in tutelam suam venire* dicitur, quum pubertatis annos attigit. Quibus verbis usus etiam sic Cicero est. » *In tutelam suam venire* dicit Cic. de Orat. I, 39.

5. *Gladiatorio munere, quod,* etc. ann. 759. Dio, LV, 27.—*Palliolatus.* Quintil. XI, 3, 144, « *Palliolum*, sicut fascias, quibus crura vestiuntur, et focalia, et aurium ligamenta sola excusare potest valetudo. » Plura de hoc capitis tegmine, ab ægrotis, mollibus, meretricibus etiam gestato, dat Salmasius ad Vopisc. Aurelian. c. 45. Cf. Ferrar. de Re Vestiar. I, 11, et part. II, lib. IV, cap. 23 (Thes. Græv. tom. VI, pag. 640 et 910), et Kirchmann. de Fun. Rom. IV, 9, pag. 403.

6. *Sine sollemni officio;* id est, *sine ullo honore*, ut supra dicitur, Calig. 10.

III. 1. *Disciplinis tamen liberalibus*, etc. Vide infra, cap. 41 et 42; Dion. LX, 2. Tacit. Annal. VI, 46, « composita ætate bonarum artium cupiens » fuisse dicitur.

mediocrem operam dedit, ac sæpe experimenta cujusque etiam publicavit. Verum ne sic quidem quicquam dignitatis assequi, aut spem de se commodiorem in posterum facere potuit. Mater Antonia « portentum eum hominis » dictitabat, « nec absolutum a natura, sed tantum inchoatum: » ac si quem socordiæ argueret, « stultiorem» aiebat « filio suo Claudio. » Avia Augusta pro despectissimo semper habuit: non affari, nisi rarissime; non monere, nisi acerbo et brevi scripto, aut per internuncios, solita. Soror Livilla quum audisset, ipsum quandoque imperaturum, tam iniquam et tam indignam sortem populi Romani palam et clare detestata est. Nam et avunculus major Augustus[2] quid de eo in utramque partem opinatus sit, quo certius cognoscatur, capita ex ipsius epistolis posui.

IV. « Collocutus sum cum Tiberio, ut mandasti, mea Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum esset ludis Martialibus[1]. Consentit autem uterque nostrum, semel nobis esse statuendum, quod consilium in illo sequamur. Nam si est ἄρτιος, et, ut ita dicam, ὁλόκληρος, quid est, quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater ejus productus fuit? Sin autem ἠλαττῶσθαι sentimus eum, καὶ βεβλάφθαι, καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος, καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα[2], præbenda materia

2. *Avunculus major Augustus;* ob sororem Octaviam, matrem Antoniæ, matris Claudii.

IV. 1. *Ludis Martialibus;* sine dubio, qui celebrati sunt ab Augusto ann. 765, quo annos 21 natus erat Claudius. Cf. Dio, LVI, 27. Eos Kal. August. non ob Claudii natales, sed dedicatum eo die Martis templum (cf. August. 29) celebratos dicit idem Dio, VI, 5. Vide Fabric. ad priorem loc. LVI, 27.

2. Εἰς τὴν τοῦ σώματος.... ἀρτιότητα. Dio, LX, 2, τὸ δὲ δὴ σῶμα νοσώδης, ὥστε καὶ τῇ κεφαλῇ καὶ ταῖς χερσὶν ὑποτρέμειν· καὶ διὰ τοῦτο καὶ τῷ φωνήματι ἐσφάλλετο. Vide infra ad cap. 30. Antea cum Oudendorpio edidimus ἠλαττῶσθαι ob sequens βεβλάφθαι. Politianus mutaverat ἐλαττοῦσθαι, quod alie-

deridendi et illum et nos non est hominibus, τὰ τοιαῦτα σκώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσι. Nam semper æstuabimus, si de singulis articulis temporum deliberabimus, μὴ προϋποκειμένου[3] ἡμῖν, posse eum gerere honores arbitremur, nec ne. In præsentia tamen, quibus de rebus consulis, curare eum ludis Martialibus triclinium sacerdotum, non displicet nobis, si est passurus, se ab Silani filio[4], homine sibi affini, admoneri, ne quid faciat, quod conspici[5] et derideri possit. Spectare eum Circenses ex pulvinari, non placet nobis. Expositus enim in prima fronte spectaculorum conspicietur. In Albanum montem ire eum, non placet nobis, aut esse Romæ Latinarum diebus[6]. Cur enim non præficitur Urbi, si potest fratrem suum sequi in montem? Habes nostras, mea Livia, sententias, quibus placet semel de tota re aliquid constitui, ne semper inter spem et metum fluctuemus. Licebit autem, si voles, Antoniæ quoque nostræ des hanc partem epistolæ hujus legendam.» Rursus alteris literis[7]: «Tiberium adole-

nam infert verbi vim. Tacit. Annal. VI, 46, «Etiam de Claudio agitanti (Tiberio), quod is, composita ætate, bonarum artium cupiens erat, *imminuta mens ejus* obstitit,» haud dubie ex hac Augusti epistola.

3. *Μὴ προϋποκειμένου* absolute. Ita servavimus cum Oudendorp. Alii faciliorem dant lectionem, μὴ προϋποκειμένου.

4. *Ab Silani filio. Appium Junium Silanum* intelligit Lipsius ad Tacit. Annal. XIII, 1, Æmiliæ Lepidæ, proneptis Augusti, maritum, qui *consocer Claudii* dicitur infra c. 29. Assentitur Reines.

5. *Conspici.* Vide Gronov. ad Tacit. Annal. XII, 49, et Liv. IV, 13. Ita nos, *être remarqué*.

6. *Latinarum diebus.* Vide ad Cæs. cap. 79.

7. *Rursus alteris literis.* Reines. ad h. l. notavit: «Hæc epistola non videtur de Tiberio nepote Liviæ, sed de Tiberio privigno suo, post Imperatore, loqui Augustus. Non potuit enim Athenodorus ad Claudii tempora pertingere ætate, quod e Strabone, XIV (cap. IV, § 14), liquet. Senex enim in patriam Tarsum venit, paullo ante quam Antonius everteretur, quod factum ann. 723, ibique Rempublicam rexit usque ad mortem.» Sed postea hanc notam retractavit, his additis verbis: «nisi alius hic Athenodorus est a Tarsensi, quod verius.» Hoc unice verum. Haud adeo incuriosus scriptor est Sue-

scentem ego vero, dum tu aberis, quotidie invitabo ad cœnam, ne solus cœnet cum suo Sulpicio et Athenodoro. Qui vellem, diligentius et minus μετεώρως deligeret[8] sibi aliquem, cujus motum, et habitum, et incessum imitaretur, misellus;

Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖς σπουδαίοις λίαν·

ubi non aberravit ejus animus, satis apparet ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια.» Item tertiis literis: «Tiberium nepotem tuum placere mihi[9] declamantem potuisse, peream, nisi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς[10] loquatur, qui possit, quum declamat, σαφῶς dicere, quæ dicenda sunt, non video.» Nec dubium est, quid post hæc Augustus constituerit, et reliquerit[11] eum nullo, præter auguralis sacerdotii, honore impertitum, ac ne heredem quidem, nisi inter tertios ac pæne extraneos, et parte sexta nuncupa-

tonius, ut de Claudio scriptam epistolam prodiderit, quæ de Tiberio ageret.

8. *Qui vellem.... deligeret*, etc. Burmann. Ernest. Oudend. malunt *deligerent*, ut referatur *Qui deligerent* ad pædagogos Claudii, Sulpicium et Athenodorum. Wolfius coactam dat interpretationem: «Vellem, alium quemdam, quam Sulpicium, sibi deligeret Athenodorus.» Servavimus vulg. sed interpunctione mutata, hoc sensu: *Qui*, hoc est, *Quam* vellem, misellus (Claudius) aliquem sibi deligeret, etc.

9. *Mihi*. Jure hoc defendit Wolf. contra Burmann. suadentem *tibi*, et Ernest. deleri jubentem. Ipse, Augustus dicit, rationem reddere mihi nequeo, cur placere mihi potuerit Claudius. Antea servavi *Item*, ob præced. *Rursus alteris literis*. Wolf. dedit *Idem*. Sed hoc magis valet in transitu ad oppositum genus, non ubi in eodem argumento pergitur. Vide not. ad Cæs. 58.

10. *Tam ἀσαφῶς*. Seneca, in Apocoloc. Claudio tribuit «vocem nullius terrestris animalis, sed, qualis esse marinis belluis solet, *raucam et implicatam*.»

11. *Quid.... constituerit, et reliquerit*, etc. Inepta est, quæ in nonnullis reperitur, mutatio *quin*, neque cum Steph. et Ernest. inserendum *quum* vel *qui* ante *et reliquerit*, quod ipsum *et* additum fieri vetat. Ingrata quidem est scriptoris negligentia in conjungendis commatibus, pro *relicto eo* (quod dicere noluit ob sequentes ablativos *nullo honore*), ideo tamen non expungenda. Negligentius quandoque Suetonius lingua sua usus est, uti sæpissime inter nos homines vel optimis literis et omni disciplina exculti.

rit, legato quoque[12] non amplius, quam octingentorum sestertiorum, prosecutus.

V. Tiberius patruus petenti honores consularia ornamenta detulit. Sed instantius legitimos flagitanti, id solum codicillis rescripsit, « Quadraginta aureos in Saturnalia et Sigillaria[1] misisse ei. » Tunc demum, abjecta spe dignitatis, ad otium concessit, modo in hortis et[2] suburbano, modo in Campaniæ secessu delitescens; atque ex contubernio sordidissimorum hominum[3], super veterem segnitiæ notam, ebrietatis quoque et aleæ[4] infamiam subiit.

VI. Quum interim, quamquam hoc modo agenti, nunquam aut officium hominum, aut reverentia publica defuit[1]. Equester ordo bis patronum eum perferendæ pro

12. *Legato quoque.* Ita edidimus cum Wolfio, de sententia Ernest. et Oudend. pro *legatoque*. Sic fere cap. 6, « in tertiis heredibus.... nuncupatum, legato *etiam*.... prosecutus, etc. »

V. 1. *Et Sigillaria*, etc. Macr. I, 10: « Saturnalia uno tantum die, i. e. XIV Kal. (Januar.) solita celebrari; sed post in triduum propagata, primum ex adjectis a Cæsare huic mensi diebus, deinde ex edicto Augusti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. A XVI igitur cœpta in XIV desinunt, quo solo fieri ante consueverant: sed *Sigillariorum* adjecta celebritas in septem dies discursum publicum et lætitiam religionis extendit. » De origine hujus festi et nominis exponit ipse, cap. 11. Ceterum, contumelia in eo maxima fuit, quod magistratum petenti ad servorum puerorumque lusus pecuniam misit.

2. *Suburbano;* substantive positum intellige. Al. *suburbana domo*.

3. *Ex contubernio sordidissimorum hominum.* Tacit. Annal. XII, 49, « Erat Cappadociæ Procurator, Julius Pelignus, ignavi animi, et deridiculo corporis juxta despiciendus; sed Claudio perquam familiaris, *quum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret.* »

4. *Ebrietatis quoque et aleæ*, etc. Vide cap. 33.

VI. 1. *Quum interim..... nunquam.... defuit.* Nolui cum Bremio et Wolfio hoc comma superiori capiti attexere, quum novum argumentum, de quo auctor exponere incipit, exordiatur, neque me movet, quod ἀπόδοσις deest. Sententia enim cum superioribus adhuc est conjuncta, præsertim quum antiqui scriptores capita nostro more discernere non solerent. Placet tamen, quod est in margine nonnullorum librorum, *Cui interim*, etc.

se legationis elegit[2] : semel, quum deportandum Romam corpus Augusti humeris suis a Consulibus exposcerent; iterum, quum oppressum Sejanum apud eosdem gratularentur[3]. Quin et spectaculis advenienti assurgere, et lacernas deponere[4] solebant. Senatus quoque, ut ad numerum sodalium Augustalium[5] sorte ductorum extra ordinem adjiceretur, censuit; et mox, ut domus ei, quam incendio amiserat, publica impensa restitueretur, dicendæque inter Consulares sententiæ jus esset. Quod decretum abolitum est, excusante Tiberio imbecillitatem ejus, ac damnum liberalitate sua resarturum pollicente. Qui tamen moriens et in tertiis heredibus eum ex parte tertia nuncupatum, legato etiam circa sestertium vicies prosecutus, commendavit insuper exercitibus, ac Senatui populoque Romano inter ceteras necessitudines nominatim.

VII. Sub Caio demum fratris filio, secundam existimationem circa initia imperii omnibus lenociniis colligente, honores auspicatus, consulatum gessit[1] una per duos menses : evenitque, ut primitus ingredienti cum fascibus Forum, prætervolans aquila dexteriore humero consideret. Sortitus est et de altero consulatu[2] in quartum an-

2. *Bis patronum eum.... elegit.* Tertiam legationem memorat Dio, LIX, 6, ubi a Caio consulatus collegam assumtum narrat. Ann. 790.

3. *Exposcerent... gratularentur;* scil. Equites. Al. *exposceretur* et *gratularetur.* Illud exquisitius, et a scriptoris manu profectum.

4. *Et lacernas deponere;* superindutas togis, ob tempestatis injuriam. Sic nos pallia ponimus adeuntes, qui loco sunt superiores, vel illis intrantibus. Cf. etiam Ferrar. de Re Vestiar. part. II, lib. I, cap. 29 (Thes. tom. VI, p. 822).

5. *Ad numerum sodalium Augustalium;* ann. 767. Tacit. Annal. I, 54 : « Idem annus novas cerimonias accepit; addito *sodalium Augustalium* sacerdotio; ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. *Sorte ducti* e primoribus civitatis unus et viginti; Tiberius Drususque et *Claudius* et Germanicus adjiciuntur. »

VII. 1. *Consulatum gessit*, etc. ann. 790. Vide Calig. 15, et Dion. LIX, 6.

2. *Sortitus est et de altero consulatu*, etc. Nisi cui præproperæ Gro-

num; præseditque nonnunquam spectaculis in Caii vicem, acclamante populo, « Feliciter, » partim « patruo Imperatoris, » partim « Germanici fratri. »

VIII. Nec eo minus contumeliis obnoxius[1] vixit. Nam et si paulo serius ad prædictam cœnæ horam occurrisset, non nisi ægre, et circuito demum triclinio, recipiebatur: et, quoties post cibum addormisceret, quod ei fere accidebat, olearum ac palmularum ossibus incessebatur: interdum ferula flagrove, velut per ludum, excitabatur a copreis. Solebant et manibus stertentis socci induci, ut repente expergefactus faciem sibi confricaret.

IX. Sed ne discriminibus quidem caruit: primum in ipso consulatu, quod Neronis et Drusi, fratrum Cæsaris, statuas segnius locandas ponendasque curasset, pæne honore summotus est; deinde, extraneo vel etiam domesticorum aliquo deferente, assidue varieque inquietatus. Quum vero detecta esset Lepidi et Gætulici[1] conjuratio, missus in Germaniam[2] inter legatos ad gratulandum, etiam vitæ periculum adiit: indignante ac fremente Caio, patruum potissimum ad se missum, quasi ad puerum regendum; adeo, ut non defuerint, qui traderent, præci-

noviorum placent emendationes, patris, « Sortitus est et de *proconsulatu in sextum* annum, » filii, « de *Asiæ proconsulatu*, » quæ tamen jure nullum tulere punctum, id tenendum est, quod Burmann. et Ernest. statuerunt, Caium, quamvis restituta populo comitiorum specie, Cæsaris exemplo in plures annos Consules nominasse, relicta de anno, quo magistratum inirent, sortitione. Claudio igitur, finito ann. 791 primo consulatu, altera sors cecidit in ann. 795, quo suo jure hanc dignitatem obtinuit.

VIII. 1. *Contumeliis obnoxius.* Calig. 23, « Nam Claudium patruum non nisi in ludibrium reservavit. » Senec. Apocol. fin. « Apparuit subito C. Cæsar, et petere illum in servitutem cœpit; producit testes, *qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem.* » — De *copreis*, Tiber. 61.

IX. 1. *Lepidi et Gætulici conjuratio*; ann. 792. Dio, LIX, 22. De *Lepido* vide quæ diximus ad Calig. 24; de *Gætulico* ad eumdem, c. 8.

2. *Missus in Germaniam*, etc. Conf. Dio, cap. 23.

pitatum quoque in flumen, sicut vestitus advenerat. Atque ex eo nunquam non in Senatu novissimus consularium sententiam dixit, ignominiæ causa post omnes interrogatus[3]. Etiam cognitio falsi testamenti recepta est[4], in quo et ipse signaverat. Postremo etiam sestertium octogies pro introitu novi sacerdotii[5] coactus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit[6], ut, quum obligatam ærario fidem[7] liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit sub edicto Præfectorum[8].

3. *Novissimus... interrogatus.* Cf. not. ad Cæs. 21.

4. *Recepta est;* admissa in Senatu, non rejecta, quamquam signum patrui Principis satis ad fidem testamenti valere debuisset.

5. *Pro introitu novi sacerdotii;* quod nempe sibi Caius instituerat (vide Calig. 22). *Centies* HS. pendere cogebantur qui adepti erant. In hoc et ipse Caius, et uxor Cæsonia, et Incitatus equus, et Claudius patruus ascripti fuere. Dio, LIX, 28. Cur Ernest. vexet verbum *impendere* (quod de pecunia *aditiali* recte interpretantur Gronov. ad Tacit. Annal. II, 65, et Burm. ad h. l. coll. Plin. Epist. X, 113), legendum censens *pendere*, non video. Nam *impendebat* etiam in sacerdotium recens initum, quod *pendebat.*

6. *Decidit;* e conditione rerum suarum feliciore ad angustias dejectus est. Non est igitur, quod mutes cum Ernest. *recidit.* Utrumque verbum mutationem in pejus significat, illud adjuncta loci, hoc temporis notione. Et vulgatam, retractata sententia, tuetur Ernest. ad Tacit. Annal. II, 38, ubi, « quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam *delaberetur.* » Ita nos Galli *déchoir.*

7. *Obligatam ærario fidem;* ex quo mutuam sumserat pecuniam illam, quam de suo numerare haud potuerat, obligatis prædiis (*en donnant hypothèque sur ses biens*).

8. *In vacuum.... Præfectorum.* Quum dissolvere contractum æs alienum non posset, possessiones ejus sive prædia obligata ærario *edicto Præfectorum* (scil. ærario, h. e. eo tempore Prætorum ex instituto Augusti, cujus Vitam vide cap. 36, mutato serius a Claudio, vide c. 24, ut adeo haud opus sit correctione *Prætorum*, quam protulit Loens. Epiphyll. IX, 1) præscripta sunt ut venalia, ut ex pretio inde percepto ærario satisfieret, unde ipse *venalis pependisse* eodem modo, quo *proscriptus, publicatus aliquis*, dicitur, pro bonis, de quo loquendi genere vide Broukhus. et Burm. ad h. l. Harduin. ad Plin. Hist. Nat. XIII, 15 (29), et infra Domit. 9, « rei, *qui* ante quinquennium proximum apud ærarium *pependissent.* » Id factum *lege prædiatoria*, qua obligata publico prædia eorum, qui solvendo non essent, venibant, de qua post Sal-

X. Per hæc ac talia [1] maxima ætatis parte transacta, quinquagesimo anno [2] imperium cepit, quantumvis mirabili casu. Exclusus inter ceteros ab insidiatoribus Caii, quum, quasi secretum eo desiderante, turbam summoverent, in diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat. Neque multo post rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximum [3], interque prætenta foribus vela se abdidit: latentem discurrens forte gregarius miles, animadversis pedibus, e studio sciscitandi, quisnam esset,

mas. (de Modo Usur. c. 16) vide Ernest. Clav. Cicer. in *prædiatorius*. Restant verba *in vacuum*, dubiæ interpretationis. Torrent. explicat, « bona proscripta fuisse, tanquam *vacua* aut *vacantia*, h. e. quæ sine domino esse viderentur, donec in fiscum cogerentur. » Salmas. cum aliis *frustra* (ex Gloss. εἰς μάτην, *frustra, in vacuum*), h. e. *nemine se emtorem profitente*, quod probat etiam Wolfius. Ernest. cum Gronov. et Oudend., « contumeliæ tantum et sollicitudinis injiciendæ causa, non, ut auctio fieret. » Jejuna est aliorum explicatio *in aerem*, quam attigisse sat est. Equidem *in vacuum* esse puto, « in residuam æris alieni partem, sive ad dissolvendum, quod deerat ad totam summam, ærario debitam; » vel omnino, « ut liberaretur: » Quum obligatam fidem pecunia redimere non posset, ut solveret demum, ut *vacuus*, liberatus, haberetur, publicata bona sunt. In re dubia aliquid novi attulisse, relicto doctioribus judicio, sufficit.

X. 1. *Per hæc ac talia*. Muller. Observ. cit. pag. 17, suadet, *Per hæc ac* vel *et alia*, quoniam hæ voces in MSS. solent turbari. Codex, cujus collatio notata est ad marginem ed. Plant., habuit *et similia*.

2. *Quinquagesimo anno;* ab Urbe 794. Ita et Dio, LX, 2. Vide supra ad cap. 2. — *Quantumvis*, valde, *mirabili casu*. Mox Ernest. præfert more suo nonnullorum lectionem *summovissent*, ob sequens *recesserat*. Neque hic obsequi ei possum. *Summoverent* non ad *recesserat* est referendum, sed ad *Exclusus*, et quum tota ῥῆσις, *quum.... summoverent*, additamentum sit ἐπεξηγητικόν, imperfecto opus.

3. *Ad solarium proximum;* seu *heliocaminum*, quocum conjunctum erat cubiculum, cujus foribus vela prætenta. Plin. Epist. II, 17: « In hac (diæta) *heliocaminus*, alia xystum, alia mare, utraque solem, *cubiculum autem valvis*, cryptoporticum fenestra prospicit. » Lamprid. Heliogab. 14, « Objectu *veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi*, se texit. » Burmanni sententiam, qui defendit correctionem *scalarium*, taxavit Ernest. in Excurs. ad hunc locum. De re cf. Dion. LX, 1, et Joseph. XIX, 3. Facilem, conciliandi singulas narrationes, viam ostendit Ernest. Excurs. cit.

agnovit, extractumque, et præ metu ad genua sibi accidentem, Imperatorem salutavit. Hinc ad alios commilitones, fluctuantes, nec quicquam adhuc quam frementes, perduxit. Ab his lecticæ impositus, et, quia sui diffugerant[4], vicissim succollantibus in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserante obvia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit, aliquanto minore spe, quam[5] fiducia. Nam Consules cum Senatu et cohortibus urbanis Forum Capitoliumque occuparant, asserturi communem libertatem:[6] accitusque et ipse per Tribunos plebis in Curiam ad suadenda[7], quæ viderentur, « vi se et necessitate teneri, » respondit. Verum postero die, et Senatu segniore in exsequendis conatibus, per tædium ac dissensionem diversa censentium, et multitudine, quæ circumstabat, unum rectorem jam et nominatim exposcente, armatos pro concione jurare in nomen suum passus est; promisitque singulis quina dena sestertia[8], primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus.

4. *Quia sui diffugerant*. Cf. Joseph. l. c. qui *gregarium* illum militem e prætorianis fuisse (in quo præter rem dissensum a Nostro quærit Casaub.), *Gratum*que nominatum, narrat. Pro *sui*, vulg. *servi*.

5. *Aliquanto minore spe, quam fiducia*. Antea de vita etiam trepidaverat; redierat *fiducia* in castris prætorianorum; sed nulla adhuc imperii *spes* homini misello. Perizonii conjecturam « aliquanto *majore* spe, quam fiducia, » quæ et ipsa bonum dat sensum, haud necessariam tamen, placere sibi fatetur Ernestius.

6. *Nam Consules.... asserturi.... libertatem*. Vide Calig. 60; Dion. LX, 1; atque omnino Josephi lege narrationem. Ceterum ad marg. ed. Plant. notatum e Cod. *occuparant*, *ut asserturi*, mox *sentientium* pro *censentium*.

7. *Ad suadenda*, etc. Ernest. manifestum præfert glossema *censenda*. Imo legatos ipso vocab. *suadere* usos existimo, ut minoris potestatis, quam *censere*, erga hominem, quem rebus præfici nollent.

8. *Quina dena sestertia*. Ernest. e Josepho, haud improbabili conjectura, XX sestertia pro XV reponenda censet. Non audiendus enim Torrent., qui huc refert donativum XXV drachmarum, quotannis accepti imperii die militibus

XI. Imperio stabilito, nihil antiquius duxit, quam id biduum, quo de mutando Reipublicæ statu hæsitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum dictorumque in eo veniam et oblivionem in perpetuum sanxit, ac præstitit[1]; Tribunis modo ac Centurionibus paucis e conjuratorum in Caium numero interemtis, exempli simul causa, et quod suam quoque cædem depoposcisse cognoverat. Conversus hinc ad officia pietatis, jusjurandum neque sanctius sibi, neque crebrius, instituit, quam PER AUGUSTUM[2]. Aviæ Liviæ divinos honores[3], et Circensi pompa currum elephantorum, Augustino similem[4], decernenda curavit. Parentibus inferias publicas, et hoc amplius, patri Circenses annuos natali die; matri carpentum[5], quo per Circum duceretur, et cognomen Augustæ, ab viva recusatum[6]. Ad fratris memoriam, per

distributum, auctore Dione, LX, 12. Edit. Plant. ad marg. dat *quaterna*, ut antea *armatus* pro *armatos*, utrumque inepte.

XI. 1. *Omnium itaque... oblivionem.... præstitit.* Cf. Dion. LX, 3; Oros. VII, 6, de hac ἀμνηστίᾳ docte disserentem.

2. *Per Augustum;* sive per Genium Augusti. Cf. ad Calig. 27.

3. *Liviæ divinos honores*, etc. quos prohibuerat Tiberius (Tib. 51). De loco nostro cf. Dio, LX, 5.

4. *Currum elephantorum*, *Augustino similem*. Currum Augusti, cui quatuor *elephanti* cum rectoribus juncti, exhibet numus, a Patino ad h. l. illustrandum allatus, inscriptusque, *Divo Augusto S. P. Q. R.* Liviæ autem carpentum a bigis *cervarum* tractum ostendit numus de consecratione Liviæ apud Guther. de Jure Man. c. 6 et 25, qui occasionem inde cepit, νοθείας nostrum locum accusandi: vide Burm. Ceterum idem, quem Suetonius dicit, tributus honos Drusillæ sorori a Caligula (Dio, LIX, 13), et Pertinaci a Severo (Xiphilin. LXXIV, 4): conf. Scheffer. de Re Vehic. II, 17.

5. *Matri carpentum*, etc. Prorsus similia, quæ Caligula instituit, auctore Nostro, c. 15, « Inferiasque his annua religione publice instituit, et eo amplius *matri Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur,* » qui quidem locus confirmat lectionem nostram *quo*, scil. matris simulacrum per Circum duceretur, pro vulg. *quod*. De *carpento* vide quem ibi jam citavimus, Lips. ad Tacit. Annal. XII, 42; atque omnino de re Dion. LX, 5.

6. *Ab viva recusatum*. Ita ex emendatione Lipsii ad Tacit. Annal. I, 8, et Harduin. ad Plin. Hist. Nat. XV, 30 (40), edidimus cum

omnem occasionem celebratam, comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit[7], ac de sententia judicum coronavit[8]. Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum ac sine grata mentione transmisit, testatus quondam per edictum, « Tanto impensius petere se, ut natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset et avi sui Antonii. » Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeii theatrum[9], decretum quidem olim a Senatu, verum omissum, peregit. Caii quoque etsi acta omnia rescidit, diem tamen necis, quamvis exordium principatus sui, vetuit inter festos referri[10].

Wolfio, pro *ab avia*, hoc est, a Livia, quam *Augustæ* nomen recepisse plurimi scriptorum loci et numi testantur. Antoniæ autem eumdem præter alios honorem decretum a Caligula, notavimus ad Calig. cap. 15.

7. *Ad fratris memoriam.... docuit.* Vitam moresque Claudii, quos Neapoli ostendit, describit etiam Dio, LX, 6, quamvis non memoratis honoribus, Germanici fratris memoriæ tributis. De *certamine Neapolitano* vide ad August. 98; Strabon. V, 4, 7; et quos alios laudat Fabric. ad Dion. l. c. Ceterum, *docuit* interpretari non dubito, « *edidit* ipse suo stilo, discique a scenicis jussit (quomodo nos, *faire apprendre, faire répéter une pièce*), » quo sensu hoc verbum frequentatur: vide Torrent. Poeticæ enim operam dedisse Claudium, quamvis taceat Suetonius, ostendunt plura loca Senecæ Apocol. maxime versus in carmine epicedio,

Vosque poetæ
Lugete novi.

Quod autem Ernest. objicit, argumentum fabulæ debuisse esse fratrem Germanicum, eique non convenire comœdiam, id ego non moror. Solenne erat certamen musicum, eique ut homo Græcus se interjiciebat Claudius, ita tamen, ut ludos ipsos fratris memoriæ dedicaret, *per omnem occasionem celebratæ*, ex quo erat aliqua indigno Imperatore certamini excusatio. Alii prætulerunt Beroaldi conjecturam *dedit*, in plures editiones receptam. Mullero *docuit* glossa videbatur, ac vere abfuit a Codice, cujus collatio est ad marg. edit. Plant.

8. *Ac.... coronavit.* Non subaudiendum vel addendum *se*, sed *comœdiam*, h. e. fabulæ a se scriptæ coronam adjudicavit, *de sententia* tamen *judicum*. Ita Nero (cap. 24) *victorem se ipse pronunciabat.* Unde gestasse videtur Claudius στέφανον χρυσοῦν, quum præsideret ludis, ut prodit Dio, l. c.

9. *Juxta Pompeii theatrum;* sine dubio ob restitutionem hujus theatri susceptam. Vide Tiber. 47.

10. *Caii quoque... referri.* Conf.

XII. At in semet augendo parcus atque civilis[1], prænomine *Imperatoris* abstinuit, nimios honores recusavit, sponsalia filiæ, natalemque geniti nepotis silentio, ac tantum domestica religione, transegit[2]. Neminem exsulum, nisi ex Senatus auctoritate, restituit[3]. Ut sibi in Curiam Præfectum Prætorii Tribunosque militum secum inducere liceret[4], utque rata essent, quæ procuratores sui in judicando statuerent[5], precario exegit. Jus nundinarum in privata prædia a Consulibus petiit[6]: cognitioni-

Dio, LX, 4. Pro *festos*, al. inepte *fastos*. Vide Oudend. et Ernest.

XII. 1. *At.... parcus atque civilis*, etc. Dio, LX, 5.

2. *Sponsalia filiæ.... transegit*. Conf. Dio, cap. cit. ad ann. 794, cujus quidem verba docent, veram esse interpretationem Beroaldi τοῦ *silentio*, per « sine publica festivitate. » Quod autem Suetonius de genito *nepote*, quem cum aliis ignoro, id Dio verisimilius de filio Britannico, nato vicesimo imperii die, LX, 12.

3. *Neminem exsulum... restituit*. Restituit autem plerosque. Dio, cap. 4.

4. *Ut sibi in Curiam... inducere liceret*. Jam Tiberius ann. 785, « ut Macro Præfectus Tribunorumque et Centurionum pauci secum introirent, quoties Curiam ingrederetur, petivit; factumque large, et sine præscriptione generis aut numeri, Senatusconsultum, » auctore Tacit. Annal. VI, 15. De Claudio conf. Dio, LX, 23.

5. *Quæ procuratores sui... statuerent*. Intelligo cum Ernest. de *procuratoribus* fisci Principis, qui et in Urbe et in provinciis erant, quo sensu hoc nomen Calig. 47 et creberrime occurrit, non de Præfectis provinciis Cæsareis, qui et ipsi Procuratores dicti, *ἐπίτροποι* (vide ad August. 47), quibus jurisdictio et imperium antea jam competebat, atque vera est sententia Ernestii, cum loco nostro conjungentis alterum Taciti, Annal. XII, 60, « Eodem anno (ann. 807) sæpius audita vox Principis, *parem vim rerum habendam, a Procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset*, » ubi conqueritur auctor, post diuturna de judiciis inter ordines Reipubl. Romanæ dissidia, tandem « Claudium *libertos*, *quos rei familiari præfecisset*, sibique et legibus adæquasse. » Nempe, quod initio *precario* tantum, postea, in immensum aucta libertorum potentia, *jussu* etiam in Senatu exegit summæ imbecillitatis Imperator. Diversa tamen est disputatio Lipsii, ad Tacit. l. c. Ceterum, cf. quos citavit Bachius, Histor. Jur. Rom. pag. 352, ed. Stockmann.

6. *Jus nundinarum ..... petiit*. Apte comparat Torrentius Plin. Epist. V, 4, « Vir prætorius Solers a Senatu petiit, ut sibi, instituere in agris suis nundinas, permittere-

bus magistratuum, ut unus e consiliariis, frequenter interfuit[7]. Eosdem, spectacula edentes, surgens et ipse cum cetera turba, voce ac manu veneratus est[8]. Tribunis plebis adeuntibus se pro tribunali excusavit, quod propter angustias non posset audire eos, nisi stantes[9]. Quare in brevi spatio tantum amoris favorisque collegit, ut, quum profectum eum Ostiam[10] perisse ex insidiis nunciatum esset, magna consternatione populus, et militem quasi proditorem, et Senatum quasi parricidam, diris exsecrationibus incessere non ante destiterit, quam unus atque alter, et mox plures, a magistratibus in Rostra producti, salvum et appropinquare confirmarent[11].

XIII. Nec tamen expers insidiarum usquequaque permansit, sed et a singulis, et per factionem, et denique civili bello infestatus est[1]. E plebe homo nocte media juxta

tur.» Sed, quem huc trahit idem vir doctus, Ciceronis locum, Philipp. II, 36, prorsus alienum esse, qui accuratius perlegerit, facile videbit.

7. *Cognitionibus magistratuum... interfuit.* Recte intelligit Ernest. de jurisdictione ordinaria. De ea enim sermo etiam apud Dion. LX, 4, qui, postquam assidue jus dixisse Claudium memoravit (cf. ad c. 14), sæpe Consulum cognitionibus, et Prætorum, eorum maxime, qui ærario præfecti erant (de quibus dictum ad Aug. 36, et dicetur ad Claud. 24), interfuisse scribit.

8. *Surgens et ipse.... veneratus est.* Idem fecit in Curia. Conf. Dio, LX, 6 et 12. Ceterum, vide Lips. Elect. II, 6.

9. *Nisi stantes.* Ipse enim sedebat in tribunali jus dicens; Tribunis autem sedem offerre non poterat *propter angustias* loci.

10. *Profectum eum Ostiam. Sacrificii causa* Ostiam profectum ann. 801, memorat etiam Tacit. Annal. XI, 26, ubi, perpetuum hoc sacrificium rei frumentariæ causa in Castorum æde post exstructum portum Ostiæ a Claudio institutum, docet Lipsius.

11. *Confirmarent.* Nescio an injuria Ernest. præferat aliorum *affirmarent.* Quod unus atque alter *affirmaverat* (id enim latet per zeugma in verbo ab auctore adhibito), id *mox plures*, producti a magistratibus, *confirmarunt.*

XIII. 1. *Sed et a singulis.... infestatus est. A singulis* illud est, quod de homine e plebe et duobus equestris ordinis auctor narrat; *per factionem* h. e. conspirationem domesticam Galli Asinii et Statilii Corvini; *civili bello* Scriboniani. Ceterum *sed* abfuit a Cod., collato ad marg. Plant.

cubiculum ejus cum pugione deprehensus est: reperti et equestris ordinis duo[2] in publico cum dolone ac venatorio cultro præstolantes, alter, ut egressum theatro, alter, ut sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspiraverunt autem[3] ad res novas Gallus Asinius[4] et Statilius Corvinus[5], Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes, assumtis compluribus libertis ipsius atque servis. Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus[6], Dalmatiæ legatus; verum intra quintum diem oppressus est, legionibus, quæ sacramentum mutaverant, in pœnitentiam religione conversis, postquam, denunciato ad novum Imperatorem itinere, casu quodam, an divinitus[7], neque aqui-

2. *Reperti et equestris ordinis duo*, etc. Tertium memorat Tacit. Annal. XI, 22, Claudio insidiatum ann. 800 : « Interea Romæ, nullis palam, neque cognitis mox causis, Cn. Nonius, Eques Romanus, ferro accinctus reperitur in cœtu salutantium Principem. Nam, postquam tormentis dilaniabatur, de se non inficiatus conscios non edidit, incertum an occultans. »

3. *Conspiraverunt autem*, etc. Dio, LX, 15. *Annium* etiam *Vinicianum* nominat. Ad ann. 795.

4. *Gallus Asinius*; nepos celeberrimi illius Asinii Pollionis, de quo diximus ad Cæs. 30, filius Asinii Galli, Consulis ann. 746, quem, ad Tiber. c. 7 notavimus duxisse Agrippinam, a Tiberio post editum Drusum dimissam, frater denique Asinii Salonini, quem ann. 775 obiisse, narrat Tacit. Annal. III, 75, ubi vide Lips. de hac familia accurate exponentem. Conf. Dio, LX, 27. Incidit hæc conspiratio in ann. 799, memorata sine dubio a Tacito, lib. X Annal. qui periit.

5. *Et Statilius Corvinus* Messala, de cujus avo, celebri ævi Augustei oratore, dictum ad Tiber. 70. Pertinuisse Statilios ad Messalas, patet etiam e Neron. 35, et Tacit. Annal. XV, 68, ubi Neronis uxor *Statilia Messalina* appellatur. De hoc, conspirationis contra Claudium socio, tacent reliqui scriptores. Conjunctus videtur fuisse cum Asinio, gesto consulatu ann. 798, ut docet Dio, LX, 25.

6. *Furius Camillus Scribonianus*; incitatus ab Annio Viniciano, de quo modo diximus. Conf. Dio, LX, 15. Nostrum exscripsit Orosius, VII, 5. Tacit. Annal. XII, 52, ubi Furium Scribonianum filium in exsilium actum memorat, addit: « Pater Scriboniani, Camillus, arma per Dalmatiam moverat. » Sub Claudio *interfectum* dicit a Volaginio, gregario milite, Hist. II, 75. Conf. infra Oth. 1, et Plin. Epist. III, 16. Accidit hæc seditio ann. 795.

7. *Casu quodam*, *an divinitus*. *An* pro *ac* legendum, monuerunt

la ornari[8]; neque signa convelli moverique potuerunt.

XIV. Consulatus super pristinum[1] quatuor gessit: ex quibus duos primos junctim[2], sequentes per intervallum, quarto quemque anno[3], semestrem novissimum, bimestres ceteros, tertium autem, novo circa Principem exemplo, in locum demortui suffectus[4]. Jus et Consul et extra honorem laboriosissime dixit[5], etiam suis suorumque diebus sollemnibus, nonnunquam festis quoque antiqui-

jam Lips. et Torrentius, et ita est in editione Casaub. anni 1611, et Plantin. ann. 1596, quas ad manum habeo. *Ac*, si vel maxime aliquis *casum* ad divinam providentiam ex nostræ religionis sententia revocarit, ingratam infert tautologiam.

8. *Neque aquilæ ornari*. De aquilis pulverulentis, inunctis festis diebus, e Plin. XIII, 3, intelligit Torrent. hunc locum; Oudendorp., quod melius, de detersis sordibus, situ ac pulvere, et forsan appensis quibusdam insignibus. Fortasse *ornare aquilam* est adornare, κοσμεῖν, adaptata aquila cuspidi, ex qua demi poterat, restituta loco, quando exercitus movebat. Injuria quidem corruptum censet verbum *ornari* Ernest. Ceterum, Oros. l. c. « Itaque die dicto, ut in unum undique ad novum Imperatorem conveniretur, neque *aquilæ* ornari, neque convelli quoquo modo signa moverive potuerunt. » De hoc autem et similibus prodigiis vide Bulenger. de Prodigiis, IV, 8.

XIV. 1. *Super pristinum*; gestum ann. 790. Vide supra ad cap. 7.

2. *Duos primos junctim*; ann. 795 et 796. De priore, quem cum C. Largo gessit, Dio, LX, 10; de altero, quem cum L. Vitellio (cf. Vitell. 2), idem Dio, LX, 17. Vide Pighii Annal. tom. III, p. 571 et 573. Ed. Plant. ad marg. *proximos* pro *primos*.

3. *Sequentes per intervallum, quarto quemque anno*; nempe *tertium* ann. 800, cum L. Vitellio (Dio, c. 29); *quartum* ann. 804, cum Serv. Cornelio Orfito: vide Pigh. pag. 576 et 584.

4. *In locum demortui suffectus*; quum alias post aliquot menses vel dies sufficere sibi solerent alios et superiores Principes, et ipse Claudius. Cui autem suffectus fuerit, eo minus constat, quum a Dione l. c. ut ordinarius Consul nominetur. Probabilis videtur ratio Oudendorpii, qui designatum in hunc annum Consulem superiori jam anno (799) demortuum, eique Claudium suffectum, Kal. Januar. magistratum, ut ordinarium Consulem, iniisse existimat; quod cur Ernestio non placuerit, non video. Certe aliam viam non ostendit. Consentiunt cum Oudend. etiam Ryck. ad Tacit. XI, 1, et Fabric. ad Dion. LX, 29.

5. *Jus .... laboriosissime dixit*. Dio tantam ejus assiduitatem in jure dicendo fuisse ait, ut singu-

tus et religiosis[6]. Nec semper præscripta legum secutus, duritiam lenitatemve multarum, ex bono et æquo[7], perinde ut afficeretur, moderatus est. Nam et iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent[8], resti-

lis ferme diebus, aut cum toto senatu, aut solus, in foro quidem ut plurimum, sed et alibi sedens pro tribunali jus redderet. Cf. supra, cap. 12.

6. *Nonnunquam festis quoque... et religiosis.* Ita, quum sponsalia filiarum celebraret, *καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐδίκαζε, καὶ ἡ βουλὴ ἠθροίσθη*, ut narrat Dio, c. 5, et, Augusti secutus exemplum (Aug. cap. 32), plures dies actui rerum accommodavit. Id Dio, c. 17. Ridet hanc assiduitatem Claudii in jure dicendo Seneca in Apocol. ubi ita loquentem inducit : « Si memoria repetis, ego eram, qui tibi ante templum tuum jus dicebam totis diebus mense Julio et Augusto » (*feriarum* igitur tempore). « Tu scis, quantum illic miseriarum pertulerim, quum causidicos audirem et diem et noctem, in quos si incidisses, valde fortis licet, maluisses cloacas Augiæ purgare » (cum Hercule loquitur); « multo plus ego stercoris exhausi. » Alio loco, in descriptione funeris Claudii : « Omnes læti, hilares; populus Rom. ambulabat tanquam liber. Agatho et pauci causidici plorabant; sed plane ex animo jurisconsulti e tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix habentes animam, tanquam qui quum maxime reviviscerent, etc. »

7. *Ex bono et æquo;* ut arbitrum magis ageret, quam judicem. In arbitriis enim formula erat solennis : *melius æquius* vel *ut inter bonos bene agier oportet.* Vid. Cicer. pro Roscio comœd. 4, et de Offic. III, 15, 3; coll. Brisson. de Formul. V, p. 372. Ut in omni autem arbitrio, ita in Principe maxime imbecilli plurima relicta erant unius voluntati, studio, animi commotioni. Hoc dicunt verba, *perinde ut afficeretur*, scil. animo (*selon qu'il était disposé, et que son esprit l'y portait dans le moment*), quibus subjungit auctor nimiæ lenitatis exemplum, alterumque nimiæ duritiæ. Codex, collatus ad marg. edit. Plant., omisit verba *ex bono et æquo.*

8. *Qui apud privatos judices.... excidissent. Judices privati* sunt, qui judicant de rebus privatis, seu controversiis privatorum. Cf. Heinecc. Ant. Rom. IV, tit. 6, et Ernest. Clav. Cic. sub voc. *judicium*. Agit de *judiciis privatis* Sigon. lib. I de Judiciis. Intelligendi igitur h. l. Prætor urbanus, ad quem pertinebat jurisdictio, et Centumviri. Reliqua egregie illustrat Torrent. ad h. l. Ex locis ab eo citatis reddam modo Institut. lib. IV, tit. 6 : « Si quis agens *intentione sua* (h. e. libello) *plus complexus fuerat, quam ad eum pertinebat* (i. e. plus petierat), *causa cadebat* (seu formula excidebat, litem perdebat), id est, rem amittebat, nec facile in integrum restituebatur a Prætore, nisi minor erat annis XXV. » Conf. etiam Cicer. de Orat. I, 36 et 37.

tuit actiones[9]; et in majore fraude convictos, legitimam pœnam supergressus, ad bestias condemnavit.

XV. In cognoscendo[1] autem ac decernendo mira varietate animi fuit, modo circumspectus et sagax, modo inconsultus ac præceps; nonnunquam frivolus amentique similis. Quum decurias rerum actu expungeret[2], eum, qui dissimulata vacatione, quam beneficio[3] liberorum habebat, responderat, ut cupidum judicandi dimisit.

9. *Restituit actiones;* hoc est, damnatis potestatem litis retractandæ dedit. De hac *restitutione in integrum* vide Sigonium, de Judic. I, 30.

XV. 1. *In cognoscendo.* A *jurisdictione* ordinaria ad *cognitiones* transit auctor, a Principe extra ordinem habitas. Cf. Ernest. Excurs. ad Cæs. 43. — *Circumspectum et sagacem* ostendit exemplis inde a verbis, « Quum decurias, etc. » usque ad « indicto matrimonio juvenis; » *inconsultum ac præcipitem* sequentibus usque ad *flagitavit.* Reliqua *frivolum* exhibent *amentique similem*, ideoque palam contemtui expositum.

2. *Quum decurias rerum actu expungeret.* De *decuriis* vide quæ diximus ad August. 29 et 32. *Expungere* autem est *recensere*, expunctis scilicet, qui post proximam recensionem mortui erant, vel indignos sese loco inter judices reddiderant. *Actu rerum* Ernest. explicat, *negotium publicum gerens*, quod hæc formula de singulis negotiorum publicorum seu administrandæ Reipubl. partibus dicitur. At, dixerit aliquis, cur addidit auctor verba ita supervacua? Imo *actus rerum* est *jurisdictio*, solemni significatione; unde recte locum nostrum citavit Torrent. ad Aug. 32. *Actu* autem vel est dativus contractus ἀρχαϊκῶς ex *actui*, vel legendum *actui rerum*, ut Decemviri dicuntur *legibus scribendis*, vel Vigintiviri *coloniis deducendis*, etc. idque additum, ut *decuriæ judiciis habendis* distinguerentur a *decuriis Equitum*, de quibus est sermo Tiber. 41, ubi vide not. Quod ad significationem voc., consentit mecum Walther. p. 24, sed conjungit *rerum actu expungeret*, explicans, « deligeret, notaret eos, qui a rebus gerendis essent removendi. » At non totas decurias, sed nonnullos ex iis ita expunxisset, id quod contra auctoris est sententiam.

3. *Beneficio liberorum;* e lege Papia Poppæa, inquit Ernest., quæ vacatione a judicandi molestia concedenda iis, qui certum liberorum numerum haberent, allicere Equites ad matrimonia debebat. Vide Heinecc. Ant. Rom. I, 25, 7, et Comment. in Leg. Jul. et Pap., qui tamen de hac a judiciis vacatione beneficio legis data tacet. *Respondere* autem vocab. est solemne de iis, quorum nomina recitabantur. Ita in dilectu militari dicitur a Liv. II, 28, et VII, 4.

Alium[4] interpellatum ab adversariis de propria lite, negantemque, cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere causam confestim apud se coegit, proprio negotio documentum daturum, quam æquus judex in alieno negotio futurus esset. Feminam, non agnoscentem filium suum, dubia utrinque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio juvenis. [5] Absentibus, secundum præsentes facillime dabat, nullo dilectu, culpane quis, an aliqua necessitate, cessasset. Proclamante quodam, præcidendas falsario manus[6], carnificem statim acciri cum machæra mensaque lanionia, flagitavit[7]. Pere-

4. *Alium*, etc. Distinximus hæc a præcedentibus majori interpunctione, ne quis referret cum Salmas. (de Modo Usur. c. 3) et Burmann. ad recensum judicum, de quo proxime dictum. Recte Ernest. et Oudendorp. post Noordkerk. Observ. p. 61. Scilicet sedebat ille judex in ipso judicio apud Prætorem; sed *interpellatus* est ab adversariis, sive interruptum judicium, illis de propria lite eum admonentibus, in qua si de ipsius sententia judicatum esset, haud optime cum eo actum videretur. Qui quum non ad *cognitionem* Cæsaris, sed ad *jus ordinarium*, seu jurisdictionem, rem ut privatam pertinere objecisset, Claudius, statim se præsente et præside, inquiri in eam jussit, illo judice in proprio negotio adhibito, ut æquitatis documentum daret.

5. *Absentibus*; elliptice, ἀπόντων τινῶν. Apte comparat Walther. Observ. p. 24, Taciti locum, Ann. I, 29, « *orantibus*, rursum idem Blæsus, etc. » Improbandæ sunt correctiones Gronoviorum, patris, « *De* absentibus, » filii, « *Ab* absentibus, » quæ ex brevitate Græca orationem faciunt vix Latinam, et additamentum Codicis, collati ad marg. Plant., *pœnas* post *dabat*. Sensus : Quum altera pars litigantium abesset, pronuntiabat statim pro præsentibus, quod erat *inconsultum et præceps*, ut auctor ipse admonet. *Dare secundum aliquem* eodem sensu occurrit Tacit. Ann. IV, 43, « ita secundum Messenios datum, » quem locum eidem Walther. debeo. Cf. Dio, LX, 28. Mox, ut in aliis locis, edidimus *dilectu* pro *delectu*, non sine Codd.

6. *Præcidendas falsario manus*. *Falsariis* et *testamentariis* et *numariis* aqua et igni interdictum fuerat lege Cornelia de falsis. Imperatores novas pœnas, et supplicia etiam addiderunt. Cf. Heinecc. IV, 18, § 63 seq. Præceps Claudii fuit consilium, qui nescio cujus voci sententiam accommodavit.

7. *Carnificem.... acciri.... flagitavit*. Exempla affert Oudendorp. Plin. H. N. XXXIV, 8, 6 (19, § 6), « ut magnis theatri clamoribus *re-*

grinitatis[8] reum, orta inter advocatos levi contentione, togatumne an palliatum dicere causam oporteret, quasi æquitatem integram ostentans, mutare habitum sæpius, et prout accusaretur defendereturve, jussit. De quodam etiam negotio ita ex tabella[9] pronunciasse creditur, SECUNDUM EOS SE SENTIRE, QUI VERA PROPOSUISSENT. Propter quæ usque eo eviluit, ut passim ac propalam contemtui esset. Excusans quidam[10] testem, e provincia ab eo vocatum, negavit præsto esse posse, dissimulata diu causa; ac post longas demum interrogationes, « Mortuus est, » inquit: « puto, licuit. » Alius gratias agens, quod reum defendi pateretur, adjecit: « Et tamen fieri solet[11]. » Illud quoque a majoribus natu audiebam, adeo causidicos patientia ejus solitos abuti, ut descendentem e tribunali non solum voce revocarent, sed et lacinia togæ

poni Apoxyomenon *flagitaverit*, » et XXXV, 10 (36, § 3), « ut *flagitaret* tandem remoto linteo *ostendi* picturam. »

8. *Peregrinitatis*, etc. Homo Græcus (*palliatus* enim causam dicere jussus ab altera parte) civem Romanum se tulerat. Actum igitur in judicio, ut *in peregrinitatem redigeretur*, ut cap. sequente. *Frivolum* autem erat, quod Princeps, utrique advocato obsecuturus, nondum lata sententia, modo *togatum*, modo *palliatum* consistere in judicio reum jussit. *Et* ante *prout* delendum puto.

9. *Ex tabella*; h. e. de scripto, tanquam gravem sententiam prolaturus. Sed natus ridiculus mus. Nam in eo ostendenda erat Cæsaris cognoscentis sagacitas, quod sine ulla difficultate *vera* a *falsis* discerneret, atque de hoc judicio, qui aderant, certiores statim faceret. Nunc incerti omnes relicti, illo, sine dubio quod nihil videbat, ad sensum suum provocante, ut multi in rebus criticis, qui, quæ sentiant, crepant, rationes non addunt.

10. *Quidam*. Inepte al. *quidem*, qui, ad Claudium referentes *Excusans*, locum non intellexerunt. De causæ patrono sermo est, qui propalam judicantem Claudium derisui objecit. Postea non minus absurda lectio *Puteolis*, pro *puto, licuit*, quæ tamen defensores nacta est viros doctissimos. *Puto, licuit*, est, « accipies, puto, hanc excusationem ut satis validam, » (*il n'est pas, je crois, tout-à-fait dans son tort*).

11. *Et tamen fieri solet*. Quod legibus moribusque est constitutum, id pro concesso non habendum, quod gratiarum actione celebremus. Risus igitur et ludibrium hujus etiam patroni.

retenta, interdum pede apprehenso, detinerent[12]. Ac né cui hæc mira sint, litigatori Græculo vox in altercatione excidit, καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός. Equitem quidem Romanum, obscœnitatis in feminas reum, sed falso et ab impotentibus inimicis conficto crimine, satis constat, quum scorta meritoria citari adversus se, et audiri pro testimonio videret, graphium et libellos, quos tenebat in [13]manu, ita cum magna stultitiæ et sævitiæ exprobratione jecisse in faciem ejus, ut genam non leviter perstrinxerit.

XVI. Gessit et censuram[1], intermissam diu post Plancum Paulumque Censores[2]: sed hanc quoque inæquabiliter[3], varioque et animo et eventu. Recognitione Equitum juvenem probri plenum, sed quem pater probatissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, « habere » dicens « Censorem suum. » Alium, corruptelis adulteriisque famosum, nihil amplius quam monuit, « ut aut parcius ætatulæ indulgeret, aut certe cautius : » addiditque : « Quare enim ego scio, quam amicam habeas? » Et quum, orantibus familiaribus, demsisset cuidam appositam notam, « Litura tamen, » inquit, « exstet. » Splendidum virum, Græciæque provinciæ[4] principem, verum Latini

12. *Detinerent;* scil. ab abeundo. Qui multa cupit haud necessaria, adeat Burm. Al. *retinerent.*

13. *In manu.* Defendit præpositionem exemplis Oudendorp.

XVI. 1. *Gessit et censuram;* ann. 800, Consul cum L. Vitellio. Tacit. XI, 13, « Claudius.... munia Censoria usurpans. » Cf. Dio, LX, 29, et Plin. H. N. X, 2, qui diserte, « Claudii Principis censura, anno Urbis DCCC. » Eumd. vide XXXIII, 1 (7). Ad eam refert Scaliger, quod Euseb. in Chron. ad num. MMLXI, « Descriptione Romæ facta sub Claudio inventa sunt civium Rom. LXVIII centena, XLIV millia. » Cf. Pigh. tom. III, p. 577.

2. *Intermissam... post Plancum Paulumque Censores;* ann. 732. Cf. Dion. LIV, 2 : Vell. II, 95. De Augusti et omnino Principum censura, vel magisterio morum, vide quæ collegimus ad August. 27.

3. *Inæquabiliter.* Ita edidimus cum Oudend., Cod. Salmas. auctoritate, et ob locum Galb. 9, ubi item, *varie et inæquabiliter.* Vulgo, *inæqualiter.*

4. *Græciæque provinciæ;* h. e.

sermonis ignarum, non modo albo judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quemquam, nisi sua voce, utcunque quis posset, ac sine patrono, rationem vitæ passus est reddere. Notavitque multos, et quosdam inopinantes, et ex causa novi generis, quod se inscio ac sine commeatu[5] Italia excessissent; quemdam vero et quod comes regis in provincia[6] fuisset, referens, majorum temporibus, Rabirio Postumo[7], Ptolemæum Alexandriam, crediti servandi causa, secuto, majestatis crimen apud judices motum. Plures notare conatus, magna inquisitorum negligentia, sed suo majore dedecore, innoxios fere reperit, quibuscunque cœlibatum, aut orbitatem, aut egestatem objiceret, maritos, patres, opulentos se probantibus; eo quidem[8], qui sibimet vim ferro intulisse arguebatur, illæsum corpus veste deposita ostentante. Fuerunt et illa in censura ejus notabilia, quod essedum argenteum, sumtuose fabricatum, ac venale ad Sigillaria[9], redimi concidique coram, imperavit: quodque uno die viginti edicta proposuit: inter quæ duo, quorum altero admonebat, « ut uberi vinearum proventu

Achaiæ, quæ e popularibus erat provinciis. Dio ad ann. 796 similem rem refert LX, 17. — *In peregrinitatem redegit*. Vide not. ad cap. sup.

5. *Ac sine commeatu*. De *commeatu* Senatorum vide Lips. ad Tacit. Annal. XII, 23, et infra ad cap. 23.

6. *Quod comes regis in provincia*, etc. Ernest. additicia censet verba *in provincia*. Sed ea maxime necessaria sunt. Nam id ipsum ut indignum cive Romano crimini ei dabatur, quod in provincia Romana regis extranei comitatui se adjunxisset. Alia res erat, si legationis vel negotiorum causa regnum ipsum adiisset.

7. *Rabirio Postumo*; qui cum A. Gabinio repetundarum accusatus ex lege Julia, patronum habuit Ciceronem. Idem commemoratur ab Hirtio, Bell. Afric. cap. 8.

8. *Eo quidem*. Wolf. suspicatur legendum, *et quodam*.

9. *Ad Sigillaria*. Vide Neron. 28. Hic locus, non festum, de quo dictum ad cap. 5, intelligendus etiam Gell. II, 4, coll. V, 4. In septima Urbis regione fuisse creditur. Conf. Borrichii Ant. Urb. Rom. Fac. c. 9 (Thes. Græv. tom. IV, p. 1563).

bene dolia picarentur; » altero, « nihil æque facere ad viperæ morsum, quam taxi arboris succum. »

XVII. Expeditionem unam omnino suscepit, eamque modicam. Quum, decretis sibi a Senatu ornamentis triumphalibus[1], leviorem majestati[2] principali titulum arbitraretur, velletque, justi triumphi decus unde [3]acquireret, *Britanniam* potissimum elegit, neque tentatam ulli[4] post Divum Julium, et tunc tumultuantem ob non redditos transfugas[5]. Huc quum ab Ostia navigaret, vehementi

XVII. 1. *Decretis sibi .... ornamentis triumphalibus.* Conf. Dio, LX, 6 et 8.

2. *Majestati.* Noluimus cum Torrent. et Steph., quos secutus est Ernest., dare contra libros *majestate.* Hic latinitatem postulare hoc dicit, quod ego non video. *Majestati* est *pro* majestate principali, majestati imparem titulum.

3. *Velletque, justi triumphi decus unde acquireret.* Subvenimus loco, mutata interpunctione. Vulgo, *velletque justi triumphi decus, unde acquireret*, in quo quum *velle decus* durissimum sane esset, quod judicat etiam Wolfius, Gronov. pater suasit, « velletque justi triumphi decus *undeunde acquirere;* » quod comprobari videtur verbis Oros. VII, 5, « bellum *ubique* et victoriam *undecunque* quæsivit. » Puto, longe faciliorem nostram rationem. Muller. suppleri jubet *sibi decerni* post *vellet.*

4. *Neque tentatam ulli;* bello vere petitam et infestatam. Nam expeditiones in Britanniam meditati etiam fuerant Augustus et Caligula, sed non perfecerant. Tacit. Agric. 13 : « Primus omnium Romanorum *D. Julius* cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia, et in Rempubl. versa Principum arma, ac longa oblivio Britanniæ etiam in pace. Consilium id *D. Augustus* vocabat, *Tiberius* præceptum. Agitasse *C. Cæsarem* de intranda Britannia, satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. *Divus Claudius* auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque, et assumto in partem rerum Vespasiano; quod initium venturæ mox fortunæ fuit. Domitæ gentes, capti Reges, et monstratus fatis Vespasianus. » Interpres Nostri etiam Oros. l. c. « transvectus in insulam est, *quam* neque ante Jul. Cæsarem, neque post eum quisquam *adire* ausus fuerat. »

5. *Et tunc tumultuantem ob.... transfugas.* Dio, LX, 19 seq. de hoc bello agit, gesto ante Claudii adventum per A. Plautium et Flav. Vespasianum, postea Imperatorem. Vide Vespas. 4; Tacit. Agric. c. 14. Plautius, re quidem feliciter gesta, sed aucta belli mole, advo-

Circio[6] bis pæne demersus est, prope Liguriam, juxtaque Stœchadas insulas[7]. Quare, a Massilia Gesoriacum[8] usque pedestri itinere confecto, inde transmisit: ac sine ullo prælio aut sanguine intra paucissimos dies[9] parte insulæ in deditionem recepta, sexto, quam profectus erat, mense Romam rediit, triumphavitque[10] maximo apparatu. Ad cujus spectaculum commeare in Urbem non solum præsidibus provinciarum permisit, verum etiam exsulibus quibusdam; atque inter hostilia spolia,

cavit ipsum Claudium ann. 796, unde error manifestus apud Oros. l. c. « Claudius *quarto* imperii sui anno (imo *tertio*, nam adierat imperium ann. 794) cupiens se utilem Reipubl. ostentare Principem, bellum.... quæsivit. Itaque expeditionem in Britanniam movit, quæ excitata in tumultum propter non redditos transfugas videbatur. »

6. *Vehementi Circio.* Plin. H. N. II, 46: « In Narbonensi provincia clarissimus ventorum est Circius, nec ulli violentia inferior, Ostiam plerumque recta Ligustico mari perferens; idem non modo in reliquis partibus cæli ignotus, sed ne Viennam quidem, ejusdem provinciæ urbem, attingens, paucis ante limitibus jugi modici occursu tantus ille ventorum coercetur. » Cf. de hoc vento Gell. II, 22, ubi vide interpr. et Senec. Nat. Quæst. V, 27, quibus locis optime refellitur inepta glossa, quæ etiam in Codicem irrepsit, cujus lectiones ad marginem edit. notatas mecum communicavit Mullerus, *Euro.* Eurus Britanniam petentem minus afflixisset.

7. *Juxtaque Stœchadas insulas.* Cf. Strabo, IV, 1, § 10, et Plin. H. N. III, 11, qui, « tres Stœchades a vicinis Massiliensibus dictæ propter ordinem, quas item nominant singulis vocabulis Proten et Mesen, quæ et Pomponiana vocatur, tertia Hypæa, » ubi vide Dalecamp. Hoc etiam loco inepte al. *Orcadas* exhibent.

8. *Gesoriacum.* Plin. H. N. IV, 30 (16), « Britannia abest a Gesoriaco Morinorum gentis litore proximo trajectu quinquaginta millia, » ubi Harduin. post alios ostendit, Gesoriacum esse hodiernum *Boulogne*, unde Britannis quondam tanto cum apparatu bellum *Napoléon* minatus est.

9. *Intra paucissimos dies;* sedecim, ait Dio. Addit Oros. l. c. « Orcadas etiam insulas, ultra Britanniam in Oceano positas, Romano adjecit imperio, ac sexto, quam profectus erat, mense Romam rediit. » Cf. Tacit. Agric. 13.

10. *Triumphavitque*, etc. Conf. Dio, c. 23. Plin. H. N. XXXIII, 3 (16): « Claudius quum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas, septem pondo habere, quam contulisset Hispania citerior, novem, quam Gallia Comata, titulis indicavit. »

navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta [11] civicam fixit, trajecti et quasi domiti Oceani insigne. Currum ejus Messalina uxor carpento [12] secuta est. Secuti et triumphalia ornamenta [13] eodem bello adepti, sed ceteri pedibus et in prætexta; Crassus Frugi equo phalerato, et in veste palmata, quod eum honorem iteraverat.

XVIII. Urbis annonæque curam sollicitissime semper egit. Quum Æmiliana [1] pertinacius arderent, in diribitorio [2] duabus noctibus mansit: ac deficiente militum ac familiarum [3] turba, auxilio plebem per magistratus ex omnibus vicis convocavit; ac, positis ante se cum pecunia fiscis,

11. *Juxta civicam*. Vide Tiber. 26, ex quo loco Ernest. nostro legi jubet « *in vestibulo* Palatinæ domus. » *Navalem* a Claudio super civicam medio fastigio affixam, et templorum etiam fastigia spoliis ornata fuisse, ex Sil. Ital. XIV, 649, et Stat. Thebaid. VII, 55, docet Oudendorp.

12. *Carpento;* honore eo a Senatu dato. Dio, c. 22. Vide Calig. 15; supra, cap. 11; et Scheffer. de Re Vehic. II, 17, Casauboni ad h. l. errores refutantem.

13. *Secuti et triumphalia ornamenta*, etc. h. e. omnes, qui triumphalia ornamenta adepti sunt, non consulares solum, sed et senatores dignitate inferiores, quicumque huic expeditioni adfuerant, in quibus et Geta, currum secuti sunt. Dio, cap. 23. Vanæ Burmanni sunt conjecturæ, « sed *ut* ceteri, » et, « Secuti *equo* triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed ceteri pedibus, etc. » Quærit enim, *Quinam illi ceteri?* ad quod brevissime respondebis: Ceteri omnes præter Crassum Frugi, qui solus equo vectus est. De hoc *Crasso*, qui Consul sub Tiberio fuerat ann. 780, vide Glandorp. Onomast. pag. 529.

XVIII. 1. *Æmiliana*. De *Æmilianis*, loco extra Urbem ad campum Martium, conjuncto tamen continenteque Urbi, vide Lips. ad Tacit. Annal. XV, 40, quem compilavit more suo Torrent. ad h. l., haud nominatum.

2. *Diribitorio*. Domus ampla ab Agrippa instituta, eo mortuo perfecta et dedicata. Fuit hoc ædificium in nona Urbis regione, destinatum *diribendis* h. e. distribuendis ad comitia tabulis, stipendiis et donativis militum, nonnunquam etiam spectaculis. Conf. Donat. de Urbe Roma, III, 16; Nardin. Rom. Vet. IV, 10; et Fabric. ad Dion. loc. cit.

3. *Familiarum;* i. e. servorum. Vide August. 25 et 30. Vulgo vitiose *familiarium*. — *Magistratus* intelligo cum Burm. et Oudend. ordinarios, Prætores, Ædiles, nisi quis cum Lips. et Fabro legere malit *magistros*, scil. *vicorum*, quod pro-

ad subveniendum hortatus est, repræsentans pro opera dignam cuique mercedem. Artiore autem annona[4] ob assiduas sterilitates, detentus quondam medio Foro a turba, conviciisque et simul fragminibus panis ita [5] infestatus, ut ægre, nec nisi postico, evadere in Palatium valuerit, nihil non ex eo excogitavit[6] ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus. Nam et negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset, et naves mercaturæ causa fabricantibus magna commoda constituit, (XIX.) pro conditione cujusque: civi[7], vacationem legis Papiæ Poppææ;

babile ex August. 30. — *Repræsentans* ex optimis Codd. et edd. restituerunt Burmann. et Oudend. pro *repræsentaturus*. — *Pro opera* recte interpretari Oudendorp. de modo et proportione operæ in exstinguendo incendio adhibitæ, docet, quod monere ille neglexerat, additum *dignam*.

4. *Artiore autem annona*, etc. Cf. Dio, LX, 11, ad ann. 795. Huc tamen magis pertinet, quod ad ann. 805 Tacit. Annal. XII, 43: « Frugum quoque egestas, et orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum questus, sed jura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis, pulsumque in extremam Fori partem vi urgebant, donec militum globo infensos perrupit. Quindecim dierum alimenta Urbi, non amplius, superfuisse constitit, magnaque Deum benignitate, et modestia hiemis, rebus extremis subventum. » De duplici fame, quæ in imperium Claudii incidit, et tertia, qua Judæa vexata est (Joseph. XX, 2 et 5; Act. Ap. XI, 28), accurate exponit Fabric. ad Dion. l. c.

5. *Infestatus*. Ita Memm. liber aliique. Vide Oudendorp., qui refellit Burmannum, defendentem vulg. *instratus* ut exquisitius. Oros. VII, 6, « Sequenti anno (imperii Claud. undecimo) tanta fames Romæ fuit, ut medio Foro Imperator correptus a populo conviciis, et fragminibus panis turpissime infestatus, ægre per pseudothyrum in Palatium refugiens furorem excitatæ plebis evaserit, » qui locus ob tres causas collatu dignus; quod comprobat lectionem *infestatus*, quod explicat Suetonii zeugma addito altero verbo *correptus*, et *posticum* per *pseudothyrum*.

6. *Nihil non ex eo excogitavit*, etc. Ita edidi cum Oudend. ex acuta Burmanni conjectura, quam comprobat alter Cod. Optimi, « nihil non ex eo *cogitavit*, » unde plerique fecere « nihil non excogitavit. » Sed haud temere abjiciendum videtur omnium *ex eo*, quum probabile sit, corruptum locum vocab. se excipientium similitudine.

7. *Civi*; h. e. *pro conditione cujusque*, prout civis, vel Latinus, vel sequioris sexus essent. Inepte

Latino, jus Quiritium; feminis, jus quatuor liberorum: quæ constituta hodieque servantur.

XX. Opera magna, potiusque necessaria[1], quam multa perfecit; sed vel præcipua, aquarum ductum[2], a Caio inchoatum: item, emissarium Fucini lacus, portumque Ostiensem: quamquam sciret, ex his alterum ab Augusto precantibus assidue Marsis negatum[3], alterum a D. Julio sæpius destinatum, ac propter difficultatem omissum[4].

novum caput hic inceperunt, qui dispescuerunt auctorem in capita. Notam tamen cap. XIX cum prioribus edit. reliquimus, ut idem cum reliquis numerus procederet. — De lege *Papia Poppæa* vide quos laudavimus ad August. 34; de *jure trium* vel *quatuor* vel *quinque liberorum* citatos a Fabric. ad Dion. LV, 2; Heinecc. Ant. Rom. I, 25, § 7 et 8, et I, 13, § 22. Singularis de hoc jure commentarius est Vetranii Mauri. De *jure Quiritium*, haud confundendo cum *jure civitatis*, vide ejusdem Heineccii Append. I, § 23. Postea, pro *hodieque* al. *hodie*; alii suaserunt *hodie quoque*, ex interpretatione. Vide Burm. in Addend. et Oudendorp.

XX. 1. *Potiusque necessaria.* Vulg. « Opera magna potius, *quam* necessaria, quam multa perfecit; » quod interpretantur, *valde multa*, vel *plurima*. Alii omittunt *quam* ante *multa*. Sed quum opera recenseat auctor vere necessaria, Ernest. post Burm. recepit lectionem edit. Rom., quam nos etiam exhibuimus, unice veram existimantes, *quam* post *potius* orto ex *que*, cujus signum male ceperant librarii.

2. *Aquarum ductum.* Ita optimi Codd. pro *aquæ ductum*, quomodo tamen legitur Calig. 21, ubi inchoatum a Caio aquæ ductum regione Tiburti, et peractum, auctor narrat, a successore ejus Claudio.

3. *Ex his alterum ab Augusto... negatum;* emissarium sc. Fucini lacus, quod Marsorum docet mentio.

4. *Alterum a D. Julio... omissum.* Omittit suo jure Ernest. h. l. *alterum*, ut hoc quoque comma ad lacum Fucinum referatur, quem sane emittere destinasse Julium, Noster narravit Cæs. 44. Verum prorsus accedendum Oudendorpio, qui l. c. prætermissam dicit portus Ostiensis mentionem, ut operis non destinati tantum, sed sæpius tentati, et *propter difficultatem omissi*, et provocat ad Plutarch. Cæs. 58, cujus auctoritas pervicaciorem Ernestium a concepta opinione flectere debebat. Verum addo, quod haud scio, an sit gravissimum, Suetonium, si de uno eodemque opere dixisset, ab Augusto id petentibus negato, a Julio omisso, Julii nomen prius commemoraturum fuisse, ex diligentia historica, quam Nostro nemo negabit. Ceterum Bremius, qui in nota laudibus extollit Ernestii commentum, idque secutum se

Claudiæ aquæ[5] gelidos et uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio et Albudino nomen est, simulque rivum Anienis novi lapideo opere in Urbem perduxit, divisitque in plurimos et ornatissimos lacus. Fucinum aggressus est[6], non minus compendii spe, quam gloriæ; quum quidam, privato sumtu emissuros se, repromitterent[7], si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægre, et post undecim annos, quamvis continuis[8] triginta hominum millibus sine intermissione

esse dicit, in textu per negligentiam reliquit *alterum*, atque ita invitus Suetonium a temeraria correctione servavit.

5. *Claudiæ aquæ*, etc. In plerisque editionibus minor ante hæc verba est interpunctio, quod mutavimus. De tribus operibus, quæ initio capitis nominaverat, inde ab his verbis accuratius exponere incipit auctor. De *aquæ ductu* Claudii præter locum Plinii XXXVI, 15 (24, § 10), jam citatum ad Calig. 21, vide Frontin. de Aquæd. § 13 seq. qui inchoatum dicit a C. Cæsare, altero imperii sui anno, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Asprenate Coss., A. U. DCCXCI et magnificentissime consummatum dedicatumque a Claudio, Sulla et Titiano Coss. A. U. DCCCV. Conf. Inscript. et num., quæ dedit Harduin. ad Plin. l. c. et Patin. ad nostrum, Tab. 20. Claudia autem aqua et *Anio novus* passim apud veteres conjunguntur : dicitur et *Anio nova* in Inscript. quam dat ad hunc locum Casaub.

6. *Fucinum aggressus est.* Conf. Dio, LX, 11; Plin. loc. cit. § 11 : « Ejusdem Claudii inter maxime memoranda equidem duxerim, quamvis destitutum successoris odio, montem perfossum ad lacum Fucinum emittendum, inenarrabili profecto impendio, et operarum multitudine per tot annos; quum aut corrivatio aquarum, qua terrenus mons erat, egereretur in verticem machinis, aut silex cæderetur, omniaque intus in tenebris fierent, quæ neque concipi animo, nisi ab iis, qui videre, neque humano sermone enarrari possunt. » Hoc opus absolutum a Claudio, sed neglectum a Nerone, instauratum igitur prius a Nerva, post ab Hadriano, docet ad h. l. singulari Excursu Ernest. contra eos, qui Dioni obsecuti, illud negarunt. Cf. Fabric. ad Dion. et Fabretti libellum de Emissario lacus Fucini.

7. *Repromitterent;* restipularentur, quæ contractuum sunt vocabula.

8. *Quamvis continuis.* Burmann. vel ejiciendum censet *continuis* ob sequens *sine intermissione*, vel legendum, « post undecim annos *continuos*, quamvis, etc. » Sed recte Oudend. et Wolf., quibuscum fere consentit Ernest., *continuas*

operantibus. Portum Ostiæ[9] exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, et ad introitum profundo jam solo[10] mole objecta: quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrinæ[11] Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.

XXI. Congiaria populo sæpius distribuit[1]. Spectacula quoque complura et magnifica edidit[2], non usitata modo, ac solitis locis, sed et commenticia, et ex antiquitate repetita, et ubi præterea nemo ante eum. Ludos dedicationis Pompeiani theatri[3], quod ambustum restituerat, e

operas esse dixerunt *una et continua serie collocatas*. Non uno loco absoluto ad alterum transibant, sed totus operis perficiendi tractus impletus erat hominibus *sine intermissione* operantibus.

9. *Portum Ostiæ*, etc. Cf. Dio, l. c. et Plin. IX, 6 (5), XXXVI, 15 (24, § 12), quibus tamen locis attingit modo hunc portum. Idem *navem* describit, de qua Suetonius, lib. XVI, 40 (76, § 2): « Abies admirationis præcipuæ visus est in navi, quæ ex Ægypto, Caii Principis jussu, obeliscum in Vaticano Circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit; qua nave nihil admirabilius visum in mari, certum est. CXX millia modium lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere lævo. Ibi namque demersa est a Claudio Principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exædificatis obiter Puteolano pulvere, advectisque (« *ob id ter* Puteolano pulvere *advecto* » corrigit Pint.), etc. » De *obelisco* eademque nave, idem Plin. XXXVI, 9 (14, § 4).

10. *Profundo jam solo*. Fuere, qui suaderent *salo* ob verba Dionis, ἐν αὐτῷ τῷ πελάγει, atque ita ediderunt Stephan. Græv. et Gronov. Vulgatum restituerunt Burmann. et Oudendorpius. Invitus fere obsequor.

11. *Alexandrinæ*. Sic dedimus cum Burm., jubentibus etiam Oudend. et Wolfio. Libri dant mascul. *Alexandrini*.

XXI. 1. *Congiaria.... distribuit*. Memorat Dio, LX, 25, ad ann. 798, et Tacit. Annal. XII, 41, ad ann. 805, « Additum nomine ejus donativum militi, congiarium plebi. »

2. *Spectacula quoque.... edidit*. Cf. Dion. LX, 13, et infra cap. 34.

3. *Pompeiani theatri*. De hoc theatro, a Pompeio primum exstructo ann. 699, Consule II cum Crasso (cf. Dion. XXXIX, 38), crebrisque incendiis afflicto, vide Donat. de Urbe Roma, III, 8 (Thes.

tribunali posito in orchestra commisit, quum prius apud superiores ædes supplicasset, perque mediam caveam, sedentibus ac silentibus cunctis, descendisset. Fecit et seculares[4], quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos: quamvis ipse in historiis suis prodat, « intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. » Quare vox præconis irrisa est, invitantis more sollemni ad ludos, « quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset; » quum superessent adhuc, qui spectaverant, et quidam histrionum[5], producti olim, tunc quoque producerentur. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus[6] venatione. Circo vero maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque et tophina ac lignea antea fuerant, exculto,

Græv. tom. III, p. 695 seq.) Exustum sub Tiberio refici quidem cœptum est ab eodem Principe, sed absolutum demum a Caligula, dedicatumque a Claudio ann. 794. Vide Tacit. Annal. III, 72; Nostr. Tiber. 47; Calig. 21; Dion. LX, 6. Superposita ei erat ædes *Veneris Victricis* (Plin. VIII, 7; Tertullian. de Spectac. c. 10), et *Victoriæ*, si fides Gellio, X, 1, unde recte statuere videntur, qui unum quidem templum fuisse, sed bipartitum, ideoque *superiores ædes* eas plurali numero nostro loco dici existimant, rejicientes mutationem Lipsii, *superiorem ædem*. Vide Gronov. et Oudendorp. ad locum nostrum. Ceterum, de hac dedicatione conf. Dio, LX, 6.

4. *Fecit et seculares*. Tacit. XI, 11: « Iisdem Consulibus ludi seculares, *octingentesimo* post Romam conditam, quarto et sexagesimo, quam Augustus ediderat, spectati sunt. Utriusque Principis rationes prætermitto, satis narratas libris, quibus res Imperatoris Domitiani composui. Nam is quoque edidit ludos seculares. » Ita etiam Plin. VII, 48 (49), *sexaginta tres* non amplius annos interfuisse dicit inter ludos seculares Divi Augusti, eosque, quos Claudius Cæsar consulatu suo quarto fecerit. Cf. Harduin. ad hunc Plinii loc. Ernest. ad Tacit. l. c. et quos laudavimus ad August. 31.

5. *Et quidam histrionum*, etc. Plin. l. c. *Stephanionem*, de quo vide August. cap. 45, utrisque secularibus ludis, Augusti et Claudii, saltasse dicit.

6. *Per quinos missus;* quinas equorum emissiones. Circensibus autem ludis quinque et viginti missus uno die fiebant: quoquo missu quatuor quadrigæ currebant.

propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis[7]. Ac super quadrigarum certamina Trojæ lusum exhibuit, et Africanas[8], conficiente turma equitum prætorianorum, ducibus Tribunis, ipsoque Præfecto: præterea Thessalos equites[9], qui feros tauros per spatia Circi agunt, insiliuntque defessos, et ad terram cornibus detrahunt. Gladiatoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit[10]; anniversarium in castris prætorianis[11], sine venatione apparatuque; justum atque legitimum in Septis; ibidem extraordinarium et breve, dierumque paucorum, quodque appellare cœpit[12] *Sportulam*, quia primum datu-

7. *Propria..... constituit loca, promiscue spectare solitis.* Id tenendum, de Circo h. l. exponi, non de theatro ludisque scenicis, in quibus proprias sedes Senatores Equitesque diu ante acceperant per leges Rosciam et Juliam theatralem. Porro, « spectabant quidem, ait Dio, LX, 7, jam ante in Circo separatim et per se singuli ordines, Senatorum, Equitum, et plebis, ex quo primum id institutum fuit: non tamen certi loci singulis ordinibus assignati fuerunt. At tunc secrevit Claudius Senatoribus eas sedes, quas nunc quoque obtinent, fecitque ipsis potestatem, si vellent, alio quocumque loco in vulgari veste spectandi. » Haud ita igitur intelligendum Nostri *promiscue spectare*, quasi mixtim Senatores inter plebem sedissent, quum confusissimum spectandi morem ordinasset jam Augustus, sed huic ordini nondum propria data fuerant sedilia, quæ occupare reliquæ multitudini haud liceret, quod nunc mutatum a Claudio. Postea Equiti etiam loca a ceteris secreta Circensibus tributa a Nerone (Ner. cap. 11). Accuratius de hac re exponentes vide Fabric. ad Dion. l. c. et, quem omnes secuti sunt, Lips. ad Tacit. XV, 32.

8. *Et Africanas.* Dio, LX, 7. Ita Caligula (c. 18) modo Africanarum venationem, modo Trojæ decursionem Circensibus interjecerat.

9. *Præterea Thessalos equites*, etc. Plin. VIII, 45 (70): « Thessalorum gentis inventum est, equo juxta quadrupedante cornu intorta cervice tauros necare. Primus id spectaculum dedit Romæ Cæsar Dictator. » Cf. Oudend. ad nostr. loc. Argol. ad Panvin. de Lud. Circ. II, 3 (Thes. Græv. tom. IX, p. 390), et Reimar. ad Xiphil. LXI, 9.

10. *Gladiatoria munera... exhibuit.* Conf. Dio, LX, 13.

11. *Anniversarium in castris prætorianis*, etc. quo die imperium ibi acceperat, 24 Januar. Memorat Dio, LX, 17. Similes fuisse videntur ludi *castrenses*, de quibus vide Tiber. 72, quamquam locus, causa, editores differunt.

12. *Appellare cœpit.* Interpre-

rus edixerat, « velut ad subitam condictamque[13] cœnulam invitare se populum. » Nec ullo spectaculi genere communior[14] aut remissior erat, adeo, ut oblatos victoribus aureos, prolata sinistra pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret, ac sæpe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, *dominos* identidem appellans, immixtis interdum frigidis et arcessitis jocis : qualis est, ut[15] quum Palumbum postulantibus, « daturum se, » promisit, « si captus esset. » Illud plane [16]quantumvis salubriter et in tempore : quum essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium favore indulsisset rudem, tabulam illico misit, admonens populum, « quanto opere liberos suscipere deberet, quos videret et gladiatori præsidio gratiæque esse. » Edidit et in Martio campo expugnationem direptionemque oppidi[17] ad imaginem bellicam, et deditionem Britanniæ regum, præse-

tantur *appellavit*, vel corrigunt cum Lipsio *appellari*. Sed primus ita appellavit Claudius ex imitatione ciborum, ubi sportulæ rectæ cœnæ opponuntur.

13. *Condictamque;* subito nempe ab amicis; haud diu præparatam.

14. *Communior.* Male al. *comior.* Illum Græci κοινός, ad literam nos, *un homme commun. Communis* tamen, hoc est, qui ad communem lætitiam vulgique studia se demitteret, majori cum laude esse poterat, quam *remissus*, h. e. dignitatis suæ atque decori prorsus immemor, ita ut sinistram toga exsereret, quod turpe, et per digitos numeraret, addito voce numero, quod incultæ plebi fieri solet.

15. *Qualis est, ut,* etc. Nisi additicia sunt voc. *qualis est*, quibus explicatum puto sequens *ut*, incuriosior h. l. fuit scriptoris stilus. Frigidus Principis jocus in *Palumbi* gladiatoris nomine, quod ad avem ejusdem nominis deflectebat.

16. *Illud plane quantumvis,* etc. Delevi comma post *plane*. Supplent *frigidum* vel *arcessitum est*, quod non placet. Imo uno frigidi joci exemplo defunctus auctor addit, illud (quidem) *plane* h. e. sine dubio, certe (nisi legendum *sane* cum altero libro, quod præstat), *quantumvis*, h. e. valde *salubriter et in tempore* fecit monuitque, quum, etc. Hunc usum voc. *quantumvis* confirmant loci Calig. 53, *quantumvis facundus et promtus*, et Claud. 10, *quantumvis mirabili casu*. — De *rudis* beneficio vide ad Tiber. cap. 7.

17. *Edidit et.... expugnationem direptionemque oppidi,* etc. Perti-

ditque paludatus. Quin et, emissurus Fucinum lacum, naumachiam [18] ante commisit. Sed quum, proclamantibus naumachiariis, « Ave, Imperator, morituri te [19] salutant, »

nuisse videtur hoc spectaculum ad πανήγυριν τὴν τῶν νικητηρίων, de qua Dio, LX, 23.

18. *Emissurus Fucinum lacum, naumachiam*, etc. Cf. Dio, c. 33. Accurate navale hoc prælium describit Tacit. Annal. XII, 56 : « Sub idem tempus (ann. 806), inter lacum Fucinum amnemque Lirin, perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale prælium adornatur; ut quondam Augustus, structo cis Tiberim stagno, sed levibus navigiis, et minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque et undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent; ac tamen spatium amplexus, ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium, et prælio solita. In ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex quis catapultæ ballistæque tenderentur. Reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. Ripas et colles, ac montium edita, in modum theatri multitudo innumera complevit proximis e municipiis, et alii urbe ex ipsa, visendi cupidine, aut officio in principem. Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata, præsedere. Pugnatum, quamquam inter sontes, fortium virorum animo : ac, post multum vulnerum, occidioni exempti sunt. » — De *emissario Fucini lacus* vide quæ supra dicta sunt ad cap. 20.

19. *Ave, Imperator, morituri te salutant*. In re diversissima eamdem fere vocem memorat scriptor nobilis DE SÉGUR, *Histoire de Napoléon et de la Grande Armée, pendant l'année* 1812 (lib. IV, cap. 2), sed ita quidem, ut non miserationem, quod Suetonius, at horrorem admirationemque legentibus incutiat, quibus nempe sensibus milites nostros, re visa, stupefactos narrat : « ... il (Napoléon) ordonne à un escadron des « Polonais de sa garde de se jeter « dans cette rivière (la Vilia). Ces « hommes d'élite s'y précipitèrent « sans hésiter. D'abord, ils marchèrent en ordre, et quand le « fond leur manqua, ils redoublèrent d'efforts. Bientôt ils atteignirent à la nage le milieu des « flots. Mais ce fut là que le courant, plus rapide, les désunit. « Alors leurs chevaux s'effraient, « ils dérivent, et sont emportés par « la violence des eaux. Ils ne nagent plus; ils flottent dispersés. « Leurs cavaliers luttent et se débattent vainement; la force les « abandonne; enfin ils se résignent. « Leur perte est certaine, mais c'est « à leur patrie, c'est devant elle, « c'est pour leur libérateur qu'ils « se sont dévoués; et près d'être « engloutis, suspendant leurs efforts, ils tournent la tête vers « Napoléon, et s'écrient *Vive l'Empereur!* On en remarqua trois surtout, qui, ayant encore la bouche hors de l'eau, répétèrent ce « cri, et périrent aussitôt. »

respondisset, « Avete vos[20]; » neque post hanc vocem, quasi venia data, quisquam dimicare vellet: diu cunctatus, an omnes igni ferroque[21] absumeret, tandem e sede sua prosiluit, ac per ambitum lacus, non sine fœda vacillatione[22], discurrens, partim minando, partim adhortando, ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia[23] concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerserat.

XXII. Quædam circa cerimonias, civilemque et militarem morem, item circa omnium ordinum statum, domi forisque, aut correxit, aut exoleta revocavit, aut etiam nova instituit. In cooptandis per collegia sacerdotibus, neminem nisi juratus nominavit[1]; observavitque sedulo, ut quoties terra in Urbe movisset, ferias advocata concione Prætor indiceret; utque, dira avi[2] in Urbe aut in Capitolio visa, obsecratio haberetur, eamque ipse[3] jure

20. *Avete vos; Χαίρετε καὶ ὑμεῖς*, quæ verba, quum incolumitatem apprecari soleant iis, quos salutant, veniam sibi datam significare putabant, vel interpretabantur miseri naumachiarii. Varietatem lectionis et interpretum ineptias vide apud Burm. et Oudendorp.

21. *Igni ferroque*. Lips. ad Tacit. Annal. XI, 23, suadet *vi ferroque*, injuria, et præter necessitatem contra Codd.

22. *Non sine fœda vacillatione*. Vide cap. 30, « ingredientem destituebant poplites minus firmi. »

23. *Classis Sicula et Rhodia*. Cf. Cæs. 39. Postea Sueton. *duodenarum* triremium singulas classes fuisse dicit, Dio l. c. *quinquagenarum*, cui magis convenit numerus pugnatorum apud Tacit. l. c. « Claudius triremes quadriremesque et *undeviginti hominum millia* armavit, » ubi Lips. *centum* inserendum censet ante *triremes*. Aliorum curas ad locum nost. vide apud Burmann. Nos dissensum annotasse contenti, de conciliando desperamus, neque res tanti.

XXII. 1. *Nominavit;* proprium in hac re verbum. Cf. Cic. Philipp. II, 2 (ubi, *nominare Augurem*); Tacit. Annal. IV, 16 (ubi, « tres simul *nominari*, ex quis unus legeretur, vetusto more » ad Flaminium).

2. *Dira avi*. Bubonem intellige, aut incendiariam avem, etc.

3. *Eamque ipse.... commonito pro Rostris populo, præiret*. Ernest. per edictum commonitum populum existimat ad frequentanda obse-

Maximi Pontificis, commonito pro Rostris populo, præiret, summotaque operariorum servorumque turba.

XXIII. Rerum actum, divisum antea in hibernos æstivosque menses, conjunxit[1]. Jurisdictionem de fidei commissis, quotannis et tantum in Urbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum atque etiam per provincias potestatibus demandavit[2]. Capiti Papiæ Poppææ legis, a Tiberio Cæsare, quasi sexagenarii generare non possent, addito, obrogavit[3]. Sanxit, ut pupillis extra ordinem tutores a Consulibus darentur[4], utque hi, quibus a magi-

crationis sollemnia, et *pro Rostris* refert ad *præiret*, quo verborum ordine auctor sententiam justo obscuriorem ipse reddidisset. Burmann. trajectis verbis legere mavult, *commonito populo pro Rostris præiret*, quod non magis necessarium. Progressa commonitione de causa sollemnitatis et avertenda Deorum ira Pontifex pro Rostris sive in concione obsecrationis formulam præibat. Postea *operariorum* pro *operarum* e MSS. restituere Ernest. et Oudend.

XXIII. 1. *Rerum actum.... conjunxit;* h. e. instituit, ut administratio judiciorum per æstatem et autumnum uno tenore procederet sive continuaretur, interrupta antea feriis vernis et autumnalibus, adeoque relicta tantum certis mensibus hibernis et æstivis. Ipse suus interpres Noster, Galb. 14, ubi « judicibus concessum a Claudio beneficium » dicit, « ne hieme initioque anni ad judicandum evocarentur. » Antea mixti erant menses labori judiciali et feriis dati; novo Claudii instituto altera pars anni judiciis, altera feriis sine intermissione destinata est.

2. *Jurisdictionem... potestatibus demandavit.* Quum ex instituto Augusti Consules *extra ordinem* modo de fidei commissis cognovissent, nunc a Claudio duo Prætores lecti sunt, quibus ordinaria de iis esset jurisdictio (vide Pompon. de Orig. Jur. lib. II), atque data etiam provinciarum præsidibus perpetua de iis cognoscendi potestas. Conf. Bachii Histor. Jurispr. Rom. pag. 376, ed. Stockmann.

3. *Capiti Papiæ Poppææ legis... obrogavit;* h. e. illud caput, quo nuptiæ sexagenariorum vetitæ erant, ut non idoneorum procreandæ soboli, mutavit edicto vel Senatusconsulto (cf. Ernest. ad Tac. Annal. XI, 13), indigne ferens, sibi etiam seni facultatem virilem capite illo negatam. Patet, ante nuptias cum Agrippina, quas impediebat legis additamentum, mutari illud jussisse. Ceterum, vide Perizon. Dissert. II, pag. 153 seq. et Bachii l. c. pag. 352.

4. *Sanxit, ut pupillis... tutores... darentur.* Ut pupillis et feminis, quibus nec testamentarius, nec legitimus tutor esset, tutor daretur a Prætore et majore parte Tribu-

stratibus provinciæ interdicerentur, Urbe quoque et Italia summoverentur. Ipse quosdam novo exemplo relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab Urbe. De majore negotio acturus in Curia, medius inter Consulum sellas, tribunicio subsellio sedebat[5]. Commeatus, a Senatu peti solitos, beneficii sui fecit[6].

XXIV. Ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis[1] indulsit. Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit. Latum clavum, quamvis initio affirmasset, non lecturum se[2] Senatorem, nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit; sed sub conditione, si prius ab Equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum Censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit[3]; ignarus, temporibus

norum plebis, sancitum antea fuerat *lege Atilia*, idque jus, tutóres constituendi, communicatum etiam cum provinciarum præsidibus *lege Julia et Titia*, ann. 722. Nunc senatusconsulto Claudiano demandata ea res *extra ordinem* Consulibus, quod Trajani adhuc temporibus valuisse patet ex Plin. Epist. IX, 13. Mox a M. Antonino singularis institutus est *Prætor tutelaris* vel *pupillaris*. Conf. Heinecc. Ant. Rom. I, tit. 20, § 9 seq.

5. *Medius... sedebat*. Conf. Dio, LX, 16, ubi relationem ad Senatum memorat de seditione Scriboniani. Eodem auctore, XLIV, 4, Cæsari pro summo honore decretum a senatu fuit, ut in tribuniciis subselliis sederet, quo modo et Caligulam ipsum, dum regna regulis tribuit, sedentem repræsentat LIX, 12.

6. *Commeatus... beneficii sui fecit*. Cf. Dio, LX, 25. Nimirum antea Senatoribus commeatus datus erat a Cæsaribus per Senatum; Claudius autem eam veniam sui tantum juris beneficiique fecit, omisso Senatu. Vide Lips. ad Tacit. Ann. XII, 23; Ernest. ad h. l.

XXIV. 1. *Procuratoribus ducenariis*. Quum, mutato veteri more, magistratibus provinciarum ab Augusto certa salaria præscripta sunt, institutum et hoc, ut *ducenarii*, *centenarii*, *sexagenarii* dicerentur, quorum stipendium essent ducena, centena, vel sexagena Sestertia. Dio, LIII, 15, ubi vide quos laudat Fabric.

2. *Non lecturum se*, etc. *Se*, absorptum in plerisque a sequente *Senatorem*, ex optimis Codd. restituerunt Burm., Oudend., Ernest., et necessarium ad loci perspicuitatem jure monet Wolfius.

3. *Etiam Appium Cæcum.... li-*

Appii et deinceps aliquamdiu *libertinos* dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his [4] procreatos. Collegio Quæstorum pro stratura viarum gladiatorium munus injunxit[5]; detractaque Ostiensi et Gallica provin-

bertinorum filios... allegisse docuit. Livio, IX, 46, dicitur is « Senatum primus libertinorum filiis lectis inquinasse; » et c. 29, « infamis atque invidiosa Senatus lectio » de re eadem est. Aurel. Victor, de Vir. Illustr. c. 34, « App. Claudius Cæcus in censura libertinos quoque in Senatum legit. » Claudius denique apud Tac. Annal. XI, 24, in oratione, « Libertinorum filiis magistratus mandari : non, ut plerique falluntur, recens; sed priori populo factitatum est. »

4. *Ignarus... procreatos.* Ernest. ad h. l. et in Clav. Cic. cum aliis eam Suetonio affingit sententiam, quasi, Appii temporibus nomen libertinorum *posteris* etiam libertinorum, quamvis jam ingenuis, mansisse dixisset, gravissime increpans, qui aliter existimant. Virum doctissimum, sed diversi judicii impatientiorem, ita refutarunt Bremius et Wolfius, ut nihil reliqui videam. Optime ille monet, ita scripturum fuisse Suetonium, « non solum eos, qui manumitterentur, sed ingenuos *etiam* ex his procreatos, » neque explicari posse *non* pro *non modo*, quoniam ambiguitati ita locum dedisset, ubi id ageret, ut alios meliora edoceret. Hæc igitur auctoris est sententia: « Male se defendit Claudius proauctoris generis sui, Appii Claudii, exemplo, quum, illo ævo æque, ac suo, *libertinos* ipsos manumissos esse putaret, et ab illo etiam manumissorum filios in Senatum lectos, contenderet. Nepotibus demum data et ingenuitas et Curia. Illis enim temporibus *non ipsi* manumissi *libertini* dicti sunt, sed ex his procreati, h. e. filii, qui nunc *ingenui* statim habentur. » An vera disputet Suetonius de antiquo vocis usu, nemo nunc definierit, quum optimi etiam scriptores haud aliter, quam Claudius, sensisse videantur. Id quidem certum, ipsum hanc opinionem ad refellendos alios ut unice veram h. l. protulisse, idque verbis clarissimis, cumque eo pugnandum Ernestio fuisse, non cum viris doctis, qui ejus mentem recte ceperant.

5. *Collegio Quæstorum... gladiatorium munus injunxit.* Tacit. Annal. XI, 22: « Iisdem Consulibus (ann. 800) P. Dolabella censuit, spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur, » et postea conqueritur, *sententia Dolabellæ velut venumdatam quæsturam*, ut quæ ditioribus tantum patere cœpisset. Ceterum, ambiguitas est in verbis Nostri *pro stratura viarum*, quæ esse possunt, « *loco* nunc ademtæ straturæ viarum, » vel, « *ob* straturam viarum, ut onus cum illo officio conjunctum. » Porro Ernestius, adstipulante Bremio, straturam viarum impositam Quæstoribus ab Augusto putat, ademto ærario. Malo accedere Fabricio (ad Dion. LX, 17), qui ereptam Quatuorvi-

çia[6], curam ærarii Saturni[7] reddidit, quam medio tempore Prætores, aut, uti nunc, prætura functi sustinuerant. Triumphalia ornamenta Silano, filiæ suæ sponso, nondum puberi dedit[8]; majoribus vero natu tam multis,

ris viarum curam Corbulonis consiliis (Dio, LIX, 15), et demandatam Quæstoribus, nunc a Claudio illis redditam, his honoris loco (ita saltem eum intelligo) pro adempta stratura gladiatorium munus injunctum existimat; atque magis conveniret huic interpretationi, quod pro *injunxit* dant alii, *indulsit*, quamquam multi etiam honores mera sunt onera, necessitate nobis *injuncta*, unde Tacit. Annal. XIII, 4, sub Nerone constitutum dicit, « ne designatis Quæstoribus edendi gladiatores *necessitas esset*, » quo quidem *acta Claudii subverti*, Agrippina querebatur. Ceterum, cum Oudendorp. et Wolf. post Lips. ad Tacit. Annal. l. c. dedimus *gladiatorium* pro *gladiatorum*, quod operam gladiatoriam significaret.

6. *Detractaque Ostiensi et Gallica provincia;* quas Quæstoribus demandaverat Augustus. Dio, LV, 4. Detractas a Claudio narrat idem, LX, 24. De *Gallica* provincia sive agro Gallico circa Padum, cujus caput sedesque Quæstoris Ariminum erat, cf. Ernest. ad h. l. et in Clav. Cic. ind. geogr., et Lips. ad Tacit. Ann. IV, 27 (qui satis refutavit Torrentii conjecturam *et callium provincia*, ex Cæs. 19), denique Pigh. Annal. I, p. 468. Præferenda autem lectio *Gallica* alteri *Gallia*, ob præcedens *Ostiensi*.

7. *Curam ærarii Saturni*, etc. Augustus instituerat, auctore Nostro, c. 36, « ut cura ærarii a Quæstoribus urbanis ad prætorios Prætoresve transiret. » *Medium* igitur *tempus* est, quod excessit ab Augusto ad Claudium. Tacit. Annal. XIII, 29: « Augustus permisit Senatui, deligere Præfectos; dein ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero Prætorum, qui præessent: neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius Quæstores rursum imposuit, iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. Sed deerat robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero prætura perfunctos et experientia probatos delegit. » Hoc Neronis institutum valuit adhuc Vespasiani ætate, teste Tacito, Hist. IV, 9, ubi *Prætores ærarii* nominat, additque, « nam tum a Prætoribus tractabatur ærarium » (quamquam spuria hæc et ex margine intrusa videri possint), et valuisse Hadriani etiam tempore, ostendunt Nostri verba *uti nunc*, quomodo e Memm. aliisque bonæ notæ Codd. revocarunt Oudend. et Ernest. pro *utique nunc*, vel *utique tunc*.

8. *Triumphalia ornamenta Silano..... dedit*. Plures honores, Silano alterique genero Pompeio a Claudio tributos, memorat Dio, LX, 5, et cap. 31 (inserto e Peiresc. Excerpt. loco). Tacit. Annal. XII, 3, « L. Silano desponderat Octaviam Cæsar, juvenemque et alia clarum, *insigni triumphalium et*

tamque facile[9], ut epistola communis legionum nomine exstiterit, petentium, « ut legatis consularibus simul cum exercitu et triumphalia darentur, ne causam belli quoquo modo quærerent. » A. Plautio[10] etiam ovationem decrevit; ingressoque Urbem obviam progressus, et in Capitolium eunti, et inde rursus revertenti latus texit. Gabinio Secundo, Chaucis, gente Germanica, superatis[11], cognomen *Chaucius*[12] usurpare concessit.

gladiatorii muneris magnificentia, protulerat ad studia vulgi. » Conf. cap. 27.

9. *Tam multis, tamque facile.* Dio, LX, 23. — *Ut epistola communis... quærerent.* Dedi *communis*, quod habent Cod. Memm. et vett. editt., mutatum in usitatius *communi*. Postea improbanda est mutatio Ernest. *exierit* pro *exstiterit*, quod non est ab *existere*, sed ab *exstare*, cujus hoc ipso sensu frequentissimus usus est. Ceterum, compositas has literas a legionibus Germanicianis, quas argenti fodinis fatigaverat Curtius Rufus, narrat Tacit. Annal. XI, 20, « quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas literas, nomine exercituum, precantium Imperatorem, ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret. »

10. *A. Plautio;* qui in Britannia bello præfuerat ante Claudii adventum. Vide ad c. 17. *Triumphum*, vocabulo improprio, pro *ovatione*, quæ sola illo tempore cum ornamentis triumphalibus data privatis (vide ad Aug. 38), Plautio tribuunt Dio, LX, 30; et Eutrop. VII, 8, « Tam civilis autem circa quosdam amicos exstitit, ut etiam Plautium, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, *triumphantem* ipse prosequeretur, et conscendenti Capitolium *lævus incederet*, » hoc est, *latus tegeret*, de quo vide interpr. ad Horat. Sat. II, 5, 17, et Juvenal. III, 131: cf. Lips. Elect. II, 2.

11. *Chaucis.., superatis.* Ex hoc loco apud Dion. LX, 8, ubi, Πούπλιος Γαουίνιος Μαυρουσίους νικήσας, etc. post Leunclavium Reimarus pro Μαυρουσίους legendum censuit Καύχους, quum Xylandro et Fabricio, quos sequitur Oudendorp. ad h. l., præplacuerit Μάρσους. Quod vero Dion. c. 30, et Tacit. Annal. XI, 18, *Corbulo* Chaucos compescuisse dicitur, non Gabinius, id Fabric. et Reimarus ad l. c. ita conciliant, ut ille Gabinium Domitio Corbuloni successorem fortasse datum, hic Corbulonem Gabinio successisse, et contra eosdem pugnasse, statuant. Reimarus, temporum rationem et historicorum testimonia id docere, contendit, quæ ignorare me fateor. De *Chaucis* vel *Cauchis*, quod prætulit Oudend., vide Tacit. Germ. 35, coll. Cluv. Germ. Ant. III, 18

12. *Cognomen Chaucius.* Dubito

XXV. Equestres militias[1] ita ordinavit, ut post cohortem, alam; post alam, tribunatum legionis daret: stipendiaque[2] instituit, et imaginariæ militiæ genus, quod vocatur *Supra numerum*, quo absentes, et titulo tenus fungerentur. Milites domus senatorias salutandi causa ingredi, etiam Patrum decreto prohibuit. Libertinos, qui se pro Equitibus Romanis agerent, publicavit. [3]Ingratos, et de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem; advocatisque eorum negavit, se adversus libertos ipsorum[4] jus dicturum. Quum quidam ægra et affecta mancipia in insulam Æsculapii tædio medendi exponerent[5], omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec

adhuc de Latinitate hujus dictionis. Quæ enim Burmannus exempla congessit, locum nondum defendunt, quum nullum sit juncti ita accusativi et nominativi, quod est contra cujusvis linguæ regulas. Stat igitur sententia, legendum *Chaucii*, vel *Chaucium*. Longe alia res est, ubi duo sunt nominativi, ut Liv. XXXV, 24, « utrique eorum Salinator cognomen erat, » locisque similibus.

XXV. 1. *Equestres militias*, etc. hoc est, gradus militares, quos Equites Romani, qui jamdudum inter gregarios militare desierant, percurrerent, ita constituit, ut primum Centuriones essent cohortium, inde alæ equitum sociorum, quibus unice illo tempore utebantur Romani (conf. ad August. cap. 38, maxime quem ibi citavimus, Schelium ad Hygin.), præficerentur, tandem tribunatum totius legionis acciperent.

2. *Stipendiaque*; scil. *imaginaria*, ex sequentibus *imaginariæ militiæ genus.* Qui imaginaria stipendia per certos annos meruerant, iis hoc imputabatur, tanquam justam militiam per idem tempus fecissent. Mox *Supra numerum* pro *Super numerum* confirmatur veteri numo, quem attulit Torrentius, et loco Neronis, c. 15.

3. *Ingratos*, etc. Rem illustrat Dio, LX, 13 et 28, cujus quidem verba, et recte sentire Lips. ad Tacit. Annal. XIII, 26, atque Ernest. ad h. l. ostendunt, Claudii peculiare hoc fuisse in causis quibusdam judicium, non legem publice sancitam, et male extrudi a nonnullis *et* post *Ingratos*, quum modus, quo ingratos se ostenderant, diserte distinguatur, variæ autem aliæ causæ esse possent, ob quas patroni de libertis quererentur.

4. *Adversus libertos ipsorum*; scil. si ingrati illi essent, et ipsi de iis quererentur.

5. *Quum quidam... exponerent.* Conf. Dio, LX, 29, ubi Fabric. De *insula Æsculapii* vide Liv. II, 5, et Epit. Liv. XI.

redire in ditionem domini, si convaluissent: quod si quis necare quem mallet, quam exponere, cædis crimine teneri. Viatores ne per Italiæ oppida, nisi aut pedibus, aut sella, aut lectica transirent, monuit edicto[6]. Puteolis et Ostiæ singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocavit. Peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina, duntaxat gentilicia[7]. Civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino[8] securi percussit. Provincias Achaiam et Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, Senatui reddidit[9]. Lyciis, ob exitiabiles inter se discordias, libertatem ademit[10]: Rhodiis, ob pœnitentiam veterum delictorum, [11]reddidit.

6. *Viatores... monuit edicto.* Noluit igitur, equo vel vehiculo eos vehi, non puto, quæ Torrentii est sententia, ne viæ corrumperentur, sed ne honos Cæsari magistratibusque debitus, et ovationi atque triumpho proprius, a privatis usurparetur. Comparat Torrent. simile edictum Adriani ex Spartian. 22, et M. Antonini ex Capitolin. 23. In edicto Adriani quod vehicula cum ingentibus sarcinis Urbem ingredi prohibentur, id sane ad viarum curam Urbisque frequentiam impeditam illis vehiculis spectare videtur. Sed alia res cum equis, quorum usum ob vias vetitum, persuadere mihi nequeo.

7. *Duntaxat gentilicia;* ut adeo permitteret prænomina et cognomina, ut notarunt jam Ernest. et Oudend. contra Burmann., qui margini adscripta hæc verba existimat, parum probabiliter, etiam ob rariorem usum vocis *duntaxat*. Ceterum, in hoc etiam edicto reliquiæ apparent antiquæ superbiæ gentis Claudiæ.

8. *In campo Esquilino.* Supplicia extra portam Esquilinam haberi solita fuisse, docet Lips. ad Tacit. Annal. II, 33, Excurs. H.

9. *Provincias Achaiam et Macedoniam.... Senatui reddidit.* De Tiberio auctores sunt Tacit. Annal. I, 76, « Achaiam ac Macedoniam, onera deprecantes, levari in præsens proconsulari imperio, tradique Cæsari placuit, » et Dio, LVIII, 25, qui, quod Casaub. dicit, non dubitasse videtur, an Achaia et ipsa Cæsareis provinciis addita fuerit, sed, an Regulo, Poppæi Sabini successori, simul cum Macedonia commissa sit. Jam de Claudio idem Dio, LX, 24, ad ann. 797.

10. *Lyciis... libertatem ademit;* h. e. in provinciam redegit. Dio, LX, 17. De priori conditione Lyciæ vide Sigon. de Jure Provinc. I, 11, qui nostrum et Dionis locum omisit.

11. *Rhodiis... reddidit.* Ademtam illis ab ipso Claudio propter cives quosdam Romanos in crucem actos, ann. 797, refert Dio, LX, 24; re-

Iliensibus[12], quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit; recitata vetere epistola Græca Senatus populique Romani, Seleuco regi[13] amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. Judæos, impulsore Chresto assidue tumultuantes, Roma [14]expulit.

stitutam patrono Nerone, ann. 807, Tacit. Annal. XII, 58, « Redditur Rhodiis libertas, adempta sæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi seditione deliquerant. »

12. *Iliensibus*, etc. Causam eorum egit idem Nero. Conf. Neron. cap. 7; Tacit. loc. cit. qui, « Utque studiis honestis et eloquentiæ gloria nitesceret, causa Iliensium suscepta, Romanum Troja demissum, et Juliæ stirpis auctorem Æneam, aliaque haud procul fabulis vetera facunde executus, perpetrat, ut Ilienses omni publico munere solverentur, » ubi vide Lipsium, de priorum temporum erga Ilienses beneficiis, dataque a Claudio plena perpetuaque immunitate docte disserentem.

13. *Seleuco regi*. Secundum seu Callinicum intelligendum esse, e temporum ratione probat Oudendorpius.

14. *Judæos... Roma expulit.* Dio, LX, 6, toleratos quidem Romæ Judæos scribit, sed non datum eis, ut convenirent (ad ann. 794). Sed hoc edictum longe mitius diversum ab eo, de quo Noster h. l. et Lucas, Act. XVIII, 2, temporum etiam ratio docet, quum ad annum Claudii *nonum* hoc referatur ab Oros. VII, 6, e Josepho, ad *undecimum* vel *duodecimum* a recentioribus annalium auctoribus, ut Usserio, Tillemontio, Basnagio. Non minus incerta plurimisque adeo virorum doctorum contentionibus impedita sunt verba *impulsore Chresto*. Antiqui quidem omnes de Christo intellexere, auctore ipso Orosio, l. c., qui verbis Suetonii hæc subjungit, « quod, utrum contra Christum tumultuantes Judæos coerceri et comprimi jusserit, an etiam Christianos simul velut cognatæ religionis homines voluerit expelli, nequaquam discernitur; » et quod gentiles Christum immutata litera *Chrestum* dicere solitos, et ex aliis locis constat (vide Bingham. Orig. Eccles. I, 1, § 10), et proditur a Lactant. IV, 7; Christianos denique illo jam tempore plurimos Romæ fuisse, a Romanis plerumque cum Judæis confusos, nullum est dubium. Vide Walch. ad Lactant. l. c. et Wirthii et Heumanni Dissert. de Chresto Suetonii. In diversas partes abierunt post Usserium (Annal. pag. 669, ad ann. Christ. 54) et Daleum (Dissert., quæ libro *de Oraculis Veterum Ethnicorum* adjecta est, Amstelod. 1700) recentissimi fere omnes, qui, ut ab errore Suetonium liberarent, alium hominem incertum, Græcæ originis, sed Judæorum sacra professum, et tumultuum Romæ auctorem, intellexerunt. Vide Hilscheri Dissert. de

Germanorum legatis[15] in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum et fiducia motus, quod in popularia deducti[16], quum animadvertissent Parthos et Armenios sedentes in Senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam prædicantes. Druidarum religionem apud Gallos, diræ immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit[17]. Contra sacra Eleusinia[18] etiam transferre ex Attica Romam conatus est; templumque in Sicilia Veneris

Chresto, cujus mentionem Suetonius facit, Quod ille non sit Christus, mundi salvator; coll. Ayrer. ad Blackwall. de Præstantia Class. Auctorum, pag. 139. Nihil audeo definire in tanto dissensu. Id modo adjicio, Suetonium, si de ignoto homine sermonem fecisset, haud dubie scripturum fuisse *impulsore Chresto quodam*, neque argutandum in voc. *impulsore*, quod de præsente tantum dici contendunt, ego de quovis auctore, qui primum occasionem rei dedit, adhiberi posse existimo, vel, si vel maxime admitti hoc nequeat, errorem etiam auctoris in peregrina, ut putabant, superstitione, serius demum accuratius cognita, ob alios similes in optimis scriptoribus reperiundos, facillime cogitari posse. Cf. Lips. ad Tacit. Annal. XV, 44.

15. *Germanorum legatis*, etc. Neronis tempore factum ann. 812, narrat Tacit. Annal. XIII, 54, cui major fides, ut ex instituto additoque et anno et occasione hac de re exponenti. Legati erant Frisiorum Verritus et Malorix, « qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur. »

16. *In popularia deducti*; sedes populo destinatas. — *Nihilo deteriorem virtutem... suam prædicantes*. Tacit. loc. cit. « Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse, exclamant, degrediunturque et inter Patres considunt, etc. »

17. *Druidarum religionem... penitus abolevit*. Plin. Hist. Nat. XXX, 1 (4): « Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas Gallorum, et hoc genus vatum medicorumque. » Vel error alterutrius scriptoris in simili duorum Cæsarum nomine, vel lapsus librarii apud Plinium, legendumque *Tiberii Claudii*, vel *Tiberii Claudii Cæsaris* videtur. Lips. ad Tacit. Annal. XII, 42, Tiberium in Urbe tantum, Claudium in Gallia ipsa hanc superstitionem sustulisse putat. Ceterum, quum serius adhuc, ut Tacit. Annal. XIV, 30, et Lamprid. Alex. 60, Druidarum fiat mentio, Claudii edictum effectu caruisse putant, et sane superstitiones nullis facile edictis abolentur. De *Druidarum* nomine et religione vide plurima congesta a Tzschuck. ad Mel. III, 2, 3.

18. *Sacra Eleusinia*. Vide Salmas. ad Spartian. Adrian. cap. 22. Contra eumdem, sacra *Eleusina*

Erycinæ[19], vetustate collapsum, ut ex ærario populi Romani reficeretur, auctor fuit. Cum regibus fœdus in Foro icit, porca cæsa, ac vetere Fecialium præfatione[20] adhibita. Sed et hæc, et cetera, totumque adeo ex parte magna principatum, non tam suo, quam uxorum libertorumque[21] arbitrio, administravit; talis ubique[22] plerumque, qualem esse eum, aut expediret illis, aut liberet.

XXVI. Sponsas admodum adolescens duas habuit: Æmiliam Lepidam, Augusti proneptem[1]; item Liviam Medullinam, cui et cognomen Camillæ erat, e genere antiquo Dictatoris Camilli. Priorem, quod parentes ejus Augustum offenderant[2], virginem adhuc repudiavit: posteriorem ipso die, qui erat nuptiis destinatus, ex valetudine amisit. Uxores deinde duxit Plautiam Urgulanillam[3], triumphali, et mox Æliam Petinam[4], consulari

scribendum contendentem, vulgarem formam asserit ad hunc locum Oudendorp.

19. *Templumque... Veneris Erycinæ;* quòd susceperat quidem reficere Tiberius (Tacit. Annal. IV, 43), sed omisisse videtur, ut pleraque hujusmodi opera. Addidit autem Noster *in Sicilia,* quoniam Romæ etiam Veneris Erycinæ templum erat.

20. *Ac vetere Fecialium præfatione,* etc. Cf. Liv. I, 24.

21. *Uxorum libertorumque.* Vide cap. 28 seq.

22. *Ubique.* Hoc ad res pertinet, et est, « in omnibus rebus; » *plerumque* ad tempus, i. e. « omni tempore. » Burm. præfert *utique,* quod placuit etiam Ernestio. Sed hoc plane abundaret.

XXVI. 1. *Augusti proneptem.* Filia enim erat Juliæ, neptis Augusti, ex L. Paulo (cf. Aug. 64), soror M. Æmilii Lepidi, de quo vide Calig. 24, et Lips. ad Tacit. Annal. XIV, 2: conf. Glandorp. pag. 31.

2. *Quod parentes ejus Augustum offenderant.* Pater L. Paulus conjuratione (Aug. 19), mater Julia vitæ probris (Aug. 65).

3. *Plautiam Urgulanillam.* Vide de ejus genere, quæ disserit Burmann. *Urgulania*, avia Plautii Silvani Prætoris, Liviæ amica, occurrit apud Tacit. Annal. IV, 22. Pater Plautiæ fuisse videtur *Silvanus* ille *Plautius* consularis, cujus res gestas in bello Pannonico memorant Vell. II, 112, et Dio, LV, 34.

4. *Et mox Æliam Petinam.* Pitiscus *Sexti Ælii* filiam facit, Consulis ann. 756 cum C. Sentio Saturnino. Sed ei *Catum* cognomen, non *Petum*. Tacit. Annal. XII, 1, Æliam Petinam *e familia Tuberonum* fuisse dicit, ut adeo *Q. Ælii*

patre. Cum utraque divortium fecit: sed cum Petina, ex levibus offensis; cum Urgulanilla, ob libidinum probra et homicidii suspicionem. Post has Valeriam Messalinam, Barbati Messalæ, consobrini sui, filiam[5], in matrimonium accepit. Quam quum comperisset, super cetera flagitia atque dedecora[6], C. Silio etiam nupsisse, dote inter Auspices consignata, supplicio affecit[7]; confirmavitque pro concione apud prætorianos, « Quatenus sibi matrimonia male cederent, permansurum se in cœlibatu: ac nisi permansisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum. » Nec durare valuit[8], quin de conditionibus continuo tractaret, etiam de Petinæ, quam olim exegerat, deque

Tuberonis, Consulis ann. 743, filiam existimem.

5. *Barbati Messalæ, consobrini sui, filiam.* Diverse hanc Messalæ et Claudii cognationem deducunt Lips. ad Tacit. XI, 37, Perizon. Epist. ad Nic. Heinsium (Collect. Burm. tom. IV, p. 801), et Ryck. ad Tacit. l. c. quorum rationes transcribere longius foret. Hic M. Valerius Messala Barbatus Consul fuerat cum P. Sulpicio Quirino, ann. 742. Vide Glandorp. p. 867.

6. *Super cetera flagitia atque dedecora.* Cf. Dio, LX, 18. — *C. Silio etiam nupsisse.* Vide Dion. c. 31, et Tacit. XI, 26 seq. « Nec ultra exspectato, quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum sollemnia celebrat. Haud sum ignarus, fabulosum visum iri, tantum ullis mortalium securitatis fuisse, in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum Consulem designatum, cum uxore Principis, prædicta die, *adhibitis qui obsignarent*, velut suscipiendorum liberorum causa, convenisse, atque illam audisse *Auspicum verba*, subisse, sacrificasse apud Deos; discubitum inter convivas; oscula, complexus; noctem denique actam licentia conjugali, etc. » (ann. 801).

7. *Supplicio affecit.* Transfixa est a Tribuno in hortis Lucullianis, quo fugerat. Vide Tacit. l. c. cap. 37 et 38.

8. *Nec durare valuit*, etc. Tacit. XII, 1: « Cæde Messalinæ convulsa Principis domus, orto apud libertos certamine, quis deligeret uxorem Claudio, *cœlibis vitæ* intoleranti, et conjugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu feminæ exarserant; suam quæque nobilitatem, formam, opes, contendere, ac digna tanto matrimonio ostentare. Sed maxime ambigebatur inter *Lolliam Paullinam*, M. Lollii Consularis filiam, et *Juliam Agrippinam*, Germanico genitam. Huic Pallas, illi Callistus, fautores aderant. At *Ælia Petina*, e familia Tuberonum, Narcisso fovebatur, etc. »

Lolliæ Paulinæ, quæ C. Cæsari nupta fuerat. Verum illecebris Agrippinæ[9], Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi et blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit, proximo Senatu qui censerent[10], cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi Reipublicæ maxime interesset; dandamque ceteris veniam talium conjugiorum[11], quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac vix uno interposito die confecit nuptias; non repertis[12], qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, et altero

9. *Verum illecebris Agrippinæ*, etc. Cf. Dio, LX, 31. Tacit. Ann. XII, 3: « Prævaluere hæc (Pallantis verba), adjuta Agrippinæ illecebris, quæ ad eum, per speciem necessitudinis, crebro ventitando, pellicit patruum, ut prælata ceteris, et nondum uxor, potentia uxoria jam uteretur. »

10. *Subornavit... qui censerent*, etc. Auctore Tacit. Annal. XII, 5, retulit de hoc matrimonio ad Senatum Vitellius, et (cap. 6) multa Patrum assentatio secuta est. Cap. 7, « Haud defuere, qui certatim, si cunctaretur Cæsar, *vi acturos* testificantes, erumperent Curia. Conglobatur promiscua multitudo, populumque Romanum eadem orare, clamitat, etc. » Agrippina ipsa apud Racine, *Britannicus*, act. IV, sc. 2:

Quand de Britannicus la mère condamnée
Laissa de Claudius disputer l'hyménée,
Parmi tant de beautés qui briguèrent son choix,
Qui de ses affranchis mendièrent les voix,
Je souhaitai son lit dans la seule pensée
De vous laisser au trône où je serais placée.
Je fléchis mon orgueil; j'allai prier Pallas.
Son maître, chaque jour caressé dans mes bras,
Prit insensiblement dans les yeux de sa nièce
L'amour où je voulais amener sa tendresse.
Mais ce lien du sang qui nous joignait tous deux
Écartait Claudius d'un lit incestueux:
Il n'osait épouser la fille de son frère.
Le Sénat fut séduit: une loi moins sévère
Mit Claude dans mon lit, et Rome à mes genoux.

Censerent recepimus et ipsi pro *censeret*. Non enim ad solum Vitellium referendum, sed ad eos maxime, qui ei statim adstipulabantur.

11. *Dandamque... veniam talium conjugiorum*. Tacitus, ibid. cap. 7: « Senatum ingressus (Claudius) decretum postulat, quo justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur. » *Incesta* autem non prohibita modo antea fuerant, sed in prodigiis etiam habita. Vide Gronovium ad Tacit. Annal. XII, 5, « Quin et incestum, ac, si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur. »

12. *Non repertis*, etc. Tacit. Annal. XII, 7, « Neque tamen repertus est, nisi unus, talis matrimonii cupitor, T. Alledius Severus, Eques Romanus, quem plerique Agrippinæ gratia impulsum, ferebant, » ubi vere Lipsius notat: Non habuit curæ, nescio quem recensere libertinum.

primipilari, cujus officium nuptiarum et ipse cum Agrippina celebravit.

XXVII. Liberos ex tribus uxoribus tulit: ex Urgulanilla Drusum et Claudiam: ex Petina Antoniam: ex Messalina Octaviam, et quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominavit[1]. Drusum Pompeiis impuberem amisit[2], piro, per lusum in sublime jactato et hiatu oris excepto, strangulatum; cui et ante paucos dies filiam Sejani despondisset. Quo magis miror, fuisse, qui traderent, fraude a Sejano necatum. Claudiam, ex liberto suo Botere[3] conceptam, quamvis ante quintum mensem divortii natam, alique cœptam, exponi tamen ad matris januam, et nudam jussit abjici. Antoniam[4] Cn. Pompeio

XXVII. 1. *Et quem primo Germanicum... cognominavit.* Omnibus enim Germanici posteris hoc cognomen datum: vide supra, cap. 1. Cf. Dio, LX, 12.

2. *Pompeiis impuberem amisit.* Hæc emendatio Lipsii ad Tacit. Annal. III, 29, pro « Drusum *Pompeium puberem*, » post Casaub. ab omnibus est probata. Unus Gron. *Pomptie impuberem* maluit pro *Pomptiæ*, quod nemini placebit. *Pompeium puberem* ferri nequit et ob cognomen *Pompeium*, Druso temere affictum, et ob otiosum additamentum *puberem*. Si id monere voluisset auctor, scripsisset saltem *jam puberem*. Postea, pro *cui et*, Lips. et Gronov. conjecere *quum ei*, quod haud necessarium puto, quum *cui* sit *quum ei*, unde junctus ei est conjunctivus. Ceterum Tacit. l. c. ad ann. 773, « Adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Sejanus destinaretur. Polluisse nobilitatem familiæ videbatur, suspectumque jam nimiæ spei Sejanum *ultro* (sic malo pro *ultra*, quamvis repugnante Ernestio; *ultro* enim est *ipse etiam*) extulisse. » Non nominat alterum hunc Claudii filium Dio, LX, 32 (ubi legitur hic locus ex Peiresc. Excerpt. a Reimaro insertus).

3. *Botere.* Probabilis esset conjectura Reinesii *Sotere*, nisi in Gruter. Inscript. 610, 8, diceretur *Ti. Claudius Botrio*, et pag. 616, 9, *Botrus Cæs. serv.* Ipse hoc vidit Reines. ac corrigendum ex his videtur nomen hominis.

4. *Antoniam*, etc. Dio, LX, 5, ad ann. 794. De *Pompeio Magno* vide ad Calig. 35, et infra c. 29. De *Fausto Sulla*, Consule ann. 806, testis etiam Tacit. Annal. XIII, 23, ubi, « Deferuntur consensisse Pallas ac Burrus, ut Cornelius Sulla, claritudine generis et *affinitate Claudii*, *cui per nuptias Antoniæ gener erat*, ad imperium vocaretur. »

Magno, deinde Fausto Sullæ, nobilissimis juvenibus, Octaviam Neroni privigno suo collocavit, Silano ante desponsatam[5]. Britannicum, vicesimo imperii die[6], inque secundo consulatu natum sibi, parvulum etiam tum, et militi, pro concione manibus suis gestans, et plebi, per spectacula gremio aut ante se retinens, assidue commendabat, faustisque ominibus cum acclamantium turba prosequebatur. E generis Neronem adoptavit[7]: Pompeium atque Silanum non recusavit modo, sed et interemit[8].

5. *Octaviam Neroni.... Silano ante desponsatam.* Tacit. Annal. XII, 3, « Agrippina, ubi sui matrimonii certa fuit, struere majora, nuptiasque Domitii, quem ex Cn. Ænobarbo genuerat, et Octaviæ, Cæsaris filiæ, moliri; quod sine scelere perpetrari non poterat, quia L. Silano desponderat Octaviam Cæsar, juvenemque et alia clarum, insigni triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia, protulerat ad studia vulgi; » cap. 9, « Placitum dehinc, non ultra cunctari; sed designatum Consulem, Memmium Pollionem, ingentibus promissis inducunt, sententiam expromere, qua oraretur Claudius, despondere Octaviam Domitio, quod ætati utriusque non absurdum, et majora patefacturum erat (ann. 803); » c. 58, « D. Junio, Q. Haterio Coss. (a. 807), sedecim annos natus Nero Octaviam, Cæsaris filiam, in matrimonium accepit. »

6. *Vicesimo imperii die.* Patet, ipsum sibi repugnare auctorem. Vicesimus enim imperii dies fuit 13 Febr. ann. 794, secundum consulatum adiit ann. 795, quo anno natum Britannicum, conjicias etiam ex Dione, LX, 12. Diversus etiam Tacitus, qui Annal. XII, 25, *Neronem biennio majorem Britannico*, et XIII, 15, *hunc* ann. 808, *quartum decimum ætatis annum explevisse* dicit. Vide quæ de conciliandis scriptoribus Ernest. ad h. l. et ab eo laudati interpp. maxime Ryck. ad Tacit. l. c. et Reimar. ad Xiphil. LXI, 1 et 3. Postea *militi* ex MSS. et assiduo quum Nostri, tum aliorum usu prætulerunt vulg. *militibus* Ern. et Oudend.

7. *Neronem adoptavit.* Dio, LX, 33. Tacit. XII, 25, « C. Antistio, M. Suilio Coss., adoptio in Domitium, auctoritate Pallantis, festinatur, etc. » Ann. 803. Agrippina apud Racine, loco supra cit. ubi sua in Neronem beneficia enumerat:

Je vous fis sur mes pas entrer dans ma famille (de Claude);
Je vous nommai son gendre, et vous donnai sa fille:
Silanus, qui l'aimait, s'en vit abandonné,
Et marqua de son sang ce jour infortuné.
Ce n'était rien encore. Eussiez-vous pu prétendre
Qu'un jour Claude à son fils dût préférer son gendre?
De ce même Pallas j'implorai le secours:
Claude vous adopta, vaincu par ses discours,
Vous appela Néron, et du pouvoir suprême
Voulut avant le tems vous faire part lui-même.

8. *Pompeium atque Silanum.... interemit.* Vide cap. 29.

XXVIII. Libertorum[1] præcipue suspexit Posiden spadonem[2], quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit: nec minus Felicem[3], quem cohortibus et alis provinciæque Judææ præposuit, trium reginarum maritum: et Arpocran[4], cui lectica per Urbem vehendi[5], spectaculaque publice edendi[6] jus tribuit: ac

XXVIII. 1. *Libertorum*. Senec. Apocol.: « Convolarunt primum omnium liberti, Polybius, Myron, Harpocras, Amphæus et Pheronactes, quos omnes, necubi imparatus esset, præmiserat. » De his libertis vide maxime Fabric. ad Dion. LX, 2.

2. *Posiden spadonem*. *Posides spado* memoratur etiam Juvenal. XIV, 91, et Plin. XXXI, 2, qui balineas in Baiano *Posidianas* vocatas dicit, nomine accepto a Claudii Cæsaris liberto. — De *hasta pura*, h. e. ferro non armata, ἀσιδήρῳ, seu *donatica*, vide Rosin. Ant. Rom. pag. 750 et 761, et interpr. ad Virgil. Æneid. VI, 760.

3. *Nec minus Felicem*, etc. Tacit. Hist. V, 9: « Claudius, defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Judæam provinciam Equitibus Romanis aut libertis permisit. E quibus Antonius Felix, per omnem sævitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit, Drusilla, Cleopatræ et Antonii nepte, in matrimonium accepta; ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset. » Hæc Drusilla, soror Ptolemæi, de quo dictum ad Calig. 26, prima Felicis fuit uxor stirpis regiæ; altera Drusilla, regis Agrippæ soror, de qua vide Act. Apost. XXIV, 24, et Joseph. Ant. XX, 5, qui priori marito Azizo, Emesenorum regi, abductam narrat per Judæum quemdam Cyprium, et edidisse e Felice filium, Agrippam nominatum, qui Vesuvii incendio, Imperatore Tito, perierit. Tertia uxor ignota est, unde varii vanique, Suetonium corrigendi, virorum doctorum fuere conatus. Plura de *Felice* nostro, Pallantis liberti fratre, vide apud Lips. ad Tacit. Annal. XII, 54, et Glandorp. Onomast. pag. 92 seq.

4. *Et Arpocran*; h. e. Harpocratem, qui commemoratur inter libertos Claudii a Seneca, l. c. Hunc eumdem Beroaldus putat, qui alibi *Callistus* nominetur, quod verum credere nequeo. Omisit hominis mentionem auctor, de quo vide Tacit. Annal. XI, 29, et XII, 1.

5. *Cui lectica per Urbem vehendi*, etc. Prohibitum plerisque lecticarum usum, legimus Cæs. 43. *Vehendi* passive dictum, ut *prætervehens* sæpius apud Nostrum.

6. *Spectaculaque publice edendi*. Spectaculum gladiatorum, ab Atilio, libertini generis homine, Fidenis editum Tiberio Cæsare, memorat Tacit. Annal. IV, 62, additque c. 63, « cautum in posterum Senatusconsulto, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res. » Sed hic locus, puto, cum nostro non est conferendus. Ibi enim sermo

super hos Polybium[7] a studiis, qui sæpe inter duos Consules ambulabat: sed ante omnes Narcissum[8] ab epistolis, et Pallantem a rationibus[9], quos decreto quoque Senatus non præmiis modo ingentibus, sed et quæstoriis prætoriisque ornamentis[10] honorari libens passus est, tantum præterea acquirere et rapere, ut, querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum, « Abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur. »

XXIX. His, ut dixi[1], uxoribusque addictus, non Principem, sed ministrum egit[2]. Compendio cujusque horum,

de spectaculo, privatim edito quæstus causa, ex admissis percipiendi, h. l. de jure spectacula *publice* edendi, quod licuerat huc usque magistratibus tantum, filiis Principum, quibusque aliis Principes eam curam suo nomine demandassent, unde minime *publice* pro glossa damnandum erat Ernestio, quum in eo summa honoris versetur.

7. *Ac super hos Polybium*, etc. Cf. Dio, LX, 29. Ad hunc Senecæ est consolatio. Cum Messalina stupri commercium habuisse, ab eadem sublatum, tradit Dio, LX, 31.

8. *Sed ante omnes Narcissum*, etc. cujus consilio Messalina periit (cf. Tacit. XI, 29 seq.), ad mortem postea adactum Agrippinæ odio sub Neronis principatu (Tacit. XIII, 1). Exstat apud Dion. LX, 34, factum ejus nobile, quum, immisso sibi post Claudii mortem percussore, omnes, quæ in sua erant potestate, quibusque secreta adversus Agrippinam continebantur, Claudii literas cremaverit.

9. *Et Pallantem a rationibus*. Hunc, ducendæ Agrippinæ et adoptandi Neronis auctorem, super bia non minus quam immensis divitiis insignem, Nero interfecit. Cf. Tacit. Annal. XIV, 65. Plura de eo dat Reimar. ad Xiphil. LXI, 3.

10. *Sed et quæstoriis prætoriisque ornamentis*, etc. Tacit. Annal. XI, 38, « decreta Narcisso *quæstoria insignia* » post interemtam Messalinam. *Prætoria* serius sub Nerone data Pallanti, tradit idem, XII, 53, « Pallanti... *prætoria insignia*, et centies quinquagies Sestertium censuit Consul designatus. » De eodem senatusconsulto ejusque monumento vide Plin. Epist. VII, 29, et VIII, 6. Pro verbo *honorari*, quod Suetonio frequentissimum ex optimis Codd. et Casauboni auctoritate Burmann. et Oudend. admisere, vulg. *ornari*, quod Græco more *ornamentis* jungeretur.

XXIX. 1. *Ut dixi;* cap. 25, fin. Delenda hæc verba judicabat Torrentius.

2. *Non Principem, sed ministrum egit*. Delevimus, quod fieri jusserant Grævius et Oudend., *se* post *Principem*, natum e proximo vocab. *sed*. Nunquam *se* addere in hac dictione Nostrum, exempla plurima sunt, neque addendum esse,

vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est[3]: et quidem insciens plerumque et ignarus. Ac ne singillatim minora quoque[4] enumerem, revocatas liberalitates ejus, judicia rescissa, suppositos aut etiam palam immutatos datorum officiorum codicillos; Appium Silanum, consocerum suum[5], Juliasque[6], alteram Drusi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defensione ulla data, occidit: item[7] Cn. Pom-

ipsa dictionis natura docet, e scena repetitæ. Alia res erat c. 25, in *iis, qui se pro Equitibus Romanis agerent*, ubi additum *pro* discrimen facit, haud observatum ab Ernestio. Quod ad rem attinet, cf. Dio, LX, 2.

3. *Compendio cujusque horum... largitus est.* Cf. Dio, LX, 17. Pro *impunitates*, Lips. suasit *immunitates*, quod recepit etiam Ern. Sed recte Bremius Wolfiusque ostenderunt, non inesse *impunitates* in sequentibus vocab. *supplicia largitus est*, ut Ernestius censet, sed contraria potius esse, ut Galb. 15, « donari gratia passus est vectigalia, immunitates, *pœnas innocentium, impunitates noxiorum.* » Postea *insciens et ignarus* more suo pleonastice conjunxit auctor. Quod enim Pitiscus alterum imperiti, alterum imprudentis aut negligentis esse dicit, id nescio, an nimis quæsitum sit, neque ipsi scriptori in mentem venerit. Pro *ac libidine*, ad marg. Plant. notatum *aut libidine*, quod habet Oudend. Mullerus suadet *libidini*.

4. *Minora quoque.* Dedimus lectionem Cod. Memm. pluriumque MSS., probatam Grævio et Wolfio. Oudendorp. edidit aliorum *minora quæque*, quod pejus etiam altera lectione, *minima quæque*.

5. *Appium Silanum, consocerum suum;* ob Octaviam, Claudii filiam, L. Junio Silano, hujus filio, desponsatam: vide c. 27. De re conf. Dio, LX, 14, qui Silano matrem Messalinæ nupsisse dicit, atque inde natum odium, quod cum nuru concumbere noluerit. De modo, quo circumventus homo est, vide cap. 37.

6. *Juliasque.* De *Germanici filia*, relegata antea a fratre Caio, postea revocata a Claudio, vide Dion. LX, 8, ubi Messalinæ mortem ejus tribuit. De *filia Drusi*, Tiberii filii, idem, cap. 18. D. Augustus apud Senecam, in Apocol. « Iste, quem videtis, per tot annos sub meo nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, ut duas Julias proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame. »

7. *Item Cn. Pompeium;* virum Antoniæ, Claudii ex Petina filiæ (vide c. 27). De ejus morte Zonaras, p. 563. Seneca, l. c. « Iste C. Cæsarem non desiit mortuum persequi: occiderat ille socerum, hic et generum. C. Cæsar Crassi filium vetuit Magnum vocari; hic nomen illi reddidit (cf. ad Calig. 35), caput

peium, majoris filiæ virum, et L. Silanum[8], minoris sponsum. Ex quibus Pompeius in concubitu dilecti adolescentuli confossus est: Silanus abdicare se prætura ante quartum Kalendas Januarias, morique initio anni coactus, die ipso Claudii et Agrippinæ nuptiarum. In quinque et triginta Senatores[9], trecentosque amplius Equites Romanos tanta facilitate animadvertit, ut, de nece consularis viri renunciante Centurione, « Factum esse quod imperasset, » negaret[10], quicquam se imperasse, nihilo minus rem comprobaret; affirmantibus libertis, officio milites functos, quod ad ultionem Imperatoris ultro procucurrissent. Nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio

tulit. » Postea « Crassum tam fatuum » dicit, « ut etiam regnare posset. »

8. *Et L. Silanum;* sponsum Octaviæ, minoris Claudii filiæ ex Messalina (c. 27). De ejus morte Tacit. Annal. XII, 4, « Vitellius, nomine Censoris serviles fallacias obtegens, ingruentiumque dominationum provisor, quo gratiam Agrippinæ pararet, consiliis ejus implicari, serere crimina in Silanum, cui sane decora et procax soror, Junia Calvina, haud multum ante Vitellii nurus fuerat. Hinc initium accusationis; fratrumque non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit. Et præbebat Cæsar aures, accipiendis adversum generum suspicionibus caritate filiæ promtior. At Silanus, insidiarum nescius, ac forte eo anno Prætor, repente per edictum Vitellii ordine senatorio movetur, quamquam lecto pridem Senatu, lustroque condito. Simul affinitatem Claudius diremit, adactusque Silanus, ejurare magistratum, et reliquus præturæ dies in Eprium Marcellum collatus est; » et cap. 8, « Die nuptiarum Silanus sibi mortem conscivit, sive eo usque spem vitæ produxerat, seu delecto die, augendam ad invidiam. Calvina, soror ejus, Italia pulsa est. » Cf. Zonaras, pag. 185.

9. *In quinque et triginta Senatores*, etc. Seneca, loc. cit. « occisos Senatores xxx, Equites Romanos cccxv atque plures; ceteros ccxxi ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε » ei objicit.

10. *Ut... negaret*, etc. h. e. negaret quidem, se imperasse, tamen rem comprobaret. Haud puto multum lucri facere orationem inserto *quum* post *ut*, quod e MSS. nonnullis recepit Oudend. et probavit Wolfius, interpretans *quum negaret* per *quamvis negaret*. Longe facilior mihi videtur oratio sine illa copula, quam etiam necessariam

fecerat, tabellas dotis et ipse consignaverit; inductus, quasi de industria simularentur, ad avertendum transferendumque periculum[11], quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.

XXX. Auctoritas dignitasque formæ non defuit vel stanti[1], vel sedenti, ac præcipue quiescenti. Nam et prolixo, nec exili, corpore erat; et specie canitieque pulchra, opimis cervicibus. Ceterum et ingredientem destituebant poplites minus firmi, et remisse quid vel serio agentem multa dehonestabant[2]: risus indecens; ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus; præterea linguæ titubantia, caputque, quum semper, tum in quantulocumque aetu vel maxime tremulum.

ad loci sanitatem censet Oudend.

11. *Transferendumque periculum;* in alterum Messalinæ maritum. Hujus enim marito pericula portendi, timido homini persuaserant. Postea notandus, non mutandus infinitivus *imminere,* alias in hac constructione omitti solitus. Vide Wolf. ad h. l.

XXX. 1. *Vel stanti.* Oudendorp. ex corrupta lectione Memmiani Cod., *et veterum stanti,* ingeniose efficit, « non defuit *ei; verum* stanti, etc. » ut, non defuisse quidem auctor dicat, verum stanti modo vel sedenti, ac præcipue quiescenti, contra ingredienti vel quid agenti. Ingeniosa, ut modo dixi, est mutatio, et commendanda ob magnam Memm. auctoritatem, sed non necessaria; namque, quod sequitur, *Ceterum,* h. e. *Verum, Contra,* sufficit opposito. Postea *species* est Græc. εἶδος, Gall. proprio vocabulo, *la mine,* et h. l. ad *faciem* proxime pertinet; junguntur enim *canities* et *cervices. Forma,* μορφή, tota corporis est figura et habitus (*le maintien, l'ensemble de la personne*).

2. *Et.... multa dehonestabant.* Vide Dion. LX, 2. Lepide eum describit Seneca, in Apocol. « Nunciatur Jovi, venisse quemdam bonæ staturæ, bene canum, nescio quid illum minari; assidue enim caput movere, pedem dextrum trahere; quæsisse se, cujus nationis esset: respondisse nescio quid, perturbato sono et voce confusa, non intelligere se linguam ejus; nec Græcum esse, nec Romanum, nec ullius gentis notæ. » Juvenal. Sat. VI, 620,

...minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus, siquidem unius præcordia pressit
Ille senis, *tremulumque caput* descendere jussit
In cælum, et *longam manantia labra salivam.*

— *Præterea. Plectra linguæ,* quæ recepit Pitiscus, incomto scriptori non conveniunt.

XXXI. Valetudine sicut olim gravi, ita Princeps perprospera usus est, excepto stomachi dolore, quo se correptum etiam de consciscenda morte cogitasse dixit.

XXXII. Convivia agitavit et ampla et assidua, ac fere patentissimis locis, ut plerumque sexcenteni[1] simul discumberent. Convivatus est et super emissarium Fucini lacus[2], ac pæne summersus, quum emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni cœnæ et liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum[3] sedentes vescerentur. Convivæ[4], qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, revocato in diem posterum, calicem fictilem apposuit. Dicitur etiam meditatus edictum, « quo veniam daret, flatum crepitumque ventris in convivio emittendi; » quum, periclitatum quemdam præ pudore ex continentia, reperisset.

XXXIII. Cibi vinique quocunque et tempore et loco appetentissimus. Cognoscens quondam in Augusti Foro, ictusque nidore prandii, quod in proxima Martis æde Saliis apparabatur[1], deserto tribunali, ascendit ad sacer-

XXXII. 1. *Sexcenteni.* Lips. ad Tacit. Annal. VI, 19, corrigit *sexageni.* Sed hic numerus haud nimis *amplus* in convivio Imperatoris, et *patentissimis locis* convivatum, diserte addit auctor.

2. *Et super emissarium Fucini lacus,* etc. Tacit. Annal. XII, 57, « quin et convivium, effluvio lacus appositum, magna formidine cunctos affecit; quia vis aquarum prorumpens proxima trahebat, convulsis ulterioribus, aut fragore et sonitu exterritis. »

3. *Ad fulcra lectorum.* August. 64, *in imo lecto. Qui vescerentur* est « ita, ut... vescerentur. » Egregia autem lectio plurium Codd., quam produxit Oudend. « more veteri... sedentes *vescenti*, » omisso *qui*. Ceterum, vide quæ de more illo Lips. ad verba Taciti, Annal. XIII, 16, « mos habebatur, Principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci, in adspectu propinquorum, propria et parciore mensa. »

4. *Convivæ,* etc. *T. Vinium* fuisse, docent Plutarch. Galb. 12, et Tacit. Hist. I, 48, « Servili probro respersus est, tanquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus; et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari jussit.

XXXIII. 1. *Quod.... Saliis apparabatur.* Pontificum cœnas valde

dotes, unaque decubuit. Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, et ut statim supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum. Somni brevissimi erat (nam ante mediam noctem plerumque evigilabat[2]): ut tamen interdiu nonnunquam in jure dicendo obdormisceret, vixque ab advocatis, de industria vocem augentibus, excitaretur. Libidinis in feminas profusissimæ, marium omnino expers. Aleam studiosissime lusit[3]: de cujus arte librum quoque emisit: solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur.

XXXIV. Sævum et sanguinarium natura fuisse, magnis minimisque apparuit rebus. Tormenta quæstionum pœnasque parricidarum[1] repræsentabat, exigebatque coram. Quum et spectare antiqui moris [2]supplicium Tiburi concupisset, et, deligatis ad palum noxiis, carnifex deesset, accitum ab Urbe vesperam usque opperiri perseveravit. Quocunque gladiatorio munere, vel suo, vel alieno, etiam forte prolapsos jugulari jubebat, maxime retiarios, ut exspirantium facies videret. Quum par

opiparas plurimisque rebus fartas fuisse, patet ex Horat. Carm. II, 14, 28. Conf. Macrob. II, 9. Item apud nos hac de re pontifices nota vox arguit: *Un repas de moine; Il est gras comme un moine.*

2. *Evigilabat.* Cf. ad August. 78.

3. *Aleam studiosissime lusit;* unde Senec. Apocol.

> Lugete....
> Vosque in primis,
> Qui concusso
> Magna parastis
> Lucra fritillo;

et alibi, « Placuit novam pœnam excogitari debere, instituendum illi laborem irritum, et alicujus cupiditatis species sine fine et effectu. Tum Æacus jubet illum alea ludere pertuso fritillo, etc. »

XXXIV. 1. *Pœnasque parricidarum*, etc. Senec. de Clement. I, 23, (ad Neronem verba sunt): « Pater tuus plures intra quinquennium culeo insuit, quam omnibus seculis insutos accepimus. » *Repræsentabat;* sine dilatione exigebat, negato illo decem dierum spatio, de quo Tiber. cap. 75. Valer. Maxim. VI, 5, « Quum liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere, *pœnam* tamen *repræsentare* maluit, ne qua fraus fieret justitiæ. »

2. *Antiqui moris supplicium.* Vide Neron. 49; Domit. 11.

quoddam mutuis ictibus concidisset, cultellos sibi parvulos ex utroque ferro in usum fieri sine mora jussit. Bestiariis meridianisque [3] adeo delectabatur, ut et prima luce ad spectaculum descenderet, et meridie, dimisso ad prandium populo, persederet; præterque destinatos, etiam levi subitaque de causa, quosdam committeret, de fabrorum quoque ac ministrorum, atque id genus numero, si automatum, vel pegma [4], vel quid tale aliud parum cessisset. Induxit et unum ex nomenculatoribus suis, sicut erat togatus [5].

XXXV. Sed nihil æque quam timidus ac diffidens [1] fuit. Primis imperii diebus [2], quamquam, ut diximus, jactator civilitatis, neque convivia inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur: neque ægrum quemquam visitavit, nisi explorato prius cubiculo, culcitisque et stragulis prætentatis et excussis: reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus, et acerbissimos. Sero enim ac vix remisit, ne feminæ prætextatique pueri et puellæ contrectarentur, et ne cujus comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ [3] thecæ adimerentur. Motu civili [4], quum eum Camillus, non dubitans etiam circa bellum posse terreri, contumeliosa et

3. *Bestiariis meridianisque*, etc. *Meridiani* gladiatores erant, qui post *bestiarios*, mane pugnantes, committebantur. Vide Bulenger. de Venat. Circi, c. 34, et Lips. Saturn. II, 15. De re Dio, LX, 13. *Persedit* autem *dimisso populo*, ut laniatorum adspectu oculos adhuc pasceret.

4. *Automatum, vel pegma.* Vide Bulenger. l. c. et cf. Calig. 26.

5. *Sicut erat togatus.* Casaub. malebat *togatum*. Utrumque promiscue dicitur.

XXXV. 1. *Nihil æque quam timidus ac diffidens fuit.* Conf. Dio, LX, 2 et 14; infra cap. 37.

2. *Primis imperii diebus*, etc. Cf. Dio, LX, 3. De *scrutatoribus* vide etiam Lips. ad Tacit. Annal. XI, 22.

3. *Calamariæ aut graphiariæ thecæ.* Vide Cæs. 82; Calig. 28.

4. *Motu civili*, etc. Cf. supra ad cap. 13, et Dion. LX, 15.

minaci et contumaci epistola cedere imperio juberet, vitamque otiosam in privata re agere; dubitavit, adhibitis principibus viris, an obtemperaret.

XXXVI. Quasdam insidias temere delatas adeo expavit, ut deponere imperium tentaverit. Quodam, ut supra retuli, cum ferro circa sacrificantem se deprehenso, Senatum per præcones propere convocavit, lacrimisque et vociferatione miseratus est conditionem suam, cui nihil tuti usquam esset; ac diu publico abstinuit. Messalinæ quoque amorem flagrantissimum, non tam indignitate contumeliarum, quam periculi metu[1], abjecit, quum adultero Silio acquiri imperium credidisset: quo tempore fœdum in modum trepidus ad castra confugit, nihil tota via, quam, essetne sibi salvum imperium, requirens.

XXXVII. Nulla adeo suspicio, nullus auctor tam levis exstitit, a quo non, mediocri scrupulo injecto, ad cavendum ulciscendumque compelleretur. Unus ex litigatoribus seducto in salutatione affirmavit, vidisse se per quietem, occidi eum a quodam: dein paulo post, quasi percussorem agnosceret, libellum tradentem adversarium suum demonstravit; confestimque is pro deprehenso[1] ad pœnam raptus est. Pari modo oppressum ferunt Appium Silanum[2]: quem quum Messalina et Narcissus conspiras-

XXXVI. 1. *Non tam.... quam periculi metu.* Apud Tacit. Annal. XI, 31, inter alia Narcissus eum monet: « Ni propere agis, tenet Urbem maritus. Tum (ita pergit scriptor) potissimum quemque amicorum vocat; primumque rei frumentariæ præfectum, Turranium, post Lusium Getam, prætorianis impositum, percunctatur. Quibus fatentibus, certatim ceteri circumstrepunt, iret in castra, firmaret prætorias cohortes, securitati ante, quam vindictæ consuleret. Satis constat, eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, *an ipse imperii potens, an Silius privatus esset.* »

XXXVII. 1. *Pro deprehenso;* tamquam deprehensus et reus.

2. *Appium Silanum.* Vide c. 29. Messalinæ et Narcissi, quem *Appianæ cædis molitorem* vocat Tacit. Annal. XI, 29, machinas de-

sent perdere, divisis partibus, alter ante lucem similis attonito patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se, vim ei ab Appio illatam: altera, in admirationem formata, sibi quoque eandem speciem aliquot jam noctibus obversari, retulit. Nec multò post ex composito irrumpere Appius nunciatus, cui pridie, ad id temporis ut adesset, præceptum erat, quasi plane repræsentaretur somnii fides, arcessi statim ac mori jussus est. Nec dubitavit postero die Claudius, ordinem rei gestæ perferre ad Senatum, ac libertò gratias agere, quod pro salute sua etiam dormiens excubaret.

XXXVIII. Iræ atque iracundiæ conscius sibi, utrumque[1] excusavit edicto; distinxitque, pollicitus « alteram quidem brevem[2] et innoxiam, alteram non injustam fore. » Ostiensibus, quia sibi subeunti Tiberim scaphas obviam non miserint, graviter correptis, eaque cum invidia, ut, « in ordinem se coactum[3], » conscriberet, repente, tantum non satisfacientis[4] modo, veniam dedit.

scribit Dio, LX, 14. — *In admirationem formata*, vultu ad admirationem composito.

XXXVIII. 1. *Utrumque*. Subjungitur neutrum duobus femininis ex frequentissimo Græcorum Latinorumque usu. Vide Burmann. et Oudend. Codices tamen nonnulli, in his Memmianus, *utramque* ex correctione.

2. *Alteram quidem brevem*, etc. iracundiam.

3. *In ordinem se coactum;* despectum, contemtui habitum. Locutio ex militia ducta, ubi milites extra ordinem suum in agmine egressi a ductoribus in ordinem cogi dicuntur. Conf. ind. et Gloss. Livian. in *ordo* et *cogere*. Ex ipso verbo *conscriberet* patet, codicillis seu literis correptos fuisse Ostienses, et possis explicare *conscribere* per simul scribere, adscribere, συγγράφειν pro προσγράφειν, unde al. e glossa *adscriberet*, Burmannusque *adjiceret* vel *objiceret* conjicit. Sed omnino amat uti scriptor his compositis pro simplicibus, neglecta compositionis natura, quod in Græcis frequentissimum. Id passim docent posita *concertare*, *condormire*, *conquiescere*, *conqueri*, *consalutare*, *consauciare*, *contrucidare*, etc.

4. *Tantum non satisfacientis;* h. e. excusantis. Vide ad Cæs. cap. 73. Id ipsum per literas fecisse videtur. In Codicibus et editt. hæc verba misere sunt corrupta et transjecta.

Quosdam, in publico parum tempestive adeuntes, manu sua repulit. Item scribam quæstorium, itemque prætura functum Senatorem, inauditos et innoxios relegavit: quod ille adversus privatum se intemperantius adfuisset[5]; hic in ædilitate inquilinos prædiorum suorum[6], contra vetitum[7] cocta vendentes, multasset, villicumque intervenientem flagellasset. Qua de causa etiam coercitionem popinarum Ædilibus ademit. Ac ne stultitiam quidem suam reticuit, simulatamque a se ex industria[8] sub Caio, quod aliter evasurus perventurusque ad susceptam stationem[9] non fuerit, quibusdam oratiunculis testatus est. Nec tamen persuasit; quum[10] intra breve tempus liber

Vide Burmann. et Oudendorp.

5. *Adversus.... se.... adfuisset;* causam ita egisset, ut in Claudium quædam vehementius et contumeliosius diceret.

6. *Prædiorum suorum*. Nescio, cur *urbana* tantum intelligant, quum ex rusticis etiam opsonia venalia afferre potuissent inquilini, quamquam illa ut propiora magis huc pertinent. Ceterum, huc nullo modo referenda divisio prædiorum in urbana et rustica, quam ex usu, vel voluptati, vel necessitati inserviente, faciunt jurisconsulti, de qua vide Heinecc. Ant. Rom. II, 3, 1.

7. *Contra vetitum;* scil. edicto Ædilicio. Cf. Tiber. 34. Sed Claudius ipse edicto ciborum luxuriam cohibuerat, auctore Dione, LX, 6. Postea sub Nerone interdictum, « ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret, quum antea nullum non opsonii genus proponeretur, » uti Noster, Neron. cap. 16, unde patet, prioribus edictis haud nimis obtemperatum fuisse in Urbe luxuriæ plena. Denuo coercuit Vespasianus, auctore Xiphil. LXVI, 10.

8. *Simulatamque a se ex industria*. Cf. Dio, LIX, 23, et LX, 2. Scilicet magni Bruti exemplum se imitatum ferebat stultus homo, tantum diversus ab illo, quantum Imperatorum tempora a cruda Romanorum libertate.

9. *Ad susceptam stationem;* hoc est, imperium jam susceptum, quo tempore orationem habebat.

10. *Nec tamen persuasit; quum*, etc. Ita locum restituit Gronovius. Plerique libri et edd. « Nec *ante* persuasit, *quam*, etc. » Memmianus, « Nec tamen *ante* persuasit, quum. » Nimirum corrupto *quum*, ut sæpissime, in *quam*, in præcedentibus *ante* necessarium duxere librarii, atque ita periit *tamen*. Ceterum, falsam esse vulgarem scripturam, docet etiam sequens *editus sit*. Si præcederet *quam*, sequi deberet *editus esset*, vel *ederetur*. Nunc *quum* scriptoris argumentum infert, quo, non persuasisse Claudium, lectorem edoceat.

editus sit, cui index erat μωρῶν ἐπανάστασις[11], argumentum autem, « stultitiam neminem fingere. »

XXXIX. Inter cetera in eo mirati sunt homines et oblivionem et inconsiderantiam, vel, ut Græce dicam, μετεωρίαν[1] et ἀβλεψίαν. Occisa Messalina[2], paulo post, quam in triclinio decubuit, « cur domina non veniret, » requisivit. Multos ex iis, quos capite damnaverat, postero statim die et in convivium, et ad aleæ lusum admoneri jussit[3]: et, quasi morarentur, ut somniculosos per nuncium increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam uxorem, non cessavit omni oratione[4] « filiam, » et « alumnam, » et « in

11. Ἐπανάστασις. Ita Memm. et optimi quique, pro vulg. ἀνάστασις, et post alios reddidit Oudendorp. Mox Casaub. suadet, « stultitiam *stultum* neminem fingere, » probatque Bremius. Haud necessarium videtur. Dicebat libelli auctor, vere stultum esse oportere, qui tanta veritate stultitiam prodat; alias enim satis multa sanæ mentis indicia in ipsa simulatione apparere. Ita saltem in Bruto aliisque genuina indoles non prorsus latuit.

XXXIX. 1. Μετεωρίαν. Hæc respondet Lat. *oblivioni*, ut ἀβλεψία *inconsiderantiæ*. Illa est Gall. *absence d'esprit;* μετέωρος enim, qui vel oblivione, vel spe, vel ullo affectu suspensus abreptusque sui et rerum suarum obliviscitur, ut Claudium eorum, quæ proxime acciderant, immemorem reddidit non affectus aliquis, sed inhærens animo torpor et stultitia. *Inconsiderantia* est eorum, quæ conveniunt tempori vel loco. *Oblivionis* sunt exempla usque ad *increpuit*, inde *inconsiderantiæ*.

2. *Occisa Messalina*, etc. Paulo aliter Tacit. Annal. XI, 38, sed non majore Claudii laude: « Nunciatum Claudio epulanti, perisse Messalinam, non distincto, sua an aliena manu: nec ille quæsivit, poposcitque poculum, et solita convivio celebravit. Ne secutis quidem diebus odii, gaudii, iræ, tristitiæ, ullius denique humani affectus signa dedit, non, quum lætantes accusatores aspiceret, non, quum filios mœrentes. » Hæc vera *torporis* sive ἀναισθησίας, non Stoicæ, sed qualis vilissimis hominibus vel in patriæ calamitate esse solet, descriptio. De *dominæ* vocabulo, h. e. *heræ*, quod ad amicas vel uxores transferri cœpit a viris ævo molli et effeminato, quum proprie servis tantum usurparetur, h. l. dicere non attinet.

3. *Multos ex iis... admoneri jussit*. Cf. Dio, LX, 14. Ceterum recepimus et *convivium* pro *concilium*, et *admoneri*, h. e. per servum invitari, pro *admoveri*, quod quamvis Latinitas ferat, res non fert, quum vivi tantum admoveri queant.

4. *Non cessavit omni oratione*,

gremio suo natam atque educatam » prædicare. Asciturus in nomen familiæ suæ Neronem, quasi parum reprehenderetur, quod adulto jam filio privignum adoptaret, identidem divulgavit, « neminem unquam per adoptionem familiæ Claudiæ insertum. »

XL. Sermonis vero rerumque tantam sæpe negligentiam ostendit, ut nec quis[1], nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, scire aut cogitare existimaretur. Quum de laniis ac vinariis ageretur, exclamavit in Curia: « Rogo vos, quis potest sine offula vivere? » descripsitque abundantiam veterum tabernarum, unde solitus esset vinum olim et ipse petere. De Quæstore quodam candidato[2] inter causas suffragationis suæ posuit, « quod pater ejus frigidam ægro sibi tempestive dedisset. » Inducta teste in Senatu, « Hæc, » inquit, « matris meæ liberta et ornatrix fuit: sed me patronum semper existimavit. Hoc ideo dixi, quod quidam sunt adhuc in domo mea, qui me patronum non putant[3] » Sed et pro tribunali, Ostiensibus quiddam publice orantibus, quum excanduisset, « Nihil habere se, » vociferatus est, « quare eos demereatur: si quem alium, et se liberum esse[4]. » Nam illa

etc. In his Claudii verbis, ut in sequentibus, Neronis adoptioni præmissis, conspicua est stupidæ mentis inconsiderantia. Nam, quæ ad commendanda consilia sua dicebat, dissuadere potius omittique ea jubere debebant.

XL. 1. *Ut nec quis*, etc. Valde placet conjectura Mulleri *nec quos*, scil. sermones, ut referatur ad Claudium. Confirmat eam lectio Cod. « *vel* inter quos. »

2. *De Quæstore quodam candidato;* scil. præturæ vel alius muneris, ut recte defendunt Oudend. et Wolfius. Beroaldi correctionem, « De *quæsturæ* quodam candidato, » post alios adoptavit Ernest.

3. *Qui me patronum non putant.* Indigitat libertos suos; igitur in re certo affirmata de certis personis unice valet indicativus. Idem dicit Wolfius, qui voc. *quidam* urget contra Ernestium, regulis nonnunquam diligentius inhærentem, quam rei naturæ.

4. *Si quem alium, et se liberum esse.* Confundebat pro tribunali libertatem hominis privati, tribuendi vel negandi aliquid, cum digni-

ejus quotidiana, et plane omnium horarum et momentorum erant, « Quid? ego tibi Theogonius[5] videor? » et, λάλει, καὶ μὴ θίγγανε· multaque talia, etiam privatis deformia, nedum Principi, neque infacundo, neque indocto, immo etiam pertinaciter liberalibus studiis dedito.

XLI. Historiam in adolescentia, hortante T. [1]Livio, Sulpicio vero Flavo etiam adjuvante, scribere aggressus est. Et quum primum frequenti auditorio [2]commisisset, ægre perlegit, refrigeratus sæpe a semetipso. Nam quum initio recitationis, defractis compluribus subselliis[3] obesitate cujusdam, risus exortus esset; ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo subinde facti reminisceretur, cachinnosque revocaret. In principatu quoque et scripsit plurimum, et assidue recitavit per lectorem. Initium autem sumsit historiæ post cædem Cæsaris Dictatoris. Sed et[4] transiit ad inferiora tempora,

tate Principis, qui ex jure et merito, ponderatisque adeo rationibus statuere debet. Hoc non cepit Burmannus.

5. *Theogonius*. Adi Burm. editionem. Et ipse stultum hominem intelligo, cujus nomen in proverbium abierat, quod nunc ignoramus. In mentem mihi venit levis conjectura, quam nihili facias; Γεωγόνιος pro Γεωγενὴς seu Γηγενὴς, cui responderent sequentia, λάλει, καὶ μὴ θίγγανε, h. e. ratione et verbis mecum pugnandum, non manibus, ut cum illis Terræ filiis. Sed præter formam vocis repugnat etiam medium *et*, quod diversum ejus dictum significat.

XLI. 1. *Hortante T. Livio*. Al. *Lucio Livio*, quem magni historici filium intelligunt. Ita habet edit. Casaub. ann. 1611, et notatum ad marg. edit. Plantin. ann. 1596, quam mihi commodavit Mullerus. Vide Voss. de Histor. Lat. Nos quidem in patre acquiescimus. Ceterum, Claudii Cæsaris historias memorat Plin. Hist. Nat. XII, 17 (39). — *Sulpicium Flavum* omnes ignorant.

2. *Et quum primum... commisisset;* h. e. in virorum doctorum certamine prælegere cœpisset. Cf. ad Aug. 89. *Refrigerat* autem se ipsum, qui sua culpa committit, ut *frigide* seu minori cum studio audiatur.

3. *Compluribus subselliis*. Burmann. conjecit *compagibus subsellii*. Sed plura subsellia conjuncta esse poterant, ut unius casus reliqua traheret.

4. *Sed et*, etc. Muller. deleri jubet *Sed*, et antea minorem distinctionem poni pro puncto.

cœpitque a pace civili; quum sentiret, neque libere, neque vere, sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe et a matre et ab avia. Prioris materiæ duo volumina, posterioris unum et quadraginta reliquit. Composuit et « De vita sua » octo volumina, magis inepte, quam ineleganter[5]: item « Ciceronis defensionem adversus Asinii Galli libros, » satis eruditam. Novas etiam commentus est literas tres[6], ac numero veterum, quasi maxime necessarias, addidit: de quarum ratione quum privatus adhuc volumen edidisset, mox Princeps non difficulter obtinuit, ut in usu quoque promiscuo essent. Exstat talis scriptura in plerisque libris, actis diurnis, titulisque operum.

XLII. Nec minore cura Græca studia secutus est, amorem præstantiamque linguæ occasione omni professus. Cuidam barbaro, Græce et Latine disserenti, « Quum utroque, » inquit, « sermone nostro sis paratus[1]. » Et in commendanda Patribus conscriptis Achaia, « gratam sibi provinciam, » ait, « communium studiorum commercio. » Ac sæpe in Senatu legatis perpetua oratione[2] respondit.

5. *Magis inepte, quam ineleganter. Inepte* ad argumentum, *ineleganter* ad orationem sive stilum spectat.

6. *Novas... commentus est literas tres.* Vide Lips. et alios interpretes ad Tacit. Annal. XI, 14, « Ac novas literarum formas addidit vulgavitque, comperto, Græcam quoque literaturam non simul cœptam absolutamque... Nobis quoque paucæ primum fuere; deinde additæ sunt. Quo exemplo Claudius tres literas adjecit, quæ usui, imperitante eo, post obliteratæ, adspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo. » Cf. interpretes ad locum nostr. et, quem Wolfius citavit, Taylor. ad Marm. Sandvic. pag. 47. Postea unice vera videtur emendatio *actis diurnis,* quam recepimus pro *ac diurnis.* Orta vulg. ex literis *act.*

XLII. 1. *Paratus.* Optime ita Memm. aliique. Vulg. *peritus*, quod incassum defendit Burmann. Vis autem sententiæ est in *nostro*, quod Claudius Græcum sermonem suo patrioque comparat, æque *nostrum* dicens. Temere omittitur a nonnullis.

2. *Perpetua oratione;* Græca scilicet, quum ne Græcis quidem nisi

Multum vero pro tribunali etiam Homericis locutus est versibus. Quoties quidem hostem vel insidiatorem ultus esset, excubitori Tribuno[3], signum de more poscenti, non temere aliud dedit, quam

Ἄνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Denique et Græcas scripsit historias, Τυῤῥηνικῶν XX, Καρχηδονιακῶν VIII. Quarum causa veteri Alexandriæ Museo alterum additum ex ipsius nomine; institutumque, ut quotannis in altero Τυῤῥηνικῶν libri, in altero Καρχηδονιακῶν, diebus statutis, velut in auditorio, recitarentur toti a singulis per vices.

XLIII. Sub exitu vitæ, signa quædam, nec obscura, pœnitentis et de matrimonio Agrippinæ, deque Neronis adoptione, dederat.[1] Siquidem, commemorantibus libertis, ac laudantibus cognitionem, qua pridie quandam adulterii ream condemnaverat, « sibi quoque in fatis esse[2], » jactavit, « omnia impudica, sed non impunita matrimonia. » Et subinde obvium sibi Britannicum artius complexus[3], hortatus est, « ut cresceret, rationemque

Latine responsa dare veteris instituti fuerit.

3. *Excubitori Tribuno;* qui præerat cohorti excubias agenti. Cf. Dio, LX, 16, post descriptas crudeles de Camilli conspiratione quæstiones. Versus autem ex Homero desumtus, Odyss. π, 72, et φ, 133, ex quibus locis, ut ex Dione, edidimus χαλεπήνῃ pro χαλεπαίνῃ. Namque illud significant Codd. qui mixta forma dant χαλεπηναίνῃ. — *Signum.* Vide Calig. 56.

XLIII. 1. *Sub exitu vitæ, signa quædam..... dederat.* Conf. Dio, LX, 34. Agrippina apud Racine, *Britannicus,* act. IV, sc. 2:

Cependant Claudius penchait vers son déclin.
Ses yeux, longtems fermés, s'ouvrirent à la fin:
Il connut son erreur. Occupé de sa crainte,
Il laissa pour son fils échapper quelque plainte,
Et voulut, mais trop tard, assembler ses amis:
Ses gardes, son palais, son lit m'étaient soumis.

2. *Sibi quoque in fatis esse,* etc. Tacit. Annal. XII, 64: « Sed in præcipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus jecerat, *fatale sibi, ut conjugum flagitia ferret, dein puniret,* metuens, agere et celerare statuit, perdita prius Domitia Lepida. »

3. *Et subinde... Britannicum... complexus,* etc. Tacit. cap. 65: « Hæc atque talia dictitans, amplecti Britannicum; robur ætatis

a se omnium factorum acciperet; » Græca insuper voce prosecutus, ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται[4]. Quumque impubi teneroque adhuc, quando statura permitteret[5], togam dare destinasset, adjecit: « ut tandem populus Romanus verum Cæsarem habeat. »

XLIV. Non multoque[1] post, testamentum etiam conscripsit, ac signis omnium magistratuum obsignavit. Prius igitur, quam ultra progrederetur, præventus est ab Agrippina[2], quam præter hæc conscientia quoque, nec minus delatores multorum criminum arguebant. Et veneno quidem occisum[3] convenit: ubi autem, et per quem dato, discrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum sa-

quam maturrimum precari, modo ad Deos, modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulcisceretur. »

4. Ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. Hoc oraculum Telepho olim datum nostr. loco restituit e Codd. Victorius, Var. Lect. XXIV, 14. Favet corrupta Memmiani scriptura, ὁ τρώσας πειάσεται, ex qua Gronovius, amans sua dare, conjecit ὁ τρώσας ἀκέσεται. Non accedit ad hujus dicti vim lectio vulg. ὁ ἔρως δ' ἐπείγεται.

5. *Quando statura permitteret;* quum jam nunc ætatem adultæ vires præirent. Cf. Xiphil. LXI, 1, ubi Fabric. — *Verum Cæsarem*, non arcessitum, neque subditivum. Vide ad cap. 27.

XLIV. 1. *Non multoque*, etc. Muller. suadet « Non multo *itaque.* »

2. *Præventus est ab Agrippina;* quæ ipsa apud Racine, loco supra cit.

Il mourut. Mille bruits en courent à ma honte.

— *Conscientia.* Codex ad marginem editionis. Plant. collatus, *conscia*, hoc est, quorum sibi conscia erat Agrippina; durissime.—Magis placet in sequentibus *urgebant* se ad facinus maturandum, quod ex aliis notavit Mullerus, pro *arguebant.*

3. *Et veneno quidem occisum*, etc. Tacit. Annal. XII, 66 et 67: « Deligitur artifex talium, vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata, et diu inter instrumenta regni habita. Ejus mulieris ingenio paratum virus, cujus minister e spadonibus fuit Halotus, inferre epulas et explorare gustu solitus. Adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint, infusum delectabili cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudii an vinolentia; simul soluta alvus subvenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, et, quando ultima timebantur, spreta præsentium invidia, provisam jam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille, tamquam

cerdotibus, per Halotum spadonem prægustatorem; alii, domestico convivio, per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat[4]. Etiam de subsequentibus diversa fama est. Multi statim, hausto veneno, obmutuisse aiunt, excruciatumque doloribus nocte tota, defecisse prope lucem. Nonnulli inter initia consopitum, deinde cibo affluente evomuisse omnia, repetitumque toxico, incertum, pultine addito, quum velut exhaustum refici cibo oporteret, an immisso per clysterem, ut quasi abundantia laboranti etiam hoc genere egestionis subveniretur.

XLV. Mors ejus celata est[1], donec circa successorem omnia ordinarentur. Itaque et quasi pro ægro adhuc vota suscepta sunt, et inducti per simulationem comœdi, qui velut desiderantem oblectarent. Excessit tertio Idus Octobris[2], Asinio Marcello, Acilio Aviola, Consulibus, quarto et sexagesimo ætatis, imperii quartodecimo anno; funeratusque est[3] sollemni Principum pompa, et in numerum

nisus evomentis adjuvaret, pinnam, rapido veneno illitam, faucibus ejus demisisse creditur, haud ignarus, summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio. » Conf. Dio, LX, 34. De *prægustatoribus* vide Lips. ad Tacit. l. c.

4. *Quæ boletum medicatum..... obtulerat.* Ita et Juvenal. Sat. V, v. 146:

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis;
Boletus domino; sed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.

XLV. 1. *Mors ejus celata est*, etc. Tacit. cap. 68: « Vocabatur interim Senatus, votaque pro incolumitate Principis Consules et Sacerdotes nuncupabant, quum jam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur, etc. » Pergit Agrippina loco modo cit.

J'arrêtai de sa mort la nouvelle trop prompte;
Et tandis que Burrhus allait secrètement
De l'armée en vos mains exiger le serment;
Que vous marchiez au camp, conduit sous mes auspices;
Dans Rome les autels fumaient de sacrifices;
Par mes ordres trompeurs tout le peuple excité
Du prince déjà mort demandait la santé.
Enfin, des légions l'entière obéissance
Ayant de votre empire affermi la puissance,
On vit Claude; et le peuple, étonné de son sort,
Apprit en même tems votre règne et sa mort.

2. *Excessit tertio Idus Octobris;* A. U. 807. Consentiunt Dio et Senec. l. c. Conf. Casaub. ad hunc locum.

3. *Funeratusque est*, etc. Tacit. Annal. XII, fin. « Cælestesque honores Claudio decernuntur, et fu-

Deorum relatus. Quem honorem, a Nerone destitutum abolitumque, recepit mox per Vespasianum[4].

XLVI. Præsagia mortis ejus[1] præcipua fuerunt: exortus crinitæ stellæ, quam *cometen* vocant: tactumque de cælo monumentum Drusi patris; et quod eodem anno ex omnium magistratuum genere plerique mortem obierant. Sed nec ipse ignorasse, aut dissimulasse ultima vitæ suæ tempora videtur, aliquot quidem argumentis. Nam et quum Consules designaret, neminem ultra mensem, quo

neris sollemne, perinde ac D. Augusto, celebratur, æmulante Agrippina proaviæ Liviæ magnificentiam. Testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus injuria et invidia animos vulgi turbaret. » Conf. Dio, cap. 35, et Neron. 9.

4. *Per Vespasianum*. Vide Vespas. cap. 9.

XLVI. 1. *Præsagia mortis ejus*, etc. Cf. Dio, c. 35. Tacit. Annal. XII, 64: « M. Asinio, M'. Acilio Coss. mutationem rerum in deterius portendi, cognitum est crebris prodigiis. Signa ac tentoria militum igne cælesti arsere. Fastigio Capitolii examen apum insedit. Biformes hominum partus, et suis fetum editum, cui accipitrum ungues inessent. Numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus, Quæstore, Ædili, Tribuno ac Prætore et Consule, paucos intra menses, defunctis. » — De Claudio hæc inter cetera profert gravis auctor Diderot, *Essai sur les règnes de Claude et de Néron*, § 20: « La vie privée de Claude « montre ce que le mépris des pa« rens, secondé d'une mauvaise « éducation, peut sur l'esprit et le « caractère d'un enfant valétudi« naire. Les premières années de « son règne, marquées par l'amour « de la justice et du travail, la clé« mence, la libéralité, et d'autres « qualités rares, l'auraient mis au « nombre des hommes excellens et « des bons souverains, si la méfian« ce, la faiblesse, la crainte, ne l'a« vaient pas livré à des infâmes. Les « dernières nous apprennent jus« qu'où une prostituée et deux es« claves peuvent disposer d'un mo« narque, le dépraver et l'avilir. » Et § 34: « Claude meurt, âgé de « soixante-quatre ans. Il n'était ni « sans études, ni sans lettres: il « sut écrire et parler la langue grec« que: il était orateur et historien « élégant dans la sienne. Il se mon« tra d'abord juste, modeste, sage, « et fut aimé: alternativement pé« nétrant et stupide, patient et em« porté, circonspect et extravagant, « je le trouve plus faible que mé« chant. Il voulut persuader qu'il « avait contrefait la démence, pour « échapper à Caius: on n'en crut « rien. Il donna lieu au proverbe, « que, pour être heureux, il fallait « être né sot ou roi. Pour être très« heureux, que fallait-il naître?

obiit, designavit : et in Senatu, cui novissime interfuit, multum ad concordiam liberos suos cohortatus, utriusque ætatem suppliciter Patribus commendavit. Et in ultima cognitione pro tribunali, « accessisse se ad finem mortalitatis, » quamquam abominantibus, qui audiebant, semel atque iterum pronunciavit.

« Son règne fut ce qu'il devait être, « le résultat d'une organisation viciée, d'une mauvaise éducation, « de la méfiance, de la pusillanimité, de la faiblesse, d'un goût « effréné pour les femmes, de la « crapule, de quelques vertus et de « plusieurs vices contradictoires. « Sans la fermeté, les autres qualités du prince sont inutiles ; sans « la dignité, il descend de son rang, « et se mêle dans la foule, au-dessus de laquelle sa tête majestueuse « doit toujours paraître élevée. Il « en est des rois comme des femmes, pour lesquelles la familiarité a toujours quelque fâcheuse « conséquence. »

NERO.



NERO.



Laguiche del. et dir. *Sardeniers sculp.*

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

Allobrogico inditum. Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam, et ut clarissima, ita artata numero felicitas. *Septem* ante hunc nobilissimæ simplicitatis ju-

spanis intelligit triumphos. Sed de Ænobarbis tantum loquitur auctor, unum adeo memorans triumphum de Allobrogibus et Arvernis Cn. Ænobarbi, Consulis ann. 632



Laguiche del. et dir. *Sixdeniers sculp.*

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

C. SUETONII TRANQUILLI

NERO CLAUDIUS.

I. Ex gente DOMITIA duæ familiæ claruerunt, CALVINORUM, et ÆNOBARBORUM. Ænobarbi auctorem originis, itemque cognominis, habent L. Domitium: cui rure quondam revertenti juvenes gemini[1] augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nunciaret Senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atque in fidem majestatis adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum ærique assimilem capillum[2] redderent. Quod insigne mansit et in posteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt. Functi autem consulatibus septem[3], triumpho[4], censuraque duplici, et inter patricios allecti, per-

I. 1. *Juvenes gemini;* Dioscuri. De re Plutarch. Æmil. 25. Conf. et Dionys. Archæol. VI, 13; Cicer. de Nat. Deor. II, 2.

2. *Capillum.* Burmann. injuria corrigit *pilum*. Cf. Oudendorp.

3. *Consulatibus septem.* Vell. II, 10, « Eodem tractu temporum et Domitii ex Arvernis, et Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. Fabio, Paulli nepoti, ex victoria cognomen Allobrogico inditum. Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam, et ut clarissima, ita artata numero felicitas. *Septem* ante hunc nobilissimæ simplicitatis juvenem, Cn. Domitium, fuere, singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad consulatum sacerdotiaque, ad triumphi autem pæne omnes pervenerunt insignia, » ubi ore nimis pleno locutum Paterculum, interpretes dudum monuere.

4. *Triumpho.* Interpunxi post hanc vocem, ne referas ad *duplici* cum Ernestio, qui Cn. Ænobarbi de Allobrogibus, et Calvini de Hispanis intelligit triumphos. Sed de Ænobarbis tantum loquitur auctor, unum adeo memorans triumphum de Allobrogibus et Arvernis. Cn. Ænobarbi, Consulis ann. 632

severarunt omnes in eodem cognomine. Ac ne prænomina quidem ulla, præterquam Cnei et Lucii, usurparunt[4]; eaque ipsa notabili varietate, modo continuantes unumquodque per trinas personas[5], modo alternantes per singulas. Nam primum secundumque ac tertium Ænobarborum Lucios; sequentes rursus tres ex ordine Cneos accepimus; reliquos nonnisi vicissim, tum Lucios, tum Cneos. Plures e familia cognosci, referre arbitror, quo facilius appareat, ita degenerasse a suorum virtutibus Nero, ut tamen vitia cujusque, quasi tradita et ingenita, retulerit.

II. Ut igitur paulo altius repetam, atavus ejus Cn. Domitius in tribunatu pontificibus offensior, quod alium, quam se, in patris sui locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit[1]: ac in consulatu, Allobrogibus Arvernisque superatis, elephanto per provinciam vectus est[2], turba militum, quasi inter sollemnia triumphi, prosequente. In hunc dixit Licinius Crassus orator, « Non esse mirandum, quod æneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum esset. » Hujus filius[3] Prætor C. Cæsarem abeuntem con-

cum C. Fannio. Idem Censor fuit cum L. Metello ann. 639, eademque potestate functus est filius Cneius cum L. Crasso oratore ann. 662. Cf. Ernest. Clav. Cic. ind. histor.

5. *Per trinas personas.* Ita Memm. aliique. Vulg. *ternas.* Cf. Oudend. ad August. 74, et h. l. De voc. *persona*, quod sensu adhiberi solet, ut dicitur, abstracto, vide Perizon. ad Sanctii Minerv. I, 12; Fabr. Thes.; et Ernest. Clav. Cic. sub hanc vocem.

II. 1. *Jus sacerdotum... ad populum transtulit.* Cf. ad Cæs. 13. Confundit autem h. l. Suetonius patrem et filium. Nemper pater triumphavit de victis Allobrogibus, filius legem tulit de sacerdotiis Tribunus pleb. ann. 650, Censor postea cum Crasso Licinio, maxima discordia, cui tribuendum, quod proxime commemoratur, Crassi dictum. Vide Glandorp. Onomast. p. 303; Ernest. Clav. Cicer. et quos hic excitavit; Oudend. denique ad h. l.

2. *Vectus est.* Al. *invectus est*, quod jure damnat Oudendorp.

3. *Hujus filius;* Lucius. Vide Cæs. cap. 23 et 34.

sulatu, quem adversus auspicia legesque gessisse existimabatur, ad disquisitionem Senatus vocavit: mox Consul Imperatorem ab exercitibus Gallicis retrahere tentavit: successorque ei per factionem nominatus, principio civilis belli ad Corfinium captus est. Unde dimissus, Massilienses obsidione laborantes quum adventu suo confirmasset, repente destituit[4], acieque demum Pharsalica occubuit[5]: vir neque satis constans, et ingenio truci: in desperatione rerum, mortem, timore appetitam, ita expavit, ut haustum venenum pœnitentia evomuerit[6], medicumque manumiserit, quod sibi prudens ac sciens minus noxium temperasset. Consultante autem Cn. Pompeio de mediis[7] ac neutram partem sequentibus, solus censuit hostium numero habendos.

III. Reliquit filium, omnibus gentis suæ procul dubio præferendum. Is inter conscios Cæsarianæ necis, quamquam insons, damnatus[1] lege Pedia, quum ad Cassium Brutumque se, propinqua sibi cognatione junctos, contulisset[2], post utriusque interitum classem olim commissam

4. *Repente destituit*. Conf. Cæs. Bell. Civ. II, 22.

5. *Acieque.... Pharsalica occubuit*. Cæs. Bell. Civ. III, 99: « L. Domitius, ex castris in montem refugiens, quum vires eum lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus. » Cf. Lucan. VII, 599 seq. Tacit. Annal. IV, 44.

6. *Ut..... venenum pœnitentia evomuerit*. Vide Plutarch. Cæs. 34; Plin. Hist. Nat. VII, 53 (54); Senec. de Benefic. III, 24.

7. *De mediis*. Conf. supra ad Cæs. cap. 75.

III. 1. *Inter conscios... damnatus*. Conf. Appian. V, 55. Cic. Philipp. II, 11: « Cn. Domitium non patris interitus, clarissimi viri, non avunculi (Catonis) mors, non spoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitavit? » Ad hunc est epistola Ciceronis 22, lib. VI. — *Lege Pedia*. Vell. II, 69: « Et lege Pedia, quam Consul Pedius collega Cæsaris tulerat, omnibus, qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat. »

2. *Quum ad Cassium Brutumque se.... contulisset;* a quibus classi præfectus cum Murco mare Ionium tenuit bello Philippico, variaque clade Triumviros afflixit. Cf. Appian. Bell. Civ. IV et V; Dion. XLVIII, 7, ubi plura Fabric.

retinuit: auxit etiam; nec, nisi partibus ubique profligatis, M. Antonio sponte, et ingentis meriti loco, [3] tradidit; solusque omnium ex iis, qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores [4] percucurrit: ac subinde redintegrata dissensione civili, eidem Antonio legatus, delatam sibi summam imperii ab iis, quos Cleopatræ pudebat, neque suscipere, neque recusare fidenter, propter subitam valetudinem, ausus, transiit ad Augustum [5]: et in diebus paucis obiit, nonnulla et ipse infamia aspersus. Nam Antonius, eum desiderio amicæ Serviliæ Naidis transfugisse, jactavit.

IV. Ex hoc Domitius nascitur, quem emtorem familiæ pecuniæque [1] in testamento Augusti fuisse, mox vulgo notatum est; non minus aurigandi arte in adolescentia clarus, quam deinde ornamentis triumphalibus ex Germanico bello [2]. Verum arrogans, profusus, immitis, Censorem L. Plancum [3] via sibi decedere Ædilis coegit: præturæ consulatusque honore, Equites Romanos matronas-

3. *M. Antonio... tradidit.* Vide Appian. V, 55; Vell. II, 72 et 76.

4. *Amplissimos honores percucurrit.* Consul fuit cum Sosio, ann. 722.

5. *Transiit ad Augustum.* Conf. Plutarch. Anton. 63; Dio, L, 13; Vell. II, 84; not. ad August. 17.

IV. 1. *Emtorem familiæ pecuniæque;* per imaginariam scilicet hereditatis mancipationem, usitatam in *testamento per æs et libram.* Vide Brisson. de Form. lib. VIII, pag. 586 seq. Heinecc. Ant. Rom. II, 10, § 6 seq. Voc. *pecuniæque,* damnatum a Torrentio aliisque, quod *familia* in formula sollemni de tota re familiari dici solet, recte defenditur a Burm. et Ernest. antiquissimo usu, quum in XII tabulis eodem jam modo jungantur *familia pecuniaque.* Scilicet modo latiori, modo angustiori sensu *familia* dicitur, atque ille serius invalescere cœpit. Suetonius antiquas formulas servare solet.

2. *Ex Germanico bello;* a Tiberio gesto. Cf. Tiber. 20. Tacit. Annal. IV, 44, « Domitius exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum: easque ob res insignia triumphi adeptus est. »

3. *Censorem L. Plancum;* ultimum e privatis ann. 732. Cf. Dion. LIV, 2. Lips. corrigebat *censorium.* At in summovendo jam privato nulla fuisset arrogantia.

que ad agendum mimum produxit in scenam. Venationes et in Circo, et in omnibus Urbis regionibus, dedit: munus etiam gladiatorium; sed tanta sævitia, ut necesse fuerit Augusto, clam frustra monitum edicto coercere.

V. Ex Antonia majore [1] patrem Neronis procreavit, omni parte vitæ detestabilem. Siquidem comes ad Orientem C. Cæsaris juvenis [2], occiso liberto suo, quod potare, quantum jubebatur, recusarat, dimissus e cohorte amicorum, nihilo modestius vixit. Sed et in viæ Appiæ vico repente [3] puerum, citatis jumentis, haud ignarus obtrivit; et Romæ medio Foro cuidam Equiti Romano liberius jurganti oculum eruit: perfidiæ vero tantæ, ut non modo argentarios [4] pretiis rerum coemtarum, sed et in prætura mercede palmarum [5] aurigarios fraudaverit. Notatus ob hæc et sororis joco, querentibus dominis factionum, « repræsentanda præmia in posterum, » sanxit [6]. Majesta-

V. 1. *Ex Antonia majore*, etc. Plures de hujus feminæ conjugio sunt errores scriptorum. Dio, XLVIII, 54, patrem Domitium confundit cum filio, Neronis avo, dum illi Antoniam desponsatam narrat, quem errorem post Perizon. Animadv. Hist. cap. 3, pag. 144, arguit Reimarus ad l. c. Deinde Tacit. Annal. IV, 44, et XII, 64, *minorem* Antoniam Domitio nupsisse dicit, quam Noster, Calig. 1, Drusi uxorem perhibet. Lipsius, ad XII, 64, sibi non liquere fatetur. Magis puto credendum Nostro, in his rebus accuratissimo.

2. *C. Cæsaris juvenis;* nepotis Augusti, de quo vide August. 65. Addidit *juvenis*, quod de C. Cæsare Imperatore cogitare aliquis poterat, eodem nomine mox cap. 6 memorato. Unice vera hæc est sententia Burmanni, Oudendorpii, Wolfii.

3. *Repente*. Wolfius probat emendationem viri docti, a Casaub. prolatam, *repentem*. Malo assentiri Bremio, jungenti, ut verborum ordo jubet, *repente puerum obtrivit*, et comparanti Calig. 32, ubi est, *repente*, h. e. nec opinatos *omnes præcipitavit*.

4. *Ut non modo argentarios*, etc. ad quorum tabernas auctiones fieri solebant, ut præter Torrent. ad h. l. docet Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II, 11, p. 327. Conf. Brisson. de Formul. VI, p. 511.

5. *Sed et.... mercede palmarum;* hoc est victoriæ præmio, quod illis promiserat.

6. *Notatus ob hæc... sanxit*. Varie hunc locum emendarunt viri docti; Casaub. « *quæ*, querenti-

tis quoque, et adulteriorum[7], incestique cum sorore Lepida[8], sub excessu Tiberii reus, mutatione temporum evasit; decessitque Pyrgis[9] morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone ex Agrippina[10], Germanico genita.

VI. Nero natus est Antii post nonum mensem[1], quam Tiberius excessit, duodevicesimo Kalendas[2] Januarias,

bus, etc. » ut *sanxit* sit *sanciendum dixit;* Grævius, *dixit* pro *sanxit;* alii ex alio Cod. « *Cæsaris* joco, *qui*, etc. » unde Oudend., conjuncta duplici scriptura, fecit, « *Neronis Cæsaris* joco, *qui*, etc. » intelligens Neronem, Germanici filium, quod cum Ruhnkenio probavit Wolfius. Si augendæ sunt præter rem conjecturæ, suadeo, mutata interpunctione, « Notatus ob hæc et sororis joco. Querentibus, etc. » vel, « Notatus ob hæc et *sorori* (pro *a sorore*, crebro scriptoris usu, de quo vide Oudend. ad Cæs. 19), joco... sanxit, » scil. edicto prætorio, vel pro *sancte promisit*, ut *querentibus* sit dativus. Sed nihil mutandum videtur. Quidni licuisset Prætori in illa licentia, irridere conquerentes factionum dominos edicto, quod a se defraudatos futuro commodo permulceret? Ceterum, notandus est error Grævii, qui ad h. l. et ad verba, *C. Cæsaris juvenis*, Domitium nostrum *Neronem* appellare solet, quum tamen hoc cognomen filius demum acceperit ex adoptione Claudii Neronis Imperatoris. Miror, id non monuisse, qui suas notas Grævianis attexuerunt.

7. *Majestatis quoque, et adulteriorum*, etc. Tacit. Annal. VI, 47, « Dein multorum amoribus famosa Albucilla... defertur impietatis in Principem. Connectebantur, ut conscii et adulteri ejus, *Cn. Domitius*, Vibius Marsus, L. Arruntius. »

8. *Cum sorore Lepida;* Domitia Lepida, de qua vide Tacit. Annal. XII, 64.

9. *Pyrgis. Pyrgi* Etruriæ oppidum, de quo vide Cellar. Geogr. Ant. II, 9, pag. 735.

10. *Ex Agrippina;* quam duxerat ann. 781. Tacit. Annal. IV, fin. « Ceterum Tiberius neptem Agrippinam, Germanico ortam, quum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias jussit. In Domitio, super vetustatem generis, propinquum Cæsaribus sanguinem delegerat: nam is aviam Octaviam, et per eam Augustum avunculum præferebat. »

VI. 1. *Post nonum mensem.* Ita dedimus cum Oudend. e librorum vestigiis et more Suetonii. Al. « post *novem menses*. » Editorum emendationes recensere non attinet. Excessit Tiberius mense Martio ann. 790 (cf. ad Tiber. 73), natus est Nero mense Decembri ejusdem anni, et imperium adiit ann. 807, unde recte Xiphilin. LXI, 3, ἑπτὰ καὶ δέκα ἔτη ἄγων, ὅτ' ἦρξεν, ad quem locum vide Reimar.

2. *Duodevicesimo Kalendas Januarias.* Mense Decembri ortum Neronem, auctor etiam Tacit. Annal. XIII, 10, atque XVIII Kalend.

tantum quod exoriente sole[3], pæne ut radiis prius, quam terra, contingeretur. De genitura ejus statim multa et formidolosa multis conjectantibus, præsagio fuit etiam Domitii patris vox[4], inter gratulationes amicorum negantis, quicquam ex se et Agrippina, nisi detestabile et malo publico, nasci potuisse. Ejusdem futuræ infelicitatis signum[5] evidens die lustrico[6] exstitit: nam C. Cæsar, rogante sorore, ut infanti, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium patruum suum, a quo mox Principe Nero adoptatus est, ejus se dixit dare: neque ipse[7] serio, sed

Januar. Capitol. cap. 2, qui eumdem diem Vero natalem prodit.

3. *Tantum quod exoriente sole*, etc. quod inter præsagia futuri Neronis imperii commemorat Xiphil. LXI, 2. — *Pæne ut radiis.... contingeretur;* h. e. ut Nero prius fere radiis contingeretur, quam terra his radiis contacta est, quam interpretationem facillimam prorsus non afferrem, nisi inepta esset alia Pitisci *nasceretur,* quam præivit Torrent. ad Aug. 5, ubi veterem morem, infantem recens natum nuda in terra sistendi, respici existimat. Junxerunt igitur verba « ut Nero radiis prius, quam terra a Nerone contingeretur, » vel *terra* putaverunt esse ablativum. Utramque rationem durissimam esse, quis non statim videt?

4. *Domitii patris vox*, etc. Cf. Xiphilin. cap. cit.

5. *Ejusdem futuræ infelicitatis signum*, etc. Servavimus *infelicitatis,* quod librorum consensu nititur. Unus alter *felicitatis,* ex temeraria librarii correctione, ut mihi videtur, quam a Lipsio propinatam recepit etiam Ernestius. Vulg. defendunt etiam Oudend. et Wolfius, interpretantes « publicæ, populi Romani, orbis terrarum, » quibus accedimus, ita tamen, ut cum Ernestio *Ejusdem* referatur ad Neronem, quod manifeste superiori *ejus* respondet, non cum *infelicitatis* conjungamus. Nimirum *infelicitatem* dici puto sensu transitivo, ut Cicer. Philipp. II, 26, « mea sententia, *si quis Reipubl. sit infelix, felix esse non potest.* » Ita *terra, arbor* est *infelix,* quæ infelicitatem vel affert, vel portendit. Signum autem erat in dato nomine Claudii, mox Imperatoris, ac talis quidem, qui imperio Rempublicam maxime affligeret.

6. *Die lustrico*. Macrob. I, 16: « Est etiam Nundina Romanorum Dea, a nono die nascentium nuncupata, qui *lustricus* dicitur. Est autem dies lustricus, quo infantes lustrantur et nomen accipiunt: sed is maribus nonus, octavus est feminis. » Vide Pitiscum ad loc. nost. et ab eo excitatos.

7. *Ipse*. Ponitur propter oppositionem Agrippinæ. Ita et nos, « et « ce nom dont Agrippine fesait fi, « il ne le donnait *lui* qu'en plaisantant, etc. »

per jocum, et aspernante Agrippina, quod tum Claudius inter ludibria aulæ erat. Trimulus patrem amisit: cujus ex parte tertia heres, ne hanc quidem integram cepit, correptis per coheredem Caium universis bonis: et subinde matre etiam relegata[8], pæne inops atque egens, apud amitam Lepidam nutritus est, sub duobus pædagogis, saltatore atque tonsore. Verum Claudio imperium adepto, non solum paternas opes recuperavit, sed et Crispi Passieni[9] vitrici sui hereditate ditatus est. Gratia quidem et potentia revocatæ restitutæque matris[10] usque eo floruit, ut emanaret in vulgus, missos a Messalina, uxore Claudii, qui eum meridiantem, quasi Britannici æmulum, strangularent. Additum fabulæ est[11], eosdem dracone e pulvino se proferente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est, deprehensis in lecto ejus circum cervicalia serpentis exuviis, quas tamen, aureæ armillæ ex voluntate matris inclusas, dextro brachio gestavit aliquamdiu; ac tædio tandem maternæ memoriæ abjecit; rursusque extremis suis rebus frustra requisivit.

VII. Tener adhuc, necdum matura pueritia, Circensibus ludis Trojam constantissime favorabiliterque lusit. Undecimo ætatis anno[1] a Claudio adoptatus est, Annæo-

8. *Matre etiam relegata*. Cf. ad Calig. cap. 24.

9. *Crispi Passieni;* cui post Domitii mortem nupserat Agrippina. Vide Lips. ad Tacit. Annal. XII, 6, et Reimar. ad Xiphil. VI, 17.

10. *Revocatæ restitutæque matris;* a Claudio. Vide ad Claud. 12.

11. *Additum fabulæ est*, etc. Lips. emendabat, *Addita fabula est*. Sed vulg. bene se habet. *Fabula* est narratio, quæ in vulgus emanarat, eaque dubiæ fidei. Rem, uti Suetonius, narrat Xiphil. LXI, 2. Diverse Tacit. Annal. XI, 11: « Vulgabaturque, adfuisse infantiæ dracones in modum custodum; fabulosa et externis miraculis assimilata. Nam ipse, haudquaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo visam, narrare solitus est. »

VII. 1. *Undecimo ætatis anno*, etc. Adoptatus est C. Antistio, M. Suilio Coss. ann. 803. Tacit. Annal. XII, 25. Scribendum igitur *Duodecimo*, ut Lipsio ad loc. cit. visum, vel etiam *Tertio decimo*, ut

que Senecæ, jam tunc Senatori, in disciplinam traditus. Ferunt, Senecam proxima nocte visum sibi per quietem C. Cæsari præcipere: et fidem somnio Nero brevi fecit, prodita immanitate naturæ, quibus primum potuit experimentis. Namque Britannicum fratrem, quod se post adoptionem ÆNOBARBUM ex consuetudine [2] salutasset, ut subditivum apud patrem arguere conatus est. Amitam autem Lepidam [3] ream testimonio coram afflixit, gratificans matri, a qua rea premebatur. Deductus in Forum tiro [4], populo congiarium, militi donativum proposuit: indictaque decursione [5] prætorianis, scutum sua manu prætulit: exin patri gratias in Senatu egit. Apud eundem Consulem pro Bononiensibus Latine, pro Rhodiis atque Iliensibus Græce verba fecit [6]. Auspicatus est et jurisdictionem Præfectus Urbi [7] sacro Latinarum, celeberrimis

Oudendorpio ad nostr. Facillimus error in numeris XI, vel XII, vel XIII.

2. *Quod se... Ænobarbum... salutasset*, etc. Tacit. Annal. XII, 41: « Obvii inter se, Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutavere. Quod, ut discordiæ initium, Agrippina multo questu ad maritum defert: sperni quippe adoptionem; quæque censuerint Patres, jusserit populus, intra Penates abrogari: ac, nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, erupturа in publicam perniciem. »

3. *Amitam... Lepidam;* Domitiam Lepidam, quam perditam ab Agrippina, narrat Tacitus, Annal. XII, 64.

4. *Deductus in Forum tiro;* ann. 805. Tacit. Annal. XII, 41: « Ti. Claudio V, Ser. Cornelio Orfito Coss., virilis toga Neroni maturata, quo capessendæ Reipubl. habilis videretur. Et Cæsar adulationibus Senatus libens cessit, ut vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret, atque interim designatus proconsulare imperium extra Urbem haberet, ac Princeps juventutis appellaretur. Additum nomine ejus donativum militi, congiarium plebi. »

5. *Indictaque decursione;* qua milites exercebantur. Conf. Veget. lib. I. Infra, Galb. 6, « campestrem decursionem scuto moderatus. »

6. *Pro Bononiensibus.... verba fecit.* Tacit. Annal. XII, 58, « Eodem (Nerone) oratore Bononiensi coloniæ, igni haustæ, subventum centies Sestertii largitione; » ubi de *Rhodiis* atque *Iliensibus* vide. Cf. ad Claud. 25.

7. *Præfectus Urbi.* Conf. ad Cæs. 76 et 79. — *Postulationes ingerere* est causas proferre, de quibus judicaret.

patronis non translaticias, ut assolet, et breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus; quamvis interdictum a Claudio esset. Nec multo post duxit uxorem Octaviam[8]: ediditque pro Claudii salute Circenses et venationem.

VIII. Septemdecim natus annos[1], ut de Claudio palam factum est, inter horam sextam septimamque[2] processit ad excubitores; quum ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur: proque Palatii gradibus IMPERATOR consalutatus, lectica in castra, et inde raptim appellatis militibus in Curiam delatus est, discessitque jam vesperi, ex immensis, quibus cumulabatur, honoribus, tantum PATRIS PATRIÆ nomine recusato, propter ætatem.

IX. Orsus hinc a pietatis ostentatione, Claudium, apparatissimo funere elatum, laudavit consecravitque[1].

8. *Duxit uxorem Octaviam;* ann. 807. Tacit. Annal. XII, 58, « D. Junio, Q. Haterio Consulibus, sedecim annos natus Nero Octaviam, Cæsaris filiam, in matrimonium accepit, » ubi vide Lipsium. Videtur latiori sensu dixisse *Nec multo post* Suetonius, non per errorem.

VIII. 1. *Septemdecim natus annos;* ann. 807. Conf. supra cap. 6, init.

2. *Inter horam sextam septimamque,* etc. Tacit. Annal. XII, 69: « Tunc, *medio diei,* tertium a. Id. Octobr., foribus Palatii repente diductis, comitante Burro, Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adest. Ibi, monente Præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ. Dubitavisse quosdam ferunt, respectantes rogitantesque, ubi Britannicus esset: mox, nullo in diversum auctore, quæ offerebantur, secuti sunt. Illatusque castris Nero, et congruentia tempori præfatus, promisso donativo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator consalutatur. Sententiam militum secuta Patrum consulta; nec dubitatum est apud provincias. » Conf. Joseph. XX, 8. — *Et inde raptim appellatis militibus;* h. e. post brevem ad milites orationem, etc. Cf. Xiphil. LXI, 3.

IX. 1. *Claudium..... laudavit consecravitque.* Tacit. Annal. XIII, 3 : « Die funeris laudationem ejus Princeps exorsus est. Dum antiquitatem generis, consulatus, ac triumphos majorum enumerabat, intentus ipse et ceteri; liberalium quoque artium commemoratio, et,

Memoriæ Domitii patris honores[2] maximos habuit. Matri summam omnium rerum publicarum privatarumque permisit[3]. Primo etiam imperii die signum excubanti Tribuno dedit « Optimam matrem : » ac deinceps ejusdem sæpe lectica per publicum simul vectus est. Antium coloniam deduxit[4], ascriptis veteranis e prætorio, additisque per domicilii translationem[5] ditissimis primipilarium : ubi et portum operis sumtuosissimi fecit[6].

X. Atque, ut certiorem adhuc indolem ostenderet, « ex Augusti præscripto imperaturum se, » professus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit[1]. Graviora ve-

nihil regente eo Reipubl. triste ab externis accidisse, pronis animis audita ; postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio, a Seneca composita, multum cultus præferret. » Conf. etiam ad Claud. cap. 45.

2. *Memoriæ Domitii patris, honores*, etc. Fragmentum lapidis, in quo, *in sacra via memoriæ Cn. Domitii Ahenobarbi immolasse* se, testatur Nero, attulerunt Ursinus et Casaubon. Tacitus, Annal. XIII, 10, « Eodem anno (808) Cæsar effigiem Cn. Domitio patri... petivit a Senatu. »

3. *Matri summam.... rerum.... permisit.* Tacit. Annal. XIII, 2 : « Propalam omnes in eam honores cumulabantur, signumque more militiæ petenti Tribuno dedit *Optimæ matris*. Decreti et a Senatu duo lictores, Flaminium Claudiale. » Cf. Xiphil. LXI, 3, ubi Reimar. Agrippina apud Racine, *Britannicus*, act. I, sc. 1, pristinam potestatem amissam queritur :

Non, non, le tems n'est plus que Néron jeune encore
Me renvoyait les vœux d'une cour qui l'adore ;
Lorsqu'il se reposait sur moi de tout l'état ;
Que mon ordre au palais assemblait le sénat,
Et que derrière un voile, invisible et présente,
J'étais de ce grand corps l'âme toute puissante.

4. *Antium coloniam deduxit*, etc. Tacit. Annal. XIV, 27, « Veterani Tarentum et Antium adscripti. » Ann. 814.

5. *Per domicilii translationem.* Scil. prætoriani domicilium non habebant, sed primipilares tantum, ut cives. His et ipsis Roma migrandum fuit Antium.

6. *Ubi et portum... fecit;* quo carebat tempore Strabonis (Strab. V, 3, 5).

X. 1. *Neque liberalitatis... ullam occasionem omisit.* Vide Tacit. Annal. XIII, 10, 11 ; Aurel. Victor. Cæs. 5 ; Epit. 5. Senec. de Clement. I, 11, « Comparare nemo mansuetudini tuæ audebit Divum Augustum, etiamsi in certamen juvenilium annorum deduxerit senectutem plus quam maturam, etc. »

ctigalia[2] aut abolevit, aut minuit. Præmia[3] delatorum Papiæ legis ad quartas redegit. Divisis populo viritim quadringenis nummis[4], Senatorum nobilissimo[5] cuique, sed a re familiari destituto, annua salaria, et quibusdam quingena, constituit: item prætorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum[6]. Et quum de supplicio

2. *Graviora vectigalia*, etc. Tacit. Ann. XIII, 31, « Vectigal quoque quintæ et vicesimæ venalium mancipiorum remissum, specie magis, quam vi: quia, quum venditor pendere juberetur, in partem pretii emtoribus accrescebat. » Idem, cap. 50, « Eodem anno (812), crebris populi flagitationibus, immodestiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere Senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus Respubl. sustineretur, deminuerentur, etc. » Vide et cap. 51, ubi edicta recenset, ex Principis benignitate profecta, additque: « Aliaque admodum æqua (edixit), quæ brevi servata, dein frustra habita sunt. Manet tamen abolitio quadragesimæ quinquagesimæque, et quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant. » Conf. Lips. ad locos cit.

3. *Præmia delatorum*, etc. hoc est, delatoribus eorum, qui contra legem Papiam Poppæam peccassent, quartam tantum partem præmiorum, quæ antea acceperant, dari jussit.

4. *Divisis populo viritim quadringenis nummis.* Tacit. Annal. XIII, 31, « plebeique congiarium *quadringeni* numi viritim dati, » uti legendum omnes editores inde a Lipsio censuerunt, pro vulg. *quadrageni*, ut et loco nostro corrupte Codd. *quadrigenis*, et inde *quadragenis* Ceterum hæc verba, in editt. plerisque superiori commati annexa, cum Oudend. sequenti attexuimus, quo pertinent.

5. *Senatorum nobilissimo cuique*, etc. uti Valerio Messalæ, collegæ in consulatu ann. 812. Tacit. Annal. XIII, 34, « nobili familiæ honor auctus est, *oblatis in singulos annos quingenis Sestertiis*, quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cottæ et Haterio Antonio *annuam pecuniam* statuit Princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent. » Ceterum, non omittenda loco nost. cum libris nonnullis præpositio *a*. Ita enim *destitutus* est infra c. 32, et additum *a re familiari*, h. e. quod attinet ad rem familiarem, ostendit, qua re fuerint destituti, quum de variis rebus hoc usurpetur. Mox *quinquagena* collatio Mulleri, a quo probatur.

6. *Item... frumentum menstruum gratuitum*. Tacit. XV, 72, ad ann. 819, « bina nummum millia viritim manipularibus divisit, addiditque *sine pretio frumentum*, quo ante ex modo annonæ utebantur.

cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur: « Quam vellem[7], » inquit, « nescire literas! » Omnes ordine[8] subinde ac memoriter salutavit. Agenti Senatui gratias respondit: « Quum meruero. » Ad campestres exercitationes[9] suas admisit et plebem: declamavitque[10] sæpius publice: recitavit et carmina, non modo domi, sed in theatro, tanta universorum lætitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, eaque pars carminum aureis literis Jovi Capitolino dicata.

XI. Spectaculorum plurima et varia genera edidit: Juvenales[1], Circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus. Juvenalibus senes quoque consulares, anusque matronas[2] recepit ad lusum. Circensibus loca Equiti secreta

7. *Quam vellem*, etc. Vide Senec. de Clementia, II, 1. Burrhus apud Racine, *Britannicus*, act. IV, scen. 3:

Un jour, il m'en souvient, le sénat équitable
Vous pressait de souscrire à la mort d'un coupable :
Vous résistiez, seigneur, à leur sévérité;
Votre cœur s'accusait de trop de cruauté;
Et, plaignant les malheurs attachés à l'empire,
Je voudrais, disiez-vous, *ne savoir pas écrire*.

8. *Omnes ordine*, etc. Ita dedimus pro « Omnes *ordines*, » quod interpretantur « homines ex omnibus ordinibus. » Litera *s* in *ordines* adhæsisse videtur ex sequenti voc. *subinde*, h. e. *sæpe*. Præiverat Lips. « Omnes *Senatores* ordine, etc. » Quid, si legas, « Omnes ordine, subinde... salutavit. » Ceterum cf. August. 53, et Plin. Panegyr. cap. 23.

9. *Campestres exercitationes*. Cf. ad August. 83.

10. *Declamavitque*, etc. Vulg. *declamavit et*. — Post *sed* addunt vulg. *et*, quod omittere solet Noster post *non modo*, et abest a MSS. — Pro *eaque*, quod exhibent optimi Codd., al. *atque*, quod dedit Burmann. Ceterum orationem etiam, ad Senatum habitam, argenteæ columnæ insculptam, et quotannis prælatam, prodit Xiphil. LXI, 3.

XI. 1. *Juvenales*. Tacit. Annal. XIV, 15, « Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos, Juvenalium vocabulo, in quos passim nomina data; non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quo minus Græci Latinive histrionis artem exercerent, usque ad gestus modosque haud viriles, etc. » Cf. Xiphil. LXI, 19; Tacit. Ann. XV, 33, et vide Lips. ad XIV, 15.

2. *Senes quoque consulares*, *anusque matronas*, etc. Conf. Xiphil. l. c. qui Æliam Catulam, feminam nobilissimam atque ditissimam, natam annos 80 in Juvenalibus saltasse scribit.

a ceteris tribuit[3]: commisitque etiam camelorum quadrigas. Ludis, quos pro æternitate imperii susceptos appellari *Maximos* voluit[4], ex utroque ordine et sexu plerique ludicras partes sustinuerunt. Notissimus Eques Romanus elephanto supersedens per catadromum decucurrit. Inducta est et Afranii togata, quæ *Incendium* inscribitur; concessumque, ut scenici ardentis domus supellectilem diriperent, ac sibi haberent. Sparsa et populo missilia omnium rerum[5] per omnes dies: singula quotidie millia avium cujusque generis, multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ; novissime naves, insulæ, agri.

XII. Hos ludos spectavit e proscenii fastigio[1]. Munere, quod in Amphitheatro ligneo[2], regione Martii campi intra anni spatium fabricato, dedit, neminem occidit, ne noxiorum quidem. Exhibuit autem[3] ad ferrum etiam quadringentos Senatores, sexcentosque Equites Romanos,

3. *Loca Equiti secreta... tribuit.* Tacit. Annal. XV, 32, « Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud Circum. Namque ad eam diem indiscreti inibant, quia lex Roscia nihil, nisi de quatuordecim ordinibus, sanxit; » ubi vide Lipsium. Conf. Torrent. ad hunc locum, et quæ notavimus ad Claud. cap. 21.

4. *Ludis, quos... appellari Maximos voluit*, etc. Cf. Xiphil. LXI, 17, ubi Reimarum, qui cum aliis *catadromum* recte funem interpretatur, a summo fornice ad solum Amphitheatri oblique descendentem. *Elephantos funambulos* Noster etiam memorat Galb. 6.

5. *Sparsa et... missilia omnium rerum*, etc. Vide Xiphil. LXI, 18. — *Insulæ*, domus, ut sæpe.

XII. 1. *E proscenii fastigio.* Infra, cap. 26, *ex parte proscenii superiori*. Cf. de *proscenio* Bulenger. de Theatro, I, 26.

2. *In Amphitheatro ligneo;* quod ann. 811 exstructum, tangit modo Tacit. Annal. XIII, 31, « Nerone II, L. Pisone Coss., pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat, laudandis fundamentis et trabibus, quis molem Amphitheatri apud campum Martis Cæsar exstruxerat, volumina implere. » Vide Lips. de Amphitheatro, I, 5.

3. *Exhibuit autem.... et varia arenæ ministeria.* Cf. Xiphil. LXI, 17, ubi plura, Tacit. Annal. XIV,

et quosdam fortunæ atque existimationis integræ : ex iisdem ordinibus confectores quoque ferarum, et varia arenæ ministeria. Exhibuit et naumachiam[4] marina aqua, innantibus belluis : item pyrrhichas quasdam e numero epheborum[5], quibus post editam operam diplomata civitatis Romanæ singulis obtulit[6]. Inter pyrrhicharum argumenta[7], taurus Pasiphaen, ligneo juvencæ simulacro abditam, iniit, ut multi spectantium crediderunt. Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus[8] decidit, ipsum

14, et XV, 32, qui loci, comparati cum Xiphil. LXI, 9, ubi, *καὶ ἱππεῖς ἐκ τοῦ τέλους τριάκοντα ἐμονομάχησαν*, commendant rationem Lipsii, ad Tacit. Annal. VI, 19, nostro loco emendantis, « *quadragenos* Senatores, *sexagenosque* Equites Romanos, » quam, repetitam Saturnal. II, 3, præter plerosque Suetonii interpretes comprobavit Gibbon. Hist. not. 36 ad cap. 4. Ceterum, pro « ex iisdem ordinibus confectores quoque ferarum, et varia arenæ ministeria, » quam Memm. et optimorum Codd. lectionem ediderunt ante nos Burmann., Oudend., Wolfius, in aliis est interpunctio post *ex iisdem ordinibus :* mox, « *confectoresque* ferarum, et *ad* varia arenæ ministeria. » Fefellit librarios et editores abstractum *ministeria* dictum pro *ministris*, de quo vide Græv. et Oudendorp. ad h. l.

4. *Exhibuit et naumachiam*, etc. Vide Xiphil. LXI, 9. Prætulimus autem interpunctionem nostri commatis, quam edidimus, alteri, *naumachiam, marina aqua innantibus belluis*, et quod id ipsum singulare fuit in naumachia Neronis, quod *marina aqua* complebatur, et quod Suetoniani usus sunt adjuncti ablativi.

5. *Item pyrrhichas quasdam e numero epheborum*. Haud placent emendationes Ernest. « item *ad* pyrrhichas *quosdam* e numero epheborum, » et Oudend. « pyrrhichas *C* (*centum*) numero epheborum. » Quidni enim complectatur voc. *pyrrhicha* homines, qui eam saltabant, seu *pyrrhicharios*, ut visum etiam Walthero, Observ. pag. 25? Mullero placebat, « pyrrhichas *saltantes* » vel « pyrrhichas, *quas saltabant* e numero epheborum, » ex Cæs. cap. 39. De hoc saltationis genere vide not. ad Cæs. 39, et Bulenger. de Theatro, I, 51. *Epheborum* mentio facta August. 98; coll. Calig. 58, et vide quæ Reim. de *ἐφηβηρίοις* dixit ad locum, ex Excerpt. Peiresc. insertum Xiphil. LXI, 17.

6. *Quibus... obtulit;* ephebis scil. Idem fecerat Claudius, ut narrat Dio, LX, 7.

7. *Inter pyrrhicharum argumenta;* hoc est, *pendant la durée du ballet*, taurus Pasiphaen... iniit, ne quis putet, hæc pertinere ad argumenta pyrrhicharum.

8. *Juxta cubiculum ejus;* h. e.

que cruore respersit. Nam perraro præsidere, ceterum accubans, parvis primum foraminibus, deinde toto podio [9] adaperto, spectare consuerat. Instituit et quinquennale certamen [10] primus omnium Romæ, more Græco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit NERONIA [11]. Dedicatisque thermis atque gymnasio, Senatui quoque et Equiti oleum præbuit [12]. Magistros toti certamini præposuit consulares sorte, sede [13] Prætorum: deinde in orchestram Senatumque descendit [14], et orationis quidem carminisque Latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit [15]: citharæ autem [16], a judicibus ad se delatam, adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit. Gymnico,

suggestum, in quo cubabat. Cf. de *suggestu in orchestra* ad Cæs. 76.

9. *Podio*. Vide Lips. de Amphitheatro, cap. 11. Vitiose in editionibus nonnullis *adoperto* pro *adaperto* legitur.

10. *Instituit et quinquennale certamen*, etc. Tacit. Annal. XIV, 20, « Nerone quartum, Cornelio Cosso Coss. (ann. 813), quinquennale ludicrum Romæ institutum est, ad morem Græci certaminis; varia fama, ut cuncta ferme nova. » Cf. Xiphil. LXI, 21, ubi Reimar. ut et Lips. cum ceteris interpretibus ad Tacit. l. c.

11. *Quod appellavit Neronia*. Infra cap. 21, *Neroneus agon* dicitur, et *certamen Neroneum* Vitell. 4.

12. *Dedicatisque.... oleum præbuit*. Cf. Xiphil. l. c. Tacit. Annal. XIV, 47, « Gymnasium eo anno (815) dedicatum a Nerone, præbitumque oleum Equiti ac Senatui, Græca facilitate, » ubi vide interpr. De *thermis* Eutrop. VII, 9, « Ædificavit Romæ thermas, quæ ante Neronianæ dictæ, nunc Alexandrinæ (ab Alexandro Severo) appellantur. »

13. *Sede Prætorum;* h. e. qui præsiderent ludis eo loco, quo Prætores sedere solerent, quum ludis præessent. » Al. *sed et prætorios*.

14. *Deinde in orchestram Senatumque descendit;* scil. ut posita Imperatoris persona, privatam Senatoris indueret. Emendationem aliorum, ab Ernest. probatam, « in orchestram *scenamque*, » cui ipsum *descendit* contrarium est, satis explosit Oudendorp., quem vide.

15. *Et orationis.... coronam.... recepit*. Tacit. Annal. XIV, 21, « Eloquentiæ primas nemo tulit, sed, victorem esse Cæsarem, pronunciatum. » — *Ipsorum consensu;* h. e. honestissimi cujusque, qui cum eo contenderant.

16. *Citharæ autem*, etc. Cf. Xiphil. l. c. qui quidem ipse locus damnat lectionem vulg. *citharam*. *Judices* erant *magistri* illi consulares, toti certamini præpositi.

quod in Septis edebat, inter buthysiæ apparatum, barbam primam posuit[17], conditamque in auream pyxidem, et pretiosissimis margaritis adornatam, Capitolio consecravit. Ad athletarum spectaculum invitavit et virgines Vestales[18], quia Olympiæ quoque Cereris sacerdotibus spectare conceditur.

XIII. Non immerito inter spectacula ab eo edita et Tiridatis in Urbem introitum[1] retulerim. Quem Armeniæ regem, magnis pollicitationibus sollicitatum, quum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quo opportunissime potuit, dispositis circa Fori templa[2] armatis cohortibus, curuli residens apud Rostra triumphantis habitu, inter signa militaria atque vexilla : et primo per devexum pulpitum[3] subeuntem admisit ad genua, allevatumque dextra exosculatus est; dein precanti, tiara deducta, diadema imposuit, verba supplicis interpretata prætorio viro multitudini pronunciante.

17. *Barbam primam posuit.* Secundum Xiphil. LXI, 19, quum Juvenalia celebraret, ann. 812. De anno, quo barbam ponere solebant Romani, totoque ritu vide Lips. Excurs. ad Tacit. Ann. XIV, 15. — *Capitolio* Casaub. et alii e Xiphil. et Cod. Memm. mutaverant in *Jovi Capitolino;* veterem lectionem, cujus altera est interpretatio, restituerunt Burmann. Ernest. Oudendorpius.

18. *Invitavit et virgines Vestales.* Contra Augustus (c. 44) « athletarum spectaculo muliebre secus omnes summovit. » — Pro *Olympiæ*, al. *Olympia* h. e. ludos Olympicos, idque probavit Reines. ad marginem, addens, « An de Olympiis, quæ Athenis agitari solent, teste Inscript. II, pag. 316, intelligendum est, an etiam Olympia Romæ? De sacerdotio *Atticæ Cereris* Romæ cf. August. 93. » Dubitationem removet genuina lectio, quam comprobat ipse mos Neronis, Græca imitandi.

XIII. 1. *Tiridatis in Urbem introitum;* A. U. 819. Describit eum Xiphil. LXIII, 1 seq.

2. *Circa Fori templa.* Non ædes modo Deorum in Foro positas intellige, quum etiam curia, basilicæ, comitium, templa sint. Vide Ernest. Clav. Cicer. sub voc. *templum*, et Manut. ad Cicer. pro Sext. cap. 29.

3. *Per devexum pulpitum*, etc. *Devexum* dici *καταχρηστικῶς* respectu Neronis, vel absolute, non Tiridatis subeuntis, monitum ab interpretibus jam est.

Perductum inde in theatrum[4], ac rursus supplicantem, juxta se latere dextro collocavit. Ob quæ Imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata[5]. Janum geminum clausit, tanquam nullo residuo bello[6].

XIV. Consulatus quatuor gessit: primum[1] bimestrem, secundum et novissimum semestres, tertium quadrimestrem: medios duos continuavit; reliquos inter annua spatia variavit.

XV. In jurisdictione postulatoribus[1], nisi sequenti die,

4. *Perductum inde in theatrum*, etc. Cf. Xiphil. cap. 6. Plin. Hist. Nat. XXXIII, 3 (16), « Nero Pompeii theatrum operuit auro in unum diem, quod Tiridati regi Armeniæ ostenderet. »

5. *Laurea in Capitolium lata;* sine justo triumpho. Ita Domitian. 6, « de Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. » Cf. de hac *laurea*, victoriæ triumphique signo, quod, ut post justum triumphum, in gremio Jovis Capitolini deponebatur, Dempster. ad Rosin. Ant. Rom. X, 29, p. 777, et Mader. ad Panvin. de Triumpho (Thes. Græv. tom. IX, p. 1368), qui, ex solido auro fabricari solitam, plurimis locis ostendunt.

6. *Tanquam nullo residuo bello.* Quum hæc manifeste cum superioribus cohæreant, et numi accedat auctoritas, de quo vide Oudend. ad h. l. et Reimar. ad Xiphil. LXIII, 5, recessi a lege mihi scripta, dedique Lipsii emendationem, plerisque probatam, pro lectione vulg. « *tam* nullo, *quam* residuo bello, » a Gronovio mutata in « *jam* nullo *quasi* residuo bello. » Si vel maxime sæpius Janum a Nerone clausum ostenderetur, hoc tamen loco de honoribus modo sermo, Principi ob Tiridatis adventum habitis, ad quos senatusconsultum de claudendo Jano pertinet æque, ac ornamenta triumphalia, de quibus auctor proxime dixerat, et vere Oudend. notat, si de Jano sæpius clauso exponeret h. l. Suetonius, scribere eum debuisse, *tam residuo, quam nullo bello.* Consensit etiam Wolfius.

XIV. 1. *Primum;* ann. 808, cum L. Antistio Vetere; *alterum*, interjecto spatio annuo, ann. 810, cum L. Calpurnio Pisone, conjunxitque *tertium* ann. 811, cum M. Valerio Messala; *quartum*, rursus anno interjecto, ann. 813, cum Cornelio Lentulo Cosso.

XV. 1. *Postulatoribus;* h. e. iis, qui causam aliquam ad se judicem deferebant, sive aliquid coram tribunali suo petebant. Ita causæ ipsæ *postulationes* dicebantur cap. 7. Conf. de hoc vocabulo et exempla ejusmodi postulationum apud Brisson. de Formulis, lib. V, pag. 400. Reinesio placebat *postulantibus* cum Guther. de Offic. Dom. August. I, 20.

ac per libellos, non temere respondit. Cognoscendi[2] morem eum tenuit, ut, continuis actionibus omissis[3], singillatim quæque per vices ageret. Quoties autem ad consultandum secederet[4], neque in commune quicquam, neque propalam deliberabat; sed conscriptas ab unoquoque sententias tacitus ac secreto legens, quod sibi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronunciabat. In Curiam libertinorum filios[5] diu non admisit: admissis a prioribus Principibus honores denegavit. Candidatos, qui supra numerum essent, in solatium dila-

2. *Cognoscendi*. Vulg. *In cognoscendo*. Hoc etiam loco observandum discrimen inter *jurisdictionem* et *cognitiones*.

3. *Ut, continuis actionibus omissis*, etc. Turbarunt sensum Torrentius et Guther. de Offic. Dom. Aug. I, 20, qui cum Codd. duobus delendum censuerunt *omissis*, eosque sequitur Reinesius, qui ita ad marginem: « *Singillatim*, h. e. attentissime, cum magna diligentia. *Continuas actiones* autem intelligo *sine intermissione* (habitas). Hunc nempe tenuit Nero morem, ut sine intervallo lites expediret, quum magistratus non quovis tempore negotiis vacarent, sed distinctis sessionum diebus. *Per vices*, id est, vicissim et alternatim, audita utraque parte. » Hoc unum vere; reliqua melius post Noordkerk. Observ. cap. 4, pag. 58, explicuerunt Ernest. et Oudendorp. ita, ut Neronem omisisse dicant veterem morem, *continua* oratione s. *actione* aliquam causam perorandi, ubi oratoris artificia magis valerent, quam judicii veritas; contra *singillatim quæque egisse*, h. e. de singulis causæ capitibus (*mais qu'il s'arrêtait au contraire sur chaque incident de la cause*), productis testibus, literis, aliisque judicii instrumentis, idque *per vices*, utraque parte alternatim audita.

4. *Quoties autem.... secederet*; cum amicorum consilio, quod adhibere solebant Principes. Postea opponuntur *in commune* et *secreto*, *propalam* et *tacitus*. Non in commune proferebat quisque suam sententiam viva voce, sed in tabula perscriptam tradebat Neroni, qui, lectis singulis, atque inde formato judicio, reversus in tribunal, pronunciabat, quod *ipsi* libuisset, sive suam ipsius sententiam, *perinde atque*, hoc est, quasi ita plurium sententiis esset evictum, quod an verum esset, scire non poterant, quibus, quid reliqui scripsissent, ignotum erat. Delevimus autem molestum *et* post *sed*, quod abest a nonnullis Codicibus, et damnaverat Oudendorpius. *Legens*, ut sæpius apud Suetonium, pro *quum legisset*.

5. *In Curiam libertinorum filios*, etc. Cf. Claud. 24. Mox al. *admissisque*, al. *admissos*, quod sensum parit prorsus ineptum.

tionis ac moræ, legionibus præposuit[6]. Consulatum in senos plerumque menses dedit. Defunctoque circa Kalendas Januarias altero e Consulibus, neminem substituit; improbans exemplum vetus Caninii Rebili[7], uno die Consulis. Triumphalia ornamenta etiam quæstoriæ[8] dignitatis et nonnullis ex equestri ordine tribuit, nec utique de causa militari. De quibusdam rebus[9] orationes ad Senatum missas, præterito Quæstoris officio, per Consulem plerumque recitabat.

XVI. Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit[1],

6. *Candidatos.... legionibus præposuit.* Tacit. Ann. XIV, 28, « Comitia *Prætorum*, arbitrio Senatus haberi solita, quod acriore ambitu exarserant, Princeps composuit, tres, qui *supra numerum* (np. legitimum illo tempore Prætorum) petebant, legioni præficiendo. » De viris prætoriis, legatis legionum, cf. ad Tiber. 19.

7. *Caninii Rebili.* Cf. ad Cæs. 76.

8. *Etiam quæstoriæ dignitatis.* Repete *nonnullis* e sequentibus. Non enim opus est Lipsiana hujus vocab. trajectione.

9. *De quibusdam rebus*, etc. Sic edidimus cum Casaub., Græv., Oudendorpio, præeuntibus Memmiano aliisque optimæ notæ Codd., quamquam non diffitemur, frigere hoc, sequente *plerumque*, h. e. sæpe, nisi forte addidit auctor *De quibusdam rebus*, quoniam alias ipse adire Senatum solebat Nero suaque voce perorare, et *plerumque*, ob serius demum institutum morem *per Consulem* orationes recitandi, *præterito Quæstoris officio*, de quo vide ad August. 65. Alii junctim cum superioribus legunt, « Nec utique de causa militari, *sed et* quibusdam rebus, » vel « *sed et* de quibusdam rebus, » quod Burmann. corrigit, « *sed et* de quibusdam *aliis* rebus, » vel « *sed et* de *civilibus* rebus, » Dorvill. « *sed et* quibusdam *regibus*. » Nisi est Græcum ἀλλὰ καὶ ἐπ' ἄλλοις τισί, qui tamen usus vocab. *quidam* vereor ut defendi queat, suaserim, « *sed* de *quibuscunque* rebus, » ut Claud. 2, « quibuscunque de causis. » Sed hoc etiam nimis a librorum scriptura recedit. Non pudet me dubiæ sententiæ, quum Wolfius etiam de medicina corrupti loci desperaverit.

XVI. 1. *Formam ædificiorum.... novam excogitavit;* post Urbis incendium. Tacit. Annal. XV, 43, « Ceterum, Urbis quæ domui supererant, non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erecta, sed dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis, cohibitaque ædificiorum altitudine ac *patefactis areis additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent.* Eas porticus, Nero, sua pecunia exstructurum, purgatasque areas dominis traditurum, *pollicitus est.* » Mox Ernest. delendum

et ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur: easque sumtu suo exstruxit. Destinarat etiam Ostia tenus mœnia promovere, atque inde fossa mare veteri Urbi inducere. Multa sub eo et animadversa severe, et coercita, nec minus instituta. Adhibitus sumtibus modus: publicæ cœnæ ad sportulas redactæ: interdictum[2], ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret, quum antea nullum non opsonii genus proponeretur: afflicti suppliciis [3]Christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ; vetiti quadrigariorum lusus[4], quibus inveterata licentia passim vagantibus, fallere ac furari per jocum jus erat: pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatæ[5].

censet *et* ante *ut*. Collatio Mulleri, *ut et*. Puto *et* esse pro *scilicet, nempe*, ut sæpius.

2. *Interdictum*, etc. Cf. Xiphil. LXII, 14, ubi Reimar. et notata a nobis supra ad Claud. 38.

3. *Afflicti suppliciis Christiani;* quos ut auctores incendii incusabat. Tacit. Annal. XV, 44, « abolendo rumori Nero subdidit reos, et quæsitissimis pœnis affecit, quos, per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat.... Primo correpti, qui fatebantur, deinde, indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis, convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur, etc. » Oros. VII, 7, « Primus Romæ Christianos suppliciis et mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit; ipsumque nomen exstirpare conatus, beatissimos Christi apostolos, Petrum cruce, Paullum gladio occidit. » Cf. Sulpic. Sev. II, 28 seq. *Superstitionem externam* nostram religionem appellat Tacitus, Annal. XIII, 32, ubi vide interpretes; *pravam et immodicam* Plin. Epist. X, 97. Ceterum, non assentior iis, qui loco nost. legi malunt *affecti* e Cod. Ursin. Imo *afflicti*, h. e. exstirpati fere in Urbe et ad internecionem excisi sunt Christiani sub Nerone.

4. *Vetiti quadrigariorum lusus*, etc. Mos paulatim invaluisse videtur, ut quadrigariis, post præstitam in Circo operam, vagari per urbem liceret, præmiola passim petere, atque, veluti per jocum, auferre, si quid possent. Ea licentia quum abuterentur quadrigarii, abolendam Nero judicaverit. Cf. Ernest. Clav. Cic. sub voc. *quadrigarius*.

5. *Pantomimorum factiones.... relegatæ*. Histriones Italia pulsos, memorat Tacit. Annal. XIII, 25.

XVII. Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ[1], nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur. Cautum, ut in testamentis primæ duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur[2]; ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi ascriberet[3]; item, ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem[4], pro subselliis nul-

XVII. 1. *Tabulæ;* contractuum. Cf. Ernest. ad h. l. et Schulting. Jurisprud. Ante-Justin. ad hæc Pauli Sentent. V, 25, « Amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis, ad mediam partem perforatæ, triplici lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent. Aliter prolatæ nihil momenti habent. »

2. *Cautum, ut in testamentis.... ostenderentur;* h. e. primæ duæ testamenti tabulæ a testatore, suo modo nomine inscripto, ut testatoris tabulas vere esse constaret, *signaturis*, h. e. testibus, qui signaturi essent, *vacuæ* heredum nominibus ostenderentur, quos nosse, testium non intererat. Id cautum, ne testes, si comperissent, qui heredes scripti essent, de alio nomine inserendo cogitarent. Vide Salmas. de Subscribendis et signandis Testamentis, Lugd. Batav. 1648; Bach. Histor. Jurispr. Rom. pag. 358, ed. Stockmann.

3. *Ac ne quis.... legatum sibi ascriberet;* quod a Claudio Imperatore edicto et senatusconsulto sancitum, ut juriscons. in Digestis docent, repetitum videtur a Nerone. Disputat ita de hoc loco Ernest. singulari Excursu contra eos, qui memoriæ lapsum temere Suetonio imputant.

4. *Item, ut litigatores.... certam justamque mercedem*, etc. Lege *Cincia*, de qua præter singularem commentarium Brummeri, Paris. 1668, vide Heinecc. Ant. II, 7, § 10 seq. et Bach. pag. 146, lata ann. 550 a M. Cincio Trib. pleb., cautum fuerat, *ne quis, ob causam orandam, donum munusve caperet*, idque confirmatum ab Augusto ann. 737, auctore Dione, LIV, 18. Postea, quum renovari eam Patres flagitassent, Imperatore Claudio (Tacit. Annal. XI, 5), hic « capiendis pecuniis posuit modum, usque ad dena Sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur (idem, cap. 7). » Initio imperii Neronis, Senatus constituit « ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur (Tacit. Ann. XIII, 5), » pristina vi legi reddita; postea Neronem ad Claudii sententiam rediisse, et, quum ille terminum mercedis constituisset, quem egredi haud liceret, pro unoquoque genere causæ certam mercedem definiisse, ex loco nost. colligit Ernest., qui rursus ab errore, quem objiciunt jurisconsulti et edi-

lam[5] omnino darent, præbente ærario gratuita: utque rerum actu ab ærario causæ ad Forum ac recuperatores transferrentur[6]: et ut omnes appellationes a judicibus ad Senatum fierent[7].

XVIII. Augendi propagandique imperii neque voluntate ulla, neque spe motus unquam, etiam ex [1] Britannia deducere exercitum cogitavit: nec nisi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur, destitit. Ponti modo regnum, concedente Polemone[2], item Alpium, defuncto Cottio, in provinciæ formam redegit.

tores illos secuti, auctorem docta disputatione defendit. Conf. quæ Bachius, pag. 354.

5. *Pro subselliis nullam;* pro quibus mercedem antea datam *mancipibus* Casaub. et Burmannus, *ærario* vero, a scribis exactam, e Cicerone, Brut. 84, existimat Ernestius.

6. *Utque rerum actu.... causæ.... transferrentur;* h. e. ut causæ eorum, qui ærario aliquid deberent, non ad Præfectos ærario, de quibus vide ad Claud. 9, sed, ut aliæ causæ pecuniariæ *privatorum*, ad *recuperatores* deferrentur, in quo maxima erga obæratos benignitas. De *recuperatoribus*, sive judicibus de possessione rebusque pecuniariis, vide Ernest. Clav. Cic. et Bach. pag. 104 seq.

7. *Et ut omnes appellationes.... ad Senatum fierent.* Tacit. Annal. XIV, 28, « Auxit Patrum honorem, statuendo, ut, qui a privatis judicibus ad Senatum provocavissent, ejusdem pecuniæ periculum facerent cum iis, qui Imperatorem appellavere. » Hæc verba Taciti Nostro valde repugnant, qui *omnes* appellationes ad Senatum revocatas, affirmat. Utrumque historicum conjungendum esse, ut alter ab altero omissum tradat, post Cujac. Observat. XXI, 33, judicat Bachius, pag. 356. Qui de *appellationibus* ad Taciti laudatum locum doctissime disseruit, Lipsius, conciliare eos se posse negat, atque nimium dixisse Suetonium ipsi fere credimus.

XVIII. 1. *Ex Britannia.* De clade Britannica vide infra, cap. 39. Eutrop. VII, 9, « In re militari nihil omnino ausus, Britanniam pæne amisit. »

2. *Polemone.* Crebra Polemonum mentio apud Dionem. Vide Fabric. ad XLIX, 25 et 44; LIII, 25; LIV, 24; LIX, 12; et LX, 8. Ex Nostro Aurelius Vict. Cæs. 5, « Pontum in jus provinciæ, Polemonis permissu, redegit, cujus gratia Polemoniacus Pontus appellatur; itemque Cottias Alpes, Cottio rege mortuo. » Eutropius, « Duæ tamen provinciæ sub eo factæ sunt, Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, et Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto. » Cf. Vopiscum, Aurel. cap. 21. De *Cottio* Cf. ad Tiber. 37.

XIX. Peregrinationes duas omnino suscepit, Alexandrinam et Achaicam: sed Alexandrina ipso profectionis die destitit, turbatus religione simul ac periculo. Nam circuitis templis quum in æde Vestæ resedisset, consurgenti ei primum lacinia obhæsit: deinde tanta oborta caligo est, ut dispicere non posset[1]. In Achaia [2] Isthmum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est; tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, et corbulæ congestam humeris extulit. Parabat et ad Caspias portas[3] expeditionem, conscripta ex Italicis senum pedum tironibus nova legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat. Hæc partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna in unum contuli, ut secernerem a probris ac sceleribus ejus, de quibus dehinc dicam.

XX. Inter ceteras disciplinas pueritiæ tempore imbu-

XIX. 1. *Ut dispicere non posset.* Al. *coorta* et *despicere*. Sed oculis exeuntis templo caligo oborta est, ut Ovid. Art. Amat. II, 88,

Nox oculis pavido venit *oborta* metu,

ac ea quidem, quam visu penetrare non poterat, quod est *dispicere*. Inde turbatus etiam *periculo* destitit. Ceterum Tacit. Annal. XV, 36, rem ita narrat: « Nec multo post, omissa in præsens Achaia (causæ in incerto fuere), Urbem revisit; provincias Orientis, maxime Ægyptum, secretis imaginationibus agitans. Dehinc edicto testificatus, non longam sui absentiam, et cuncta in Republ. perinde immota ac prospera fore, super ea profectione adiit Capitolium. Illic veneratus Deos, quum Vestæ quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus, deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriæ leviores dictitans. » De *templo Vestæ* conf. Panciroll. Descr. Urb. Rom. (Thes. Græv. tom. III, pag. 355).

2. *Isthmum*, etc. Cf. Xiphilin. LXIII, 16, ubi Reimar. et not. ad Cæs. cap. 44.

3. *Parabat et ad Caspias portas*, etc. Xiphil. LXIII, 8. Tacit. Hist. I, 6, « multi adhoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero, electos præmissosque ad claustra Caspiarum, et bellum, quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis cœptis revocaverat. » Cf. Plin. Hist. Nat. VI, 13 (15), et de *Caspiis portis* vide Cellar. Geogr. Ant. III, 18, tom. II, pag. 785; Freinshem. ad Curt. VI, 4, 19; Ryck. ad Tacit. Annal. VI, 33.

tus et musica, statim ut imperium adeptus est, Terpnum citharœdum[1], vigentem tunc præter alios, arcessivit; diebusque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paulatim et ipse meditari exercerique cœpit, neque eorum quicquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conservandæ vocis causa, vel augendæ factitarent; sed et[2] plumbeam chartam[3] supinus pectore sustinere, et clystere vomituque purgari[4], et abstinere pomis cibisque[5] officientibus, donec, blandiente profectu[6] (quamquam exiguæ vocis et fuscæ[7]), prodire in scenam concupivit, subinde inter familiares Græcum proverbium jactans, « occultæ musicæ nullum esse respectum[8]. » Et prodiit Neapoli primum[9]; ac ne concusso quidem re-

XX. 1. *Terpnum citharædum;* qui commemoratur etiam Vesp. 19 cum Diodoro. Alterum his, Pammenen, jungit Xiphil. LXIII, 8.

2. *Sed et.* Vide Wolf. ad Tiber. 61. Mullerus conjicit *sic.*

3. *Plumbeam chartam;* h. e. laminam, nempe ad *augendam* vocem, ut oppresso etiam tanto pondere pectore supini, altam atque claram vocem emittere disceret. Interpretes inepta fere de hac re cum multa eruditione protulerunt. Reliqua, quæ Suetonius, ad *conservandam* vocem valebant.

4. *Et clystere... purgari;* quoniam referta alvus raucam facit vocem et ingratam. Mox pro *pomis*, Reines. ad marginem suadet *potibus*, vel *pomatis* a πόμα, πόματος, nescio an inutili mutatione.

5. *Cibisque.* Plin. Hist. Nat. XIX, 6 (33), « Et de *porro* in hac cognatione dici conveniat, præsertim quum *sectivo* nuper auctoritatem dederit Princeps Nero, vocis gratia, ex oleo statis mensium omnium diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem vescendo. » Secundum eumdem, XX, 6 (21), « porrum sectivum voci splendorem affert. »

6. *Blandiente profectu;* hortante successu: nos, *charmé de son savoir.*

7. *Quamquam exiguæ vocis et fuscæ.* Conf. Xiphil. LXI, 20, ubi Reimarum. Quintil. XI, 3, « Qualitas vocis magis varia est: nam et candida et fusca est, et plena et exilis, et lenis et aspera, et contracta et fusa, et dura et flexibilis, et clara et obtusa. »

8. *Occultæ musicæ nullum esse respectum.* Græc. τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος, vel, ut Lucian. Harmonid. I, effert, οὐδὲν γὰρ ὄφελος ἀποῤῥήτου, φασί, καὶ ἀφανοῦς τῆς μουσικῆς. Gell. XIII, 30, « Nosti verbum illud scilicet e Græcia vetus: Musicam, quæ sit abscondita, eam esse nulli rei? » Cf. interpr. ad loc. cit.

9. *Et prodiit Neapoli primum.* Tacit. Annal. XV, 33, « C. Leca-

pente motu terræ theatro[10], ante cantare destitit, quam inchoatum absolveret νόμον. Ibidem sæpius, et per complures cantavit dies: sumto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens secreti a balineis in theatrum transiit, mediaque in orchestra frequente populo epulatus, « si paulum subbibisset, aliquid se sufferti tinniturum[11], » Græco sermone promisit. Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus[12], qui de novo commeatu Neapolin confluxerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo segnius adolescentulos equestris ordinis, et quinque amplius millia[13] e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones, plausuum genera condiscerent (*bombos*, et *imbrices*, et *testas* vocabant[14]), operamque navarent cantanti sibi, insignes pinguissima coma[15], et excellentissimo cultu pueri[16], nec sine anulo

nio, M. Licinio Coss. (ann. 817), acriore in dies cupidine adigebatur Nero, promiscuas scenas frequentandi. Nam adhuc per domum aut hortos cecinerat, Juvenalibus ludis, quos, ut parum celebres et tantæ voci angustos, spernebat. Non tamen Romæ incipere ausus, Neapolim quasi Græcam urbem delegit, etc. »

10. *Concusso.... theatro*. Tacitus: « Illic, plerique ut arbitrabantur, triste, ut ipse, providum potius et secundis numinibus, evenit. Nam egresso, qui adfuerat, populo, vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est. » Postea νόμος est canticum, carmen, ad instrumenti concinentis modos adactum, τὸ κιθαρῳδούμενον. Conf. interpr. ad hunc locum.

11. *Si paulum subbibisset... se... tinniturum*. *Subbibere* ὑποπίνειν, aliquid *sufferti tinnire* ὑπόπυκνόν τι ἠχοῖν recte jam Græce reddidit Turneb. Advers. XXVIII, 18. De corruptis aliorum lectionibus *sufferri* et *suffertim* h. l. dicere non attinet. De vocab. πυκνόν in re musica vide Schneider. Lexic. Græc.

12. *Modulatis... laudationibus*. Vide Lips. ad Tacit. Annal. XVI, 4, ubi, « et plebs quidem... personabat *certis modis plausuque composito*. »

13. *Et quinque amplius millia*, etc. Cf. Xiphil. LXI, 20, ubi Reimar. et infra, cap. 25. Antea, pro *Neque eo segnius*, malim *Neque eo secius*, ut cap. 24, « *nec eo secius* coronatus est. »

14. *Bombos... vocabant*; a diverso sono, quem diverse efficiebant.

15. *Pinguissima coma*. Est παχεῖα κόμη, ut *pinguis toga* August. 82.

16. *Pueri*. Varietatem lectionis et innumeras virorum doctorum conjecturas vide apud Burm., Ou-

lævis : quorum duces quadragena millia sestertium merebant.

XXI. Quum magni æstimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona [1] ante præstitutam diem revocavit; flagitantibusque cunctis cælestem vocem [2], respondit quidem, « in hortis se copiam volentibus facturum : » sed adjuvante vulgi preces etiam statione militum, quæ tunc excubabat, repræsentaturum se pollicitus est libens; ac sine mora nomen suum in albo profitentium citharœdorum jussit ascribi [3]; sorticulaque in urnam cum ceteris demissa, intravit ordine suo, simul Præfecti prætorii citharam sustinentes, post Tribuni militum, juxtaque amicorum intimi. Utque constitit, peracto [4] principio, Nioben se cantaturum, per Cluvium Rufum consularem pronunciavit, et in horam fere decimam perseveravit :

dend., et Ernestium. Si quid mutandum, suaderem, « et excellentissimo cultu *puerili.* » Pro *lævis*, Mullero placebat *læves* seu *leves*, h. e. nondum barbati pueri, qui nondum, ut Equites, anulos gestabant.

XXI. 1. *Neroneum agona.* Vide supra ad cap. 12. Proxime Mullero placebat interpungi, *cantare etiam Romæ*, quod Neapoli quidem, sed nondum Romæ cantaverat. Lucanus apud Legouvé, *Épicharis et Néron*, act. IV, sc. 1, quum inter conjuratos de loco sermo sit, ubi Nero trucidetur, infamatum tali cantus libidine Principem hisce notat versibus :

....demain, sur le théâtre
Il doit chanter des vers que lui seul idolâtre,
Et, devant tout le peuple, aux accens de sa voix
Mêler les sons d'un luth, résonnant sous ses doigts.
C'est là, lorsque rompant tout frein et tout obstacle,
Lui-même aux spectateurs il se donne en spectacle,
Et prodigue aux Romains, blessés de ses travers,
L'horreur de sa présence, et l'ennui de ses vers;
C'est là qu'il faut venger, pleins d'une juste rage,
Le peuple qu'il fatigue, et le rang qu'il outrage.

Vide quæ de re eadem eximius Racine, in notis ad cap. seq.

2. *Cælestem vocem.* Ita etiam in Tacit. Annal. XVI, 22, dicitur, et *vox Deum*; XIV, 15.

3. *Nomen suum in albo... jussit ascribi.* Cf. Xiphil. LXIII, 9, ubi Reimar., et Faber, Agonist. I, 24, et III, 12.

4. *Peracto principio;* verbis conciliandi favoris causa præmissis. Conf. omnino Xiphil. LXI, 20, et LXIII, 14. — De *Cluvio Rufo* vide Reimarum ad loc. cit. et Vossium de Histor. Lat. I, 27. Consul fuerat ann. 798.

coronamque eam et reliquam certaminis partem in annum sequentem distulit, ut sæpius canendi occasio esset. Quod quum tardum videretur, non cessavit identidem se publicare. Non dubitavit etiam privatis [5] spectaculis operam inter scenicos dare, quodam Prætorum sestertium decies offerente. Tragœdias quoque cantavit personatus [6]; heroum Deorumque, item heroidum ac Dearum personis effectis ad similitudinem oris sui, et feminæ, prout quamque diligeret. Inter cetera cantavit « Canacen parturientem, Oresten matricidam, Œdipodem excæcatum, Herculem insanum. » In qua fabula fama est, tirunculum militem [7], positum ad custodiam aditus, quum eum ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendæ opis gratia.

XXII. Equorum studio [1] vel præcipue ab ineunte ætate flagravit, plurimusque illi sermo, quamquam vetaretur, de Circensibus erat: et quondam tractum prasinum agitatorem [2] inter condiscipulos querens, objurgante magistro, de Hectore se loqui, ementitus est. Sed quum inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos Circenses e secessu commeabat, primo clam, deinde propalam : ut nemini dubium esset, eo die utique adfuturum [3]. Neque dissimulabat, velle se palmarum numerum ampliare :

5. *Privatis spectaculis;* h. e. a magistratibus editis, qui comparati cum Principe *privati* dicuntur. —*Quodam Prætorum sestertium decies offerente.* Vide Xiphil. LXIII, 21, qui Larcium Lydum hunc dicit.

6. *Tragœdias quoque... personatus.* Cf. Xiphil. LXIII, 9, et quæ Vindex in oratione apud eumdem, cap. 22.

7. *Tirunculum militem*, etc. Xiphil. LXIII, 10.

XXII. 1. *Equorum studio*, etc. Tacit. XIV, 14, « Vetus illi cura erat, curriculo quadrigarum insistere. » Coll. XIII, 3; Xiphil. LXI, 6.

2. *Prasinum agitatorem.* Cf. ad Calig. 55, de quatuor aurigarum factionibus.

3. *Eo die... adfuturum;* in Urbe e secessu suburbano.

quare spectaculum multiplicatis missibus in serum protrahebatur, ne dominis quidem jam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum, greges ducere [4]. Mox et ipse aurigare [5], atque etiam spectari sæpius voluit: positoque in hortis inter servitia et sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in Circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam [6], unde magistratus solent. Nec contentus harum artium experimenta Romæ dedisse, Achaiam, ut diximus, petit [7], hinc maxime motus. Instituerant civitates, apud quas musici agones edi solent, omnes citharœdorum coronas [8] ad ipsum mittere. Eas adeo grate recipiebat, ut legatos, qui pertulissent, non modo primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis

4. *Greges ducere*. Dubitant, de aurigisne intelligant *greges*, an de equis. Puto, de utrisque. Domini factionum locare nolebant ludos edentibus juga sua cum aurigis, nisi in totum diem, quoniam multiplicatis missibus huic lucro jam erant assueti.

5. *Mox et ipse aurigare*, etc. Tacit. Annal. XIV, 14, « Clausum valle Vaticana spatium, in quo equos regeret, haud promiscuo spectaculo. Mox ultro vocari populus Romanus, laudibusque extollere, ut est vulgus cupiens voluptatum, et, si eodem Princeps trahat, lætum. Ceterum evulgatus pudor, non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit, etc. » Ita XV, 44, dicitur « habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo insistens. » Conf. Xiphil. LXII, 15. Turpis ille Narcissus apud Racine, *Britannicus*, act. IV, sc. 4, ut cum Agrippina Burrhum et Senecam in odium adducat, talia de Principe ab iis publice jactari fingit:

Pour toute ambition, pour vertu singulière,
Il excelle à conduire un char dans la carrière;
A disputer des prix indignes de ses mains;
A se donner lui-même en spectacle aux Romains;
A venir prodiguer sa voix sur un théâtre;
A réciter des chants qu'il veut qu'on idolâtre;
Tandis que des soldats, de momens en momens,
Vont arracher pour lui des applaudissemens.

Posterius hoc Tacit., Annal. XVI, 5, ubi milites « per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore, aut silentio segni præteriret. »

6. *Aliquo liberto mittente mappam*; h. e. mappa signum dante, cursum incipiendi vel mittendi juga e carcere. Cf. Panvin. de Ludis Circens. I, 14 (Thes. Græv. tom. IX, p. 166 seq.); Bulenger. de Circo Rom. cap. 16 (ibid. pag. 629 seq.).

7. *Achaiam... petit*; ann. 819. Conf. Xiphil. LXIII, 8.

8. *Omnes citharœdorum coronas*. Vide ad cap. 25.

interponeret. A quibusdam ex his rogatus, ut cantaret super cœnam, exceptusque effusius, « Solos scire audire Græcos, solosque se et studiis suis dignos, » ait. Nec profectione dilata, ut primum Cassiopen[9] trajecit, statim ad aram Jovis Cassii cantare auspicatus est.

XXIII. Certamina deinceps obiit omnia[1]. Nam et quæ diversissimorum temporum sunt, cogi in unum annum, quibusdam etiam iteratis, jussit; et Olympiæ quoque præter consuetudinem[2] musicum agona commisit. Ac, ne quid circa hæc occupatum avocaret detineretve, quum præsentia ejus urbicas res egere a liberto Helio admoneretur[3], rescripsit his verbis, « Quamvis nunc tuum consilium sit et votum, celeriter reverti me; tamen suadere et optare potius debes, ut Nerone dignus revertar[4]. » Cantante eo, ne necessaria quidem causa excedere theatro licitum erat. Itaque et enixæ quædam in spectaculis di-

9. *Cassiopen;* insulæ Corcyræ oppidum, cujus meminit Plin. Hist. Nat. IV, 12 (19), cum templo Jovis Cassii. Alii Cassiopen Epiri intelligunt, ubi an Jovis Cassii cultus fuerit, jure dubitat Oudendorp. quem vide.

XXIII. 1. *Certamina deinceps obiit omnia.* Cf. Philostrat. Apollon. IV, 8, et Xiphil. LXIII, 10, ubi Reimarum, cujus hæc verba referam: « Acta hæc sunt ann. 820, Christ. 67. Unde quum Olympias CCXI anno Christ. 65 celebranda fuisset, nunc dilata Neronis jussu in hunc annum, inter ἀνολυμπιάδας relata, et in libris Eleorum præterita est, ut testatur, præter Philostratum, Pausanias, X, 36, pag. 892, Hieronymus item et Eusebius in Chronicis. » Errat igitur Facius, qui ad Pausaniæ l. c. *incuria* hanc Olympiadem in Eleorum tabulis omissam putat.

2. *Præter consuetudinem.* Vide Philostr. V, 2, et Lucian. Neron. cap. 9, ubi interpr. ut et Olear. ad Philostr. et Reimar. ad Xiphil. loc. cit.

3. *Quum... a liberto Helio admoneretur.* Cf. Xiphil. LXIII, 12, 18 et 19. Quum frustra sæpe Neronem Helius de conjuratione urbica per literas monuisset, tandem in Græciam ad eum ipse venire coactus est. De hoc *Helio* etiam Tacit. Annal. XIII, 1; et Hist. I, 37, ubi miror, magnum Lipsium nostri loci non meminisse.

4. *Ut Nerone dignus revertar.* Juvenal. Sat. VIII, 224,

Hæc opera atque hæ sunt generosi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui, Graiæque apium meruisse coronæ.

cuntur, et multi tædio audiendi[5] laudandique, clausis oppidorum portis, aut furtim desiluisse de muro, aut morte simulata funere elati. Quam autem trepide anxieque certaverit[6], quanta adversariorum æmulatione, quo metu judicum, vix credi potest. Adversarios, quasi plane conditionis ejusdem, observare, captare, infamare secreto, nonnunquam ex occursu maledictis incessere, ac si qui arte præcellerent, corrumpere etiam solebat. Judices autem, prius quam inciperet, reverentissime alloquebatur, « Omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse Fortunæ: illos, ut sapientes et doctos viros, fortuita debere excludere: » atque, ut auderet, hortantibus, æquiore animo recedebat; ac ne sic quidem sine sollicitudine, taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia[7] et malignitate arguens, suspectosque sibi dicens.

XXIV. In certando vero ita legi obediebat[1], ut nunquam exscreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret: atque etiam in tragico quodam actu, quum elapsum baculum[2] cito resumsisset, pavidus et metuens,

5. *Itaque... et multi tædio audiendi*, etc. Conf. Tacit. XVI, 5: « Sed qui remotis e municipiis, severamque adhuc et antiqui moris retinentes Italiam, quique, per longas provincias, lasciviæ inexperti, officio legationum aut privata utilitate, advenerant, neque adspectum illum tolerare, neque labori inhonesto sufficere... Constitit, plerosque equitum, dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur, obtritos, et alios, dum diem noctemque sedilibus continuant, morbo exitiali correptos. » — *Aut... funere elati.* Vide Xiphil. LXIII, 15.

6. *Quam... trepide anxieque certaverit*, etc. Vide ad c. 21. Tacit. Annal. XVI, 4, « Postremo flexus genu, et cœtum illum manu veneratus, sententias judicum opperiebatur ficto pavore. »

7. *Pro tristitia*, iniquitate, acerbitate, quam in judicando præferrent.

XXIV. 1. *Ita legi obediebat*, etc. Tacit. XVI, 4, « ingreditur theatrum, cunctis citharæ legibus obtemperans: ne fessus resideret; ne sudorem nisi ea, quam indutui gerebat, veste detergeret; ut nulla oris aut narium excrementa viserentur. »

2. *Baculum*. Intelligo *sceptrum* cum aliis, quoniam de *tragico actu*

ne ob delictum certamine summoveretur, non aliter confirmatus est, quam adjurante hypocrita[3], non animadversum id inter exsultationes succlamationesque populi. Victorem autem se ipse pronunciabat; qua de causa et præconio ubique contendit[4]. Ac ne cujus alterius hieronicarum memoria aut vestigium exstaret usquam, subverti et unco trahi abjicique in latrinas omnium[5] statuas et imagines, imperavit. Aurigavit quoque plurifariam, Olympiis[6] vero etiam decemjugem; quamvis id ipsum in rege Mithridate carmine quodam suo reprehendisset. Sed excussus curru, ac rursus repositus, quum perdurare non posset, destitit ante decursum; neque eo secius coronatus est. Decedens deinde, provinciam universam libertate donavit[7]; simulque judices civitate Romana, et pecunia grandi[8]. Quæ beneficia e medio stadio, Isthmiorum die, sua ipse voce pronunciavit.

XXV. Reversus e Græcia Neapolin, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte

sermo, atque *baculum* de eo dici, Oudendorp. probat loco Flor. III, 19, 10, « ipse veste purpurea, *argenteoque baculo*, et regium in morem fronte redimita. » Ernest. baculum proprie intelligit, quem prodeuntes in scenam gestabant.

3. *Hypocrita*. Gronov. ad Liv. VII, 2, « Nero hic, quod in Caligulæ verbis (vide Calig. 54, « canendi ac saltandi, etc. ») *tragœdus* agit; *hypocrita*, quod *histrio*. *Tragœdus* canebat, id est, modulate pronunciabat; *histrio* vel *hypocrita* vel *pantomimus* saltabat et gesticulabatur, et præter hos aderat *tibicen*. »

4. *Et præconio ubique contendit*. Xiphil. LXIII, 14, *καὶ ἐκήρυττε*, ubi de præconum contentionibus de claritate vocis, vide, quos citavit Reimarus, maxime Fabrum, Agonist. II, 15.

5. *Subverti et unco trahi..... omnium statuas*, etc. Cf. Xiphil. LXIII, 8.

6. *Olympiis*, etc. Xiphil. LXIII, 14.

7. *Provinciam... libertate donavit*. Xiphil. LXIII, 11. Imitatus autem est T. Quinctium Flamininum, de quo vide Plutarch. Flamin. 12. Conf. Pausan. VII, 17, et vide Reimar. ad Xiphil. l. c.

8. *Simulque judices... et pecunia grandi*; Hellanodicas, de quibus vide Pausan. V, 9, et quos Reimar. excitavit ad Xiphil. LXIII, 9. Dedisse iis Neronem *πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας*, auctor idem, LXIII, 14.

muri [1], ut mos hieronicarum est. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed et Romam eo curru, quo Augustus olim triumphaverat, et in veste [2] purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympiacam, dextra manu Pythiam [3], præeunte pompa ceterarum [4] cum titulis, « ubi, » et « quos, quo cantionum, quove fabularum argumento vicisset; » sequentibus currum ovantium ritu plausoribus, « Augustianos, militesque se triumphi ejus, » [5] clamitantibus. Dehinc, diruto Circi maximi arcu [6], per Velabrum

XXV. 1. *Disjecta parte muri*, etc. Cf. Xiphil. LXIII, 20. Agones, quibus hic tribuebatur honor, dicti inde *iselastici*. Vide Bulenger. de Circo, cap. 55, et Fabr. Agonist. II, 10.

2. *Et in veste purpurea*. Non delendum judico voc. *veste* cum Lips. ad Tacit. Annal. XIV, 21, et Torrentio. *Vestis* est χιτών (Itali dicerent *la sottoveste*), cui superinduebatur χλαμύς (*la sopraveste*). Vide quæ de Commodo Xiphil. LXXII, 17. Haud recte Waltber. Observ. p. 25, vestem intelligi non posse censet, nisi in universum, cui tamen assentior, quum, chlamydem quoque purpuream fuisse, existimat.

3. *Coronamque..... Pythiam;* Olympiacam oleaginam, Pythiam lauream gerens. Ita diserte Xiphil. LXIII, 20.

4. *Præeunte pompa ceterarum*. Male al. *ceterorum*, et pejor transpositio Burmanni, « præeunte pompa cum ceterarum titulis, » quæ orationem claudam reddit et a sequentibus, quæ argumentum titulorum subjungunt, abhorrentem. *Ceterarum* intell. *coronarum*, ut *pompa coronarum* sit pompa coronas gestantium, sueto usu, de quo vide Oudend. De re Xiphil. loc. cit.

5. *Sequentibus... clamitantibus.* Cf. Xiphil. l. c. De *Augustianis* vide locum Xiphil. LXI, 20, indicatum supra c. 20, ad hæc Suetonii, *et quinque amplius millia*, etc. Adde Tacit. XIV, 15, « Tuncque primum conscripti sunt Equites Romani, cognomento *Augustanorum*, ætate ac robore conspicui, et pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ. Hi dies ac noctes plausibus personare, formam Principis vocemque Deum vocabulis appellantes: quasi per virtutem clari honoratique agere. »

6. *Diruto Circi maximi arcu;* quo latior triumphanti hieronicæ via pateret, non, quæ Grævii sententia est, probata ab Ernestio, ut arcus loco muri dirueretur, cui, ut sacro, parcere vellet. Non percisse muris, diserte testatur Xiphilinus loco supra citato, neque negare videtur Noster verbis, *Simili modo*, etc., ut monuit jam Oudend. De *Circo maximo* vide Nardin. Rom. Vet. VII, 1 et 2. De *Velabro* dictum ad Cæs. 37. Mox *Apollinem* nescio cur Ernest. in-

Forumque, Palatium et Apollinem petiit. Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem [7] croco, ingestæque aves, ac lemnisci, et bellaria [8]. Sacras coronas in cubiculis circum lectos [9] posuit: item statuas suas citharœdico habitu; qua nota etiam nummum percussit. Ac post hæc tantum abfuit a remittendo laxandoque studio, ut conservandæ vocis gratia, neque milites unquam, nisi absens, aut alio verba pronunciante, [10] appellarit;

tellexerit *Capitolinum*. Imo *Palatium et Apollinem* est « montem Palatinum templumque Apollinis in eo monte situm, » quem petebat, quoniam artium, non belli, erat victoria. De *Apolline Palatino* cf. ad August. 29, et Nardin. loc. cit. VI, 14.

7. *Sparso... croco;* pro suffimento. Cf. Dalechamp. ad Plin. Hist. Nat. XXI, 6 (17).

8. *Ingestæque... et bellaria*. De more, in victores coronas, lemniscos, idque genus alia honoris causa jaciendi, doctissime ad h. l. disseruit Casaubonus. Stomachum movit interpretibus voc. *aves*. Grævius mutare voluit in *flores;* Oudendorp. in corruptis verbis vocem *ave* latere existimavit. Cantus, de quo triumphabat Nero, symbolum in avibus pro sacrificio injectis fuisse puto, quo fere redit etiam Perizonii sententia. Pro *ingestæque*, malim *injectæque*, nisi in illo oblati sacrificii magis est notio. De *lemniscis* vide Plin. Hist. Nat. XXI, 3 (4), et interpretes ad hunc locum; Argol. ad Panvin. de Ludis Circens. I, 16 (Thes. Græv. tom. IX, pag. 201); et quos alios citavit Pitiscus.

9. *In cubiculis circum lectos*. Ita Memm. aliique, quos recenset Oudend. Vulgo: « in *cubili* circum lectos. » Xiphil. LXIII, 21, relatas a Nerone octingentas et octo super mille coronas fuisse ab illo in Circo appensas Ægyptiaco obelisco scribit, unde Loens. Epiph. III, 7, apud Sueton. emendandum duxit, « Sacras coronas in *obeliscum Circi injectas* posuit, » probante Reimaro ad l. c.; Vossius, « in *obeliscis Circi collectas;* » Burmann. « in *cubiculo Circi fixas* posuit, » intelligens cubiculum Principis, quod in spectaculis publicis habebat. Assentior Ernestio, qui ad morem provocat, spolia donaque in cubiculis suspendendi, et imagines carissimorum hominum ibidem constituendi, comparans Virgil. Æn. IV, 495 et 647; Nostr. Calig. 7. Quod ad Xiphilinum attinet, vel aliæ coronæ obelisco impositæ sunt, fortasse e Græcia allatæ, aliæ, Romæ nunc oblatæ, de quibus proxime, in cubiculis suspensæ, vel omnes e Circo postea in Cæsaris ædes translatæ sunt.

10. *Ut... nisi absens... appellarit;* ut nisi per aliquem, absente se, milites allocutus sit. *Appellarit* pro *appellaret* scripsimus, ob sequentia *egerit*, *obtulerit*, *indixerit*. De

neque quicquam serio jocove egerit, nisi adstante phonasco, qui moneret, parceret arteriis, ac sudarium ad os applicaret; multisque vel amicitiam suam obtulerit, vel simultatem indixerit, prout quisque se magis parciusve laudasset[11].

XXVI. Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem, sensim quidem primo et occulte, et velut juvenili errore, exercuit[1]: sed ut tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia, non ætatis esse. Post crepusculum statim[2], arrepto pileo vel galero, popinas

phonasco vide ad August. cap. 84.

11. *Multisque... prout quisque se... laudasset.* Cf. Xiphil. LXIII, 15. Incurrisse in ejus odium ob negatum voci sacræ honorem Thraseam, auctor idem, LXII, 26.

XXVI. 1. *Petulantiam... exercuit.* De *petulantia* hoc capite agit; cap. 27, 30 et 31, de *luxuria;* postea inserit cap. 28 et 29 de *libidine*, quæ conjuncta esse solet cum luxuria; inde transit c. 32 ad ortam ex eadem *avaritiam;* a capite 33, de *crudelitate* exponere incipit. Verbis *sensim quidem primo* respondet initium cap. sequentis, *Paulatim vero,* etc. Ceterum damnanda, quam contra omnes libros Ernestius intulit et Bipontini receperunt, mutatio verbi *exercuit* in *exseruit* ex loco Tiber. 33, « Paulatim Principem *exseruit.* » Res prorsus diversa. Vim, vitium, virtutem, potestatem *exerceo;* rem, vel membrum, vel personam, absconditam antea et tectam, *exsero,* quod valet Tiberii locus, ubi *Principem exserere est personam Principis exserere.* Cf. ibi not. Fefellit Ernestium, ut alios, significatio particulæ *sensim,* h. e. *lente, tarde.* Ita Tiber. 11, « *sensim* regressus domum, » et cap. 44, « lingua morsuque *sensim* appetentes. » Opponitur *subito, repente,* et, quod est capite proximo, « ad majora *palam erupit.* » Nisi certa hæc esset vocis vis, cogitare aliquis posset de verborum transpositione, « sensim, et primo quidem occulte... exercuit. » Sed bene se habent verba auctoris. De sensim crescentibus Neronis vitiis vide Xiphil. LXI, 4; coll. Tacit. Annal. XIII, 2.

2. *Post crepusculum statim.* Tacit. XIII, 25 (ad ann. 810): « Nero itinera Urbis et lupanaria et diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus, pererrabat, comitantibus, qui raperent venditioni exposita, et obviis vulnera inferrent, adversus ignaros adeo, ut ipse quoque exciperet ictus, et ore præferret. Deinde, ubi, Cæsarem esse, qui grassaretur, pernotuit, augebanturque injuriæ adversus viros feminasque insignes, et quidam, permissa semel licentia sub nomine Neronis, inulti propriis cum globis eadem exercebant, in modum captivitatis nox agebatur. » Vide Xiphil. LXI, 8 et 9.

inibat; circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes a cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assueverat : tabernas [3] etiam effringere et expilare, [4] quintana domi constituta, ubi partæ et ad licitationem dividendæ prædæ pretium absumeretur [5]. Ac sæpe in ejusmodi rixis oculorum et vitæ periculum adiit, a quodam [6] laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus. Quare nunquam postea publico se illud horæ sine Tribunis commisit, procul et occulte subsequentibus [7]. Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in [8] theatrum, seditionibus pantomimorum ex parte proscenii superiori signifer simul ac spectator aderat. Et quum ad manus ventum esset, lapidibusque et subselliorum fragminibus decerneretur, multa et ipse jecit in populum, atque etiam Prætoris caput consauciavit.

3. *Tabernas.* Hoc recepimus cum Oudend. pro *tabernulas*, quum majorem Principis petulantiam significet, et Xiphilino conveniat.

4. *Quintana ;* quod nomen loco proprie erat in castris, ubi forum rerum utensilium. Vide Schel. ad Hygin. pag. 76, et viros doctos ad hunc locum.

5. *Ubi.... pretium absumeretur ;* i. e. prodigeretur epulis aliaque luxuria. Ita e Memm. ediderunt Oudend. et Ernest. Vulg. *assumeretur*, quod vix idoneum sensum præbet. Quod Torrent. et Grævius suasere *divendendæ* pro *dividendæ*, id si in textu reperiretur, pro glossemate habendum esset, ut Cæs. cap. 54.

6. *A quodam laticlavio*, etc. Tacit. l. c. « Julius Montanus, senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum Principe, quia vi attentantem acriter repulerat, deinde agnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. » Cf. Xiphil. LXI, 9, qui minus accurate βουλευτὴν dicit. Vide de voc. *laticlavius* Lips. ad Tacit. l. c. coll. August. cap. 38.

7. *Sine Tribunis... subsequentibus.* Tacit. « Nero autem, metuentior in posterum, milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica et quasi privata sinerent; si a læsis validius ageretur, arma inferrent. »

8. *Delatus in theatrum*, etc. Tacit. « Ludicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in prælia convertit impunitate et præmiis, atque ipse occultus et plerumque coram prospectans. » Cf. Xiphil. LXI, 8. Mox al. *decertaretur* pro *decerneretur*, inutili mutatione.

XXVII. Paulatim vero invalescentibus vitiis [1], jocularia et latebras omisit, nullaque dissimulandi cura ad majora palam erupit. Epulas a medio die [2] ad mediam noctem protrahebat, refotus sæpius calidis piscinis [3], ac tempore æstivo nivatis: cœnitabatque nonnunquam et in publico [4], Naumachia præclusa [5], vel Martio campo, vel Circo maximo, inter scortorum totius Urbis ambubaiarumque [6] ministeria. Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Baianum sinum præternavigaret, dispositæ per litora et ripas deversoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ et matronarum, institorias operas imitantium, at-

XXVII. 1. *Paulatim vero invalescentibus vitiis*, etc. Agrippina apud Racine, *Britannicus*, act. I, scen. 1:

Tout ce que j'ai prédit n'est que trop assuré:
Contre Britannicus Néron s'est déclaré.
L'impatient Néron cesse de se contraindre:
Las de se faire aimer, il veut se faire craindre.
Britannicus le gène, Albine; et chaque jour
Je sens que je deviens importune à mon tour.

Act. III, sc. 2, hæc et Burrhus:

Enfin, Burrhus, Néron découvre son génie:
Cette férocité que tu croyais fléchir
De tes faibles liens est prête à s'affranchir.
En quels excès peut-être elle va se répandre!

2. *A medio die*. Hæc sunt *tempestiva convivia*, sive *de die* incepta, de quibus dictum ad Calig. 45.

3. *Calidis piscinis;* balineis. Ita Plin. Epist. II, 17, 11, « Cohæret *calida piscina* mirifice, ex qua natantes mare adspiciunt. » Idem V, 6, 25, « Si natare latius aut tepidius velis, in area *piscina* est, etc. »

4. *Cœnitabatque... et in publico*. Tacit. Annal. XV, 37, « Ipse, quo fidem acquireret, nihil usquam perinde lætum sibi, publicis locis struere convivia, totaque Urbe quasi domo uti. »

5. *Naumachia præclusa*. Naumachiam dicit, de qua vide ad August. 43, et Tiber. 72. Cf. omnino Xiphil. LXI, 20, quem de *præclusa* Naumachia vide LXVI, 25, ubi de navali prælio, a Tito in *veteri Naumachia*, h. e. eodem loco, quo Augustus et Nero dederant, exhibito sermo est.

6. *Ambubaiarumque*. Cf. interpr. ad Horat. Sat. I, 2, 1, et Casaub. ad hunc locum. Tacit. Annal. XIV, 15, « exstructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula et cauponæ et posita veno irritamenta luxus. » —Epicharis apud Legouvé, *Épicharis et Néron*, act. I, sc. 1, de cœnarum istarum licentia:

Ah! fuyons ce festin,
Cette fête insolente, où Néron et Poppée,
Au milieu d'une cour à leur plaire occupée,
Dont la bassesse obscène imite leurs fureurs,
De la plus vile orgie étalent les horreurs.
C'est peu que les tributs de la terre et de l'onde
Offrent un luxe vain, payé des pleurs du monde:
La carrière est ouverte aux plus honteux excès.
La danse et tous les arts, briguant de vils succès,
De leurs jeux effrontés déployant l'indécence,
Par des tableaux impurs appellent la licence.

que hinc inde hortantium, ut appelleret[7]. Indicebat et familiaribus cœnas, quorum uni mellita quadragies sestertio constitit, alteri pluris aliquanto absorptio [8] rosaria.

XXVIII. Super ingenuorum pædagogia[1], et nuptarum

7. *Deversoriæ... appelleret.* Restituimus veterem lectionem *institorias operas imitantium*, pro qua post Turneb. Advers. XXIV, 6, plerique dederunt «*institorio copas* imitantium.» Lips. ad Tacit. Annal. XV, 37, adstipulante Torrentio, suadet, «matronarum *institoria*, *copas* imitantium.» Oudend. probat Aldinam lectionem, *institorum loco passim invitantium*, quam miror placuisse etiam summis viris, Ruhnkenio et Wolfio, quum tautologiam pariat, sequentibus *atque hinc inde hortantium*, etc. Reliquam lectionum et conjecturarum varietatem vide apud Burm. et Oudend. Ut et ipsi aliquam symbolam afferamus, quum maxime offendat verbum *parabantur*, ineptum ob præcedens *dispositæ*, suademus *parebant*, h. e. apparebant, ut August. 95, *jecinora replicata... paruerunt;* Vespas. 4, *quantum eventu postea paruit;* et locum ita constituimus: «dispositæ per litora et ripas deversoriæ tabernæ *parebant*, insignes *ganeæ* et (h. e. etiam) matronarum, institorias operas imitantium, etc.» Ceterum, cf. Tacit. Annal. XV, 37: «Crepidinibus stagni lupanaria adstabant, illustribus feminis completa. Contra scorta *visebantur*, nudis corporibus. Jam gestus motusque obscœni, et, postquam tenebræ incedebant, quantum juxta nemoris et circumjecta tecta, consonare cantu et luminibus clarescere.»

8. *Quorum uni mellita... absorptio rosaria.* Infinitæ fere de hoc loco virorum doctorum sunt sententiæ, quas hic recensere non attinet. Receperunt fere lectionem *mitellita* pro *mellita*, secuti Salmasii interpretationem (Exercit. Plin. p. 392) de *mitellis* h. e. parvis mitris seu coronis in nepotum conviviis maximo cum sumtu distributis, fultam loco Plin. XXI, 3. Alia difficultas in voc. *absortio*, quomodo vulgo legitur, quod et ipsum in mirificas formas abiit, quarum indicem vide apud Burm. et Oudend., sed a Memm. aliisque Codd. prorsus abest. Equidem, quamquam in re nullius momenti cum reliquis cæcutire non pudet (quis enim hodie cupediarum nomina omnia norit, in Germanis nostrisque culinis inventa?), satius tamen duximus, reddere, quæ facillimum sensum præbent, quam incertas interpretationes sequi. Dedimus igitur *mellita*, quod in multis est Codd. et postea *absorptio*, quoniam de aliquo ferculo, quod toti cœnæ nomen dedit, sermonem esse patet, ita ut *absorptio* etiam ad prius voc. *mellita* referatur: «Uni *mellita absorptio* quadragies sestertio constitit; alteri *rosaria* vel potius *rosacea* h. e. aqua rosacea condita pluris aliquanto.» Quum tamen voc. *absorptio* in optimis libris desit, puto excidisse priori loco post *mellita*, atque postea e margine, ubi notaverat aliquis in aliis inventum, alienum locum occupasse. De insano luxu cf. Vitell. 13.

XXVIII. 1. *Ingenuorum pædago-*

concubinatus, Vestali virgini Rubriæ vim intulit. Acten libertam [2], paulum abfuit, quin justo matrimonio sibi conjungeret, summissis consularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent. Puerum Sporum [3], exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus, cum dote et flammeo [4], per sollemne nuptiarum [5], celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit. Exstatque cujusdam non inscitus jocus, « Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset

gia. Pædagogia h. l. nihil aliud esse possunt, quam loca, ubi pueri alebantur, non educationis causa (quo sensu dicuntur Plin. Epist. VII, 27, 13, « puer in *pædagogio* mistus pluribus dormiebat, » ubi vide Gierig.), sed stupri, ac *ingenui* quidem pro exoletis. Ita *οἰκήματα* et *οἰκήσεις* Atticis sæpe sunt pro *πορνείοις*. Vide quos Ernest. citavit ad Xen. Memor. II, 2, 4. Turpi quidem sensu hic dici patet ex eo, quod respondet *concubinatus*. Aliis locis *pædagogia* sunt pueri ipsi, quod hic valere non potest ob genitiv. *ingenuorum*, et additum *et nuptarum concubinatus*. Lips. ad Tacit. XV, 69, in Excursu, et qui eum exscripsit, Torrentius, loca, ubi utraque significatio valet, haud satis distinxerunt. Egnatius legendum duxit *proagogia* a *προάγειν*, *perducere*, quæ quidem verba de stupro dici constat. Sed non opus est ea mutatione. Ceterum, temere intrudere voluit voc. *pædagogia* loco Tacit. Hist. I, 22, Gronovius.

2. *Acten libertam*, etc. Cf. Xiphil. LXI, 7, ubi plura de ea Reimarus; Tac. Annal. XIII, 12, et XIV, 2.— Pro *pejerarent*, Broukhus. et Burm. suaserunt *dejerarent*, Oudend. *pejerarunt*. Potuisset ita scribere auctor; sed cur mutanda vulgata lectio, quæ optimum sensum præbet, voluisse Neronem, jurare illos, et falsam rem jurandam fuisse, quum omnes libri in ea consentiant?

3. *Puerum Sporum*, etc. Vide Xiphil. LXIII, 13. Eidem *Sabinæ* nomen dedit, quam amicam deperierat. Xiphil. LXII, 28. Cf. Zonar. et Suidas. De nuptiis cum *Pythagora*, cui Nero pro uxore, dicemus ad cap. 29, ubi de *Doryphoro* Noster.

4. *Et flammeo;* h. e. velo luteo, quo nuptæ caput operiebatur: vide Rosin. Ant. Rom. V, 37, p. 427, et Dempster. ad eumdem p. 435.

5. *Per sollemne nuptiarum.* Ita edidimus cum Casaub. et Gronov. ex altero Codice. Oudendorp. et Ernest. in edit. secunda, ex aliis, « per *sollemnia* nuptiarum, » ac difficilis inter duas lectiones æque bonas optio. Corrupta est vulg. *per sollemni*, et inepta, sive ad *flammeo* referas, sive ad *officio*, cui est jam suum epitheton *celeberrimo*. *Sollemne nuptiarum* omnes ritus complectitur, in nuptiis observari solitos, quo *dos* etiam pertinet et *flammeum; officium celeberrimum* sunt homines, qui officii sive honoris causa pompam nuptialem ipsasque nuptias obibant.

uxorem. » Hunc Sporum, Augustarum ornamentis excultum, lecticaque vectum, et circa conventus[6] mercatusque Græciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria, comitatus est, identidem exosculans. Nam matris concubitum appetisse[7], et ab obtrectatoribus ejus, ne ferox atque impotens mulier et hoc genere gratiæ prævaleret, deterritum, nemo dubitavit : utique postquam meretricem, quam fama erat Agrippinæ simillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam, quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum inceste, ac maculis vestis proditum, affirmant.

XXIX. Suam quidem pudicitiam usque adeo prostituit, ut contaminatis pæne omnibus membris, novissime quasi genus lusus excogitaret, quo feræ pelle contectus[1] emitteretur e cavea, virorumque ac feminarum ad stipitem deligatorum inguina invaderet; et quum affatim desævisset, conficeretur a Doryphoro liberto[2]: cui etiam, sicut

6. *Et circa conventus*. Oudend. mallet *circum*, quod dici solere, ubi ab uno loco deinceps ad alium pergitur, docent exempla ab eo allata. Sed *circa* etiam ita occurrit. Liv. I, 9, « Romulus legatos *circa* vicinas gentes misit. » XLII, 51, « literis *circa* præfectos dimissis. » Plura exempla dat Schellerus in Lexico in *circa*, haud omnia tamen ejusdem generis. De *conventibus* dictum ad Cæs. 7; de *Sigillaribus*, festo Saturnalibus proximo, ad Claud. 5, et loco ejusdem nominis, qui hic etiam intelligendus, ad Claud. 16.

7. *Nam matris concubitum appetisse*, etc. Xiphil. LXI, 11, Agrippinam ipsam filium, ut antea patruum Claudium, omnibus artibus muliebribus ad libidinem tentasse dicit, ut voluntati obedientem haberet; « et fama huc inclinat; » (quæ Taciti verba sunt, Annal. XIV, 2) « seu concepit animo tantum immanitatis Agrippina, seu credibilior novæ libidinis meditatio in ea visa est, quæ, puellaribus annis, stuprum cum Lepido, spe dominationis, admiserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta, et exercita ad omne flagitium patrui nuptiis. »

XXIX. 1. *Quo feræ pelle contectus*, etc. Conf. Xiphil. LXIII, 13; Aurel. Victor, Cæs. 5.

2. *A Doryphoro liberto. Doryphorum* memorant Xiphil. LXI, 5, et Tacit. Annal. XIV, 65, ubi, « Eodem anno (816) libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est; *Doryphorum*, quasi adversatum nuptiis Poppææ; Pallantem, quod immensam pecuniam

ipsi Sporus, ita ipse denupsit, voces quoque et ejulatus vim patientium virginum imitatus. Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominem[3] pudicum, aut ulla corporis parte purum esse; verum plerosque dissimulare vitium, et callide obtegere: ideoque professis apud se obscœnitatem cetera quoque concessisse delicta.

XXX. Divitiarum et pecuniæ fructum non alium putabat, quam profusionem: sordidos[1] ac deparcos esse, quibus impensarum ratio constaret; prælautos vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent. Laudabat mirabaturque avunculum Caium[2] nullo magis nomine, quam quod ingentes a Tiberio relictas opes in brevi spatio prodegisset. Quare nec largiendi nec absumendi modum tenuit. In Tiridaten[3], quod vix credibile videatur,

longa senecta detineret.» Denupsisse autem iidem dicunt Neronem non *Doryphoro*, sed *Pythagoræ*; Tacit. Annal. XV, 37 («Ipse, per licita atque illicita fœdatus, nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen *Pythagoræ* fuit, in modum sollemnium conjugiorum denupsisset. Inditum Imperatori flammeum; visi Auspices, dos et genialis torus, et faces nuptiales; cuncta denique spectata, quæ etiam in femina nox operit.») et Xiph. LXIII, 13, (quem locum supra indicavimus ad cap. 28), coll. LXII, 28. Tacitum exscripsit Sulpic. Sev. Hist. Sacr. II, 28. Binominisne fœdus homo fuerit, an successerit Doryphoro in libidinosa opera Pythagoras, an erraverit in nomine Suetonius (triplicem enim hanc viam inierunt viri docti; cf. interpr. ad Tacit. et Reimar. ad Xiphil. locos cit.), ego non definio.

3. *Neminem hominem*. Memm. *hominum*. Mox *callide* primum e MSS. dedit Ernest. pro vulg. *calliditate*.—*Concessisse* est *condonasse*, *ignovisse*. Vide Oudend. et Ernest.

XXX. 1. *Sordidos*; μικρόφρονας, quo vocab. utitur Xiphil. LXI, 5, ubi vide Reimar. de hoc et cognatis docte disserentem. Horat. Sat. I, 2, 10,

Sordidus atque *animi* quod *parvi* nolit haberi.

Sordido ex ipsa etymologiæ ratione opponitur *prælautus*, uti *deparco magnificus*. *Sordidum* ad literam reddit vocab. Gall. *crasseux*.

2. *Laudabat...avunculum Caium*, etc. Vide Calig. 37. De Nerone Tacit. Hist. I, 20, «Bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat.» Cf. Lips. Admir. II, 14.

3. *In Tiridaten*, etc. Vide su-

octingena nummum millia diurna erogavit[4], abeuntique super sestertium millies contulit. Menecraten[5] citharœdum et Spiculum mirmillonem triumphalium virorum patrimoniis ædibusque donavit. Cercopithecum Panerotem, feneratorem[6], et urbanis rusticisque prædiis locupletatum, prope regio extulit funere. Nullam vestem bis induit. Quadringenis[7] in punctum sestertiis aleam lusit. Piscatus est rete aurato[8], purpura coccoque funibus nexis. Nunquam minus mille carrucis[9] fecisse iter tra-

pra, cap. 13; Xiphil. LXIII, 2—6.

4. *Octingena nummum millia... erogavit.* Cf. Xiphil. LXIII, 2. — *Super sestertium millies contulit.* Xiphil. LXIII, 6, dona πεντακισχιλίων μυριάδων ἄξια dedisse ait, quod esset *bis millies*, ut observavit jam Lips. l. c., cui nescio cur contradicat Oudendorp.

5. *Menecraten*, etc. Xiphil. LXIII, 1. Hunc Menecraten cum Musonio colloquentem inducit auctor dialogi, qui *Nero* inscribitur, Pseudo-Lucianus. — *Et Spiculum mirmillonem;* de quo Plutarch. Galb. 8. In libris Suetonii nomen varie est corruptum.

6. *Cercopithecum Panerotem, feneratorem*, etc. Varie urgent *feneratorem*. Torrent. suadet, « Cercopithecum, *Panerotis feneratoris*, urbanis, etc. » Gronov. pater, *venatorem*, filius *funeratorem*. Illi accedit Ernest., quem jure etiam offendit *et* ante *urbanis*. Cum Oudendorp. existimo, excidisse aliquid post *et*, vel ita suadeo, « Cercopithecum *feneratione*, et Panerotem, urbanis rusticisque prædiis locupletatum, etc. » Ita removetur difficultas in duplici nomine hærens, removetur fenerator, qui, vix scias, unde huc veniat, et copula *et* habet, quo pertineat. Nempe uterque, Cercopithecus et Paneros, liberti erant, diversis artibus, favente Nerone, locupletati, et post mortem regie elati.

7. *Quadringenis.* Intelligo cum Oudend. *Sestertia*, non *Sestertios*, qui nimis exiguam pro Neronis profusione efficerent summam. Sunt tamen, qui legant *Quadrigenis* et *Quadragenis*, sollemni numerorum depravatione, h. l. faciliore, ubi summæ magnitudo offendebat pauperes librarios. Ceterum confer parcimoniam Augusti, c. 71. *Punctum;* Gallice *le coup*. Ita nos, « mettre « quarante ou cinquante louis sur « une carte. »

8. *Piscatus est rete aurato*, etc. Oros. VII, 7, « Luxuriæ tam effrenatæ fuit, ut retibus aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur. » Cf. Eutrop. VII, 9, qui *blatteos* funes dicit, quod et ipsum est *purpureos*. Qui non ceperunt ablativum *rete*, quem defendit Oudend., scripserunt *reti*, vel *veste*, ut Memm., unde conjicit Salmasius *reste*.

9. *Nunquam minus mille carrucis*, etc. Lamprid. Elagab. 31, « Im-

ditur, soleis mularum argenteis[10], canusinatis[11] mulionibus, armillata et phalerata cum Mazacum turba[12] atque cursorum.

XXXI. Non in alia re tamen damnosior[1], quam in ædificando. Domum a Palatio Esquilias usque[2] fecit, quam primo *Transitoriam*, mox, incendio [3]absumtam, restitutamque, *Auream* nominavit. De cujus spatio atque cultu suffecerit hæc retulisse. Vestibulum[4] ejus fuit, in quo Colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie;

perator etiam sexcenta dicitur vehicula duxisse, asserens decem millibus camelorum Persarum regem iter facere, et Neronem *quingentis* carrucis iter inisse. »

10. *Soleis mularum argenteis.* Vide Casaub. ad hunc locum; Reimar. ad Xiphil. LXII, 28. Plinius, Hist. Nat. XXXIII, 11 (49), « Nostra ætate Poppæa, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis suis *soleas ex auro* quoque induere. »

11. *Canusinatis;* h. e. indutis vestibus, e lana Canusina factis, cui, teste Plinio, VIII, 48 (73), summa nobilitas. *Canusium* Apuliæ erat oppidum.

12. *Cum Mazacum turba. Mazaces* vel *Mazices* Mauritaniæ populus, quorum equi e nobilissimis. *Phalerati* autem *cursores* dicuntur etiam Petron. cap. 28.

XXXI. 1. *Damnosior;* sumtuosior. *Tamen* abest in vulg.

2. *Domum a Palatio Esquilias usque*, etc. Tacit. Annal. XV, 39, domum dicit, « qua Palatium et Mæcenatis hortos continuaverat. » Horti enim Mæcenatiani in Esquiliis erant. Cf. Martial. Epigr. I, 2.

3. *Incendio absumtam.* Tacit. Annal. l. c. « Neque tamen sisti potuit ignis, quin et Palatium et domus et cuncta circum haurirentur. » De domo Neronis *Aurea* vide Martian. IV, 18 (quem enim locum Piscus excitavit, V, 12, de *Thermis* agit Neronis, de quibus vide supra cap. 12); Donat. III, 5; Nardin. III, 13; et ab illis citatos. Ea Urbem totam cinctam fuisse, narrat Plin. H. N. XXXVI, 15 (c. 24, 5). Vide Tac. nost. ed. t. IV, p. 527. Ed.

4. *Vestibulum.* Oudend. mallet *Vestibulo*, vel *Vestibuli*, ut referatur ad *tanta laxitas*, injuria. Recte Walther. Observ. pag. 25, monet, post *tanta laxitas* supplendum ex anteced. *ejus fuit*. Præterea *Vestibulum ejus fuit, in quo*, etc. est: « Vestibulum ejus *tantum fuit, ut in eo* Colossus.... staret, h. e. stare posset. » Jam sequitur: ejusdem domus tanta laxitas, etc. Sane brevitas contortam nonnunquam reddit Suetonii orationem. — *Colossus.* Plinius, XXXIV, 7 (18), a Zenodoro factum scribit, CX pedum longitudine (nisi error est in numero), et « dicatum Solis venerationi. » *Sidereum Colossum* Martialis dicit loc. cit. Plura de illo dederunt Donat. l. c. et Reimar. ad Xiphil. LXVI, 15.

tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias[5] haberet; item stagnum[6] maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem; rura insuper[7], arvis atque vinetis, et pascuis silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes[8] laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineæ marinis et Albulis fluentes aquis[9]. Ejusmodi domum quum absolutam dedicaret[10], hactenus comprobavit, ut, « se, » diceret, « quasi hominem tandem habitare cœpisse. » Præterea inchoabat piscinam a Miseno ad Avernum lacum, contectam, porticibusque conclusam, quo, quicquid totis Baiis calidarum aquarum esset, converteretur: [11]fossam

5. *Ut porticus triplices milliarias*, etc. Tres intelligo porticus, sive columnarum ordines, latitudine, non longitudine sese excipientes, singulas per milliarium sive mille passus extensas.

6. *Item stagnum*, etc. Martial. loc. cit.

Hic, ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

7. *Rura insuper*, etc. Tacit. Annal. XV, 42, « Ceterum Nero usus est patriæ ruinis, exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna et in modum solitudinum hinc silvæ, inde aperta spatia et prospectus, magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare et viribus Principis illudere. »

8. *Cœnationes*, etc. Laquearia vel laqueata tecta erant, quæ nunc Gallico vocabulo dicimus *lambrissés*: ex tabulis enim ligneis fiebant, in varias figuras et mæandros sectis et cælatis. Quæ tabulæ *versatiles* ad hoc fuerunt, ut flores desuper spargerent, *fistulatæ* autem ad unguenta fundenda. Ceteræ hujus loci lectiones ineptæ.

9. *Albulis... aquis*. De his vide not. ad August. 82.

10. *Quum.... dedicaret;* hoc est quidem, ut Ernest. interpretatur, quum in eam commigrasset, eam habitare cœpisset. Non prætermittenda tamen ritus sacri, qui præcedere solebat, significatio.

11. *Fossam*, etc. Tacit. l. c. « Namque, ab lacu Averno navi-

ab Averno Ostiam usque, ut navibus, nec tamen mari, iretur, longitudinis per centum sexaginta millia; latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubique esset custodiæ, in Italiam deportari, etiam scelere convictos non nisi ad opus damnari, præceperat. Ad hunc impendiorum furorem, super fiduciam imperii, etiam spe quadam repentina immensarum et reconditarum opum impulsus est, ex indicio Equitis Romani[12], pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui parvula molientium opera.

XXXII. Verum ut spes fefellit, destitutus[1], atque ita jam exhaustus et egens, ut stipendia quoque militum, et commoda veteranorum, protrahi ac differri necesse esset, calumniis rapinisque intendit animum. Ante omnia instituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans ei cogeretur, qui[2] sine probabili causa eo no-

gabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros, promiserant, squalenti litore, aut per montes adversos. Neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes; cetera abrupta, aut arentia, ac, si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis causæ. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno juga connixus est, manentque vestigia irritæ spei. »

12. *Ex indicio Equitis Romani;* Cesellii Bassi. Vide Tacit. Annal. XVI, 1 seq.

XXXII. 1. *Destitutus;* inops auxilii, scil. ex eo ipso, quod *spes fefellit*. Vide etiam ad cap. 10. Ita Plin. Epist. IV, 11, 5, « fremebat Domitianus, æstuabatque ingenti invidia, *destitutus*, » h. e. si consilio vel spe excidisset. Conf. omnino Xiphil. LXI, 5.

2. *Ut... dextans ei cogeretur, qui*, etc. Prius dicendum de lectione, dein de sensu. Illa varie est corrupta; nam pro *dextante* in multis est *dodrans*, atque alii verba sic efferunt, *dextans cogeretur ei*, *qui*, etc. quod venire potuit ex male intellecto *ei*, quod ad sequens *qui* ineptissime retulerunt. Imo, si genuinus hic verborum est ordo, *ei* est pro *sibi*, quod non debebat offendere Grævium post locum Calig. 34 fin. ubi *præter eum* est pro *præ*

mine fuissent, quo essent ullæ familiæ, quas ipse contingeret: deinde, ut ingratorum in Principem [3] testamenta ad fiscum pertinerent: ac, ne impune esset studiosis juris [4], qui scripsissent vel dictassent ea: tum, ut lege majestatis facta dictaque omnia, quibus modo delator non deesset, tenerentur. Revocavit et præmia coronarum, quæ [5] unquam sibi in certaminibus civitates detu-

ter se. Cf. ibi not. Ceterum, quum oratio sic etiam clauda maneat et distorta, unice placere mihi fateor correctionem, quæ in mentem venerat prius, quam Lipsium eamdem protulisse comperissem, Codice etiam adjutam, « dextans cogeretur, *si* qui.... fuissent. » Sedes enim voc. *ei* in libris ita est varia, ut certe, quem locum jure teneat, decernere nequeas, ac, si genuinus esset ordo *cogeretur ei*, *qui*, cur ex *si* ortum esset, ex sequente *qui* facillime augureris. Alii etiam dederunt *ei*, *si qui*, quod receperunt Bipontini. Quæ si minus placent, suadeo transpositionem commatum hanc: « ut e libertorum defunctorum bonis, qui sine probabili causa eo nomine fuissent, quo... contingeret, pro semisse dextans ei (h. e. sibi) cogeretur. » Reliquam lectionis varietatem vide apud Burm. et Oudend. Quod ad rem attinet, vide, quæ de bonis et successione libertorum jurisconsulti ad Institut. III, 8 (Heinecc. Ant. Rom. part. II, pag. 42), et ad Digest. XXXVIII, 2, tum Fabric. ad Dion. LI, 15 fin. et interpretes, maxime Torrentius, ad h. l. Nimirum, quum libertorum, quibus liberi non essent, hereditas ex semisse antiquitus ad patronos pertineret, non modo ad dextantem eam Nero extendit, sed hereditatis etiam jure non suos modo libertos complexus est, sed, quibuscunque nomen ulla de causa esset, cum sua gente cognatum, ut Julium, Octavium, Claudium, Antonium, Domitium, etc.

3. *Deinde, ut ingratorum in Principem*, etc. Deleta volunt verba *in Principem*, qui de *libertis* adhuc dici existimant, in his Ernestius. Sed de *quibusvis ingratis* sermo, maxime, qui Principis nomen in testamentis sine honore prætermisissent (cf. Aug. 66; Calig. 38). Alias auctor vel repetiisset voc. *libertorum*, quod Wolf. monet, vel, quod gravius puto, non disjunxisset hoc comma a superiori, inserto *deinde, ut*, sed perrexisset, *ingratorum testamenta ad fiscum pertinerent*. Conf. etiam, quæ verissime disputat Bremius.

4. *Studiosis juris*; jurisconsultis. Gell. XII, 13, « Cur hoc me potius rogas, quam ex istis aliquem *peritis studiosisque juris*, quos adhibere in consilium judicaturi soletis, » ubi vide interpr. Ibidem eadem corruptela voc. *juris* in *viris*, quæ loco nostro.

5. *Revocavit... quæ*, etc. Si sana hæc est lectio, *Revocavit* nihil aliud esse potest, quam « denuo solvi sibi jussit » præmia cum delatis coronis a civitatibus olim oblata, ut fere conjicias *Renovavit*. Sed pro-

lissent. Et quum interdixisset usum amethystini ac Tyrii coloris, summisissetque, qui nundinarum die pauculas uncias venderet, præclusit cunctos negotiatores[6]. Quin etiam inter canendum animadversam matronam e spectaculis[7], vetita purpura cultam, demonstrasse procuratoribus suis dicitur; detractamque illico, non veste modo, sed et bonis exuit. Nulli delegavit officium, ut non adjiceret, « scis, quid mihi opus sit: » et, « hoc agamus, ne quis quicquam habeat. » Ultimo, templis compluribus dona detraxit[8], simulacraque ex auro vel argento fabri-

nior est sententia in alterius Cod. lectionem, « Revocavit et præmia *civitatum*, quæ unquam sibi in certaminibus *coronas* detulissent, » vel in emendationem Burmanni, etiam Wolfio probatam, « præmia coronarum, *quas*, etc. » ut *Revocavit* sit « restitui sibi jussit, » quæ olim pro delatis coronis donaverat. Vide c. 24. Ita infra, cap. 44, « a delatoribus potius *revocanda præmia*, quæcunque cepissent, » h. e. repetenda. Galb. 15, « liberalitates Neronis... *revocandas* curavit *exigendasque*. »

6. *Præclusit cunctos negotiatores;* h. e. portis præclusis excedere prohibuit, eorumque merces remque familiarem confiscavit; quam facillimam interpretationem qui non perspexerunt, mutarunt cum Budeo *perculit*, quod probaverunt Ernest. et Scheller. in Lexico, qui conjecturam addit damnabiliorem etiam, *percussit*. Minuit rapinæ gravitatem Grævius, qui clausas tabernas intelligit ad extorquendam, qua redimerentur merces, pecuniam. Melior interpres Orosius, VII, 7, « Negotiatorum omnium sub una die, tormentis quoque adhibitis, *omnem penitus censum abstersit.* »

7. *E spectaculis.* Oudend. recepit Memm. aliorumque Codd. lectionem *in spectaculis;* Ern. transponenda verba censet ita, *detractamque illico e spectaculis;* Wolfius glossematis loco adscripta putat verbis *inter canendum*, quod minime placet, quum Nero inter canendum esset in *scena*, matrona in *spectaculis*. Optime defendere vulgatam videtur Walther. Observ. pag. 25: « Nero *inter canendum* (h. e. quum ipse esset in scena) *animadvertit matronam e spectaculis*, h. e. matronam, quæ erat in spectaculis, ut dicimus *conspicere* vel *animadvertere* aliquem vel aliquid *e regione aliqua*, *e longinquo*. Cf. Tacit. Annal. IV, 23, *quæ ex longinquo in majus audiebantur.* » Pro *dicitur*, al. *creditur*.

8. *Templis...... dona detraxit.* Cf. Xiphil. LXIII, 11, ubi Vales. Tacit. Annal. XV, 45, « Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciæ eversæ, sociique populi, et quæ civitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam Dii cessere, spoliatis in Urbe tem-

cata conflavit; in his Penatium Deorum, quæ mox Galba restituit.

XXXIII. Parricidia et cædes a Claudio exorsus est: cujus necis etsi non auctor, at conscius fuit [1]; neque dissimulanter, ut qui boletos, in quo cibi genere venenum is acceperat, quasi Deorum cibum, posthac proverbio Græco collaudare sit solitus. Certe omnibus rerum verborumque contumeliis mortuum insectatus est, modo stultitiæ, modo sævitiæ arguens. Nam et *morari* eum inter homines desisse, producta prima syllaba, jocabatur: multaque decreta et constituta, ut insipientis atque deliri, pro irritis habuit. Denique bustum [2] ejus consepiri, nisi humili levique maceria, neglexit. Britannicum [3], non

plis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas prospere (lego *prospera*), aut in metu, sacraverat. Enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum, sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carinate,» ubi Lips. viam munivit Valesio in emendando loco Dionis Chrysost. Rhodiac. (pag. 644 ed. Reisk.) Cf. Tacit. Annal. XVI, 23, et Agric. 6, ubi «electus *a Galba*» dicitur Agricola «ad dona templorum recognoscenda.»

XXXIII. 1. *Cujus necis... at conscius fuit.* Ipse apud RACINE, *Britannicus*, act. V, sc. 6, objecta sibi ab Agrippina Britannici morte,

Il n'est point de malheur dont je ne sois coupable;
Et si l'on veut, madame, écouter vos discours,
Ma main de Claude même aura tranché les jours.

— *Ut qui boletos*; etc. Vide Dion. LX, fin.

2. *Bustum*; hoc est, locum, ubi combustum fuerat corpus. Cineres enim Mausoleo Augusti conditi fuerant. Cf. ad Claud. 45. Post ex conjectura virorum doctorum cum Gronovio et Wolfio edidimus *maceria* pro *materia*. Idem placuit Reinesio, conferenti Inscript. II, pag. 964.

3. *Britannicum*, etc. Vide Xiphil. LXI, 7; Tacit. Annal. XIII, 15 seq. Ann. 808. — *Veneno aggressus est.* Tacit. l. c. «parari venenum jubet, ministro Pollione Julio, prætoriæ cohortis Tribuno, cujus cura attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama.» De *Locusta* vide locos Taciti et Dionis, ad Claud. 44 citatos. Mox pro *venenariorum inclita*, quod primus Codd. auctoritate edidit Ernest., in vulg. est *venenariorum indice*. Illud magis convenit Tacito et Dioni l. c. qui φαρμακίδα περιβόητον dicit. Wolfius cum Oudend. mallet *venenariarum*. An *venenationum*, vocabulo justa analogia formato, et genitivo Græce more hujus ætatis addito, vel *ve-*

minus æmulatione vocis, quæ illi jucundior suppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est. Quod acceptum a quadam Locusta, venenariorum inclita, quum opinione tardius cederet[4], ventre modo Britannici moto; arcessitam mulierem sua manu verberavit, arguens, pro veneno remedium dedisse: excusantique, minus datum ad occultandam facinoris invidiam; « Sane, » inquit, « legem Juliam[5] timeo : » coegitque se coram in cubiculo quam posset velocissimum ac præsentaneum [6]coquere. Deinde in hædo expertus, postquam is quinque horas protraxit, iterum ac sæpius recoctum, porcello objecit. Quo statim exanimato, inferri in triclinium, darique cœnanti secum Britannico[7] imperavit. Et quum ille ad primum gustum concidisset, comitiali morbo ex consuetudine correptum apud convivas ementitus[8], postero die

nenorum? Plura conjicit Oudend.

4. *Quum.... tardius cederet*, etc. Tacitus : « Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, transmisitque, exsoluta alvo, parum validum, sive temperamentum inerat, ne statim sæviret. »

5. *Legem Juliam;* Corneliam Sullæ Dictatoris de sicariis, quæ complectebatur veneficia, repetitam a Julio Cæsare. Vide Torrent. et Ernest. — *Sane*. Ironice dictum. Nos : « Il est vrai que la loi est là pour me faire peur. »

6. *Coegitque..... coquere.* Tacitus : « Sed Nero, lenti sceleris impatiens, minitari Tribuno, jubere supplicium veneficæ, quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. Promittentibus dein tam præcipitem necem, quam si ferro urgeretur, cubiculum Cæsaris juxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum. »

7. *Cœnanti secum Britannico.* Tacitus : « Mos habebatur, Principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci, in adspectu propinquorum, propria et parciore mensa. Illic epulante Britannico, etc. » Interfuisse Titum, postea Imperatorem, narrat Noster, Tit. cap. 2.

8. *Comitiali morbo..... correptum.... mentitus.* Tacitus : « Innoxia adhuc ac præcalida et libata gustu potio traditur Britannico; dein, postquam fervore adspernabatur, frigida in aqua affunditur venenum, quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter et spiritus raperentur. Trepidatur a circumsedentibus, diffugiunt im-

raptim inter maximos imbres translaticio extulit [9] funere. Locustæ pro navata opera impunitatem prædiaque ampla, sed et discipulos dedit [10].

XXXIV. Matrem, dicta factaque sua exquirentem acerbius et corrigentem, hactenus primo gravabatur, ut invidia identidem oneraret, quasi cessurus imperio, Rhodumque abiturus: mox et honore omni et potestate privavit; abductaque militum et Germanorum statione, contubernio quoque ac Palatio expulit [1]. Neque in dive-

prudentes. At, quibus altior intellectus, resistunt defixi, et Neronem intuentes. Ille, ut erat reclinis et nescio similis, solitum ita, ait, per comitialem morbum, quo prima ab infantia afflictaretur Britannicus, et redituros paulatim visus sensusque. »

9. *Raptim.... translaticio extulit funere.* Tacitus: « Nox eadem necem Britannici et rogum conjunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. In campo tamen Martis sepultus est, adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram Deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum æstimantes. » Xiphilin. LXI, 7, Britannici corpus, ne livor ex veneno appareret, oblitum gypso elatum narrat, quo per subitam pluviam eluto, facinus omnium oculis detectum sit. Idem Zonaras. — Burrhus apud RACINE, *Britannicus*, act. V, sc. 5, necem Britannici refert:

A peine l'empereur a vu venir son frère,
Il se lève, il l'embrasse, on se tait; et soudain
César prend le premier une coupe à la main:
« Pour achever ce jour sous de meilleurs auspices,
« Ma main de cette coupe épanche les prémices,
« Dit-il: dieux, que j'appelle à cette effusion,
« Venez favoriser notre réunion. »
Par les mêmes sermens Britannicus se lie.
La coupe dans ses mains par Narcisse est remplie:
Mais ses lèvres à peine en ont touché les bords,
Le fer ne produit point de si puissans efforts,
Madame, la lumière à ses yeux est ravie;
Il tombe sur son lit sans chaleur et sans vie.
Jugez combien ce coup frappe tous les esprits:
La moitié s'épouvante, et sort avec des cris;
Mais ceux qui de la cour ont un plus long usage
Sur les yeux de César composent leur visage.
Cependant, sur son lit il demeure penché;
D'aucun étonnement il ne paraît touché:
« Ce mal dont vous craignez, dit-il, la violence,
« A souvent sans péril attaqué son enfance. »
Narcisse veut en vain affecter quelqu'ennui,
Et sa perfide joie éclate malgré lui.

10. *Impunitatem... dedit.* Damnata enim fuerat veneficii, auctore Tacit. Annal. XII, 66. Aliena est et rejicienda correctio *immunitatem.* — De *discipulis* consentit Juvenal. Sat. I, 71.

XXXIV. 1. *Abductaque... statione..... expulit.* Tacit. Annal. XIII, 18: « Excubias militares, quæ, ut conjugi Imperatoris olim, tum et ut matri servabantur, et Germanos, super eumdem honorem, custodes additos, degredi jubet. Ac, ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque transfert in eam, quæ Antoniæ fuerat; quo

xanda quicquam pensi habuit, summissis, qui et Romæ morantem litibus [2], et in secessu quiescentem per convicia et jocos [3], terra marique prætervehentes inquietarent. Verum minis ejus ac violentia territus perdere [4] statuit. Et quum ter veneno [5] tentasset, sentiretque antidotis præmunitam; lacunaria, quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, paravit. Hoc consilio per conscios parum celato, solutilem navem [6], cujus vel naufragio vel cameræ ruina periret, commentus est. Atque ita reconciliatione simulata, jucundissimis literis Baias evocavit ad sollemnia Quinquatruum [7] simul celebranda;

tiens ipse illuc ventitaret, septus turba Centurionum, et post breve osculum digrediens. » Cf. Xiphil. LXI, 8. De duplici custodia *militum prætorianorum* et *Germanorum* vide Lips. ad Tacit. l. c.

2. *Qui et Romæ.... litibus*, etc. Vide quæ Tacit. cap. 19, de *Junia Silana:* « Illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis, Iturium et Calvisium, non vetera et sæpius jam audita deferens, quod Britannici mortem lugeret, aut Octaviæ injurias evulgaret; sed destinavisse eam, Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu a D. Augusto, ad res novas extollere, conjugioque ejus et jam imperio Rempubl. rursus invadere, etc. »

3. *Et in secessu... per... jocos*, etc. Tacit. Annal. XIV, 3, « Nero vitare secretos ejus congressus; abscedentem in hortos, aut Tusculanum, vel Antiatem in agrum, laudare, quod otium lacesseret (capesseret.) »

4. *Verum... perdere statuit.* Xiphil. LXI, 12, Senecam Neroni criminis hujus auctorem facit atque impulsorem unicum, idque a dignis fide multis traditum esse. Senecam crimine liberare student Lips. et Gronov. ad Tacit. Annal. XIV, 7; Græci vero scriptoris auctoritatem adstruit Reimar. ad l. c. Othonem hujus etiam consilii participem fuisse, ostendit Noster, Othon. cap. 3.

5. *Et quum... veneno*, etc. Tacit. XIV, 3: « Placuit primo venenum. Sed inter epulas Principis si daretur, referri ad casum non poterat, tali jam Britannici exitio; et ministros tentare arduum videbatur mulieris, usu scelerum adversus insidias intentæ, atque ipsa præsumendo remedia munierat corpus. » Cf. Xiphil. l. c.

6. *Solutilem navem*, etc. inventore doli *Aniceto* liberto, classi apud Misenum præfecto, qui, auctore Tacit. l. c. « navem posse componi docet, cujus pars, ipso in mari per artem soluta, effunderet ignaram. » Vide Xiphil. l. c.

7. *Ad sollemnia Quinquatruum*, etc. Tacit. XIV, 4: « Placuit sollertia, tempore etiam juta, quando Quinquatruum festos dies apud

datoque negotio trierarchis, qui Liburnicam, qua advecta erat, velut fortuito concursu confringerent, protraxit convivium[8]. Repetentique Baulos, in locum corrupti navigii, machinosum illud obtulit, hilare prosecutus : atque in digressu papillas quoque exosculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilavit, cœptorum opperiens exitum. Sed ut diversa omnia, nandoque evasisse[9] eam, comperit, inops consilii, L. Agerinum[10] libertum ejus, salvam et incolumem cum gaudio nunciantem, abjecto clam juxta pugione, ut percussorem sibi subornatum ar-

Baias frequentabat. Illuc matrem elicit, ferendas parentum iracundias et placandum animum dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret, acciperetque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia. » De *Quinquatruum* festo vide ad August. 71.

8. *Protraxit convivium;* sc. Baiis. Obscurior est narratio Nostri, cui tenebras etiam offundit Xiphilin. LXI, 13. *Baulos,* ut obiter notemus, h. l. Græcus pro *Baiis* dixit (quæ loca confusa etiam videntur Calig. 19), quod non observavit Reimarus, dum ad Xiphil. in conciliandis scriptoribus versatur. Lux petenda a Tacito, qui Agrippinam, quum Antio venisset, in litore ab obvio Nerone exceptam narrat, ductamque Baulos. Ibi oblata navis, « ac tum *invitata ad epulas erat,* ut occultando facinori nox adhiberetur. » Sed ad has accedere recusavit mater, quod docent sequentia : « Satis constitit, exstitisse proditorem, et Agrippinam, auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine sellæ *Baias* pervectam. Ibi (*Baiis* igitur) blandimentum sublevavit metum ; comiter excepta superque ipsum collocata. Nam pluribus sermonibus, modo familiaritate juvenili Nero et rursus adductus, quasi seria consociaret, *tracto in longum convictu,* prosequitur abeuntem, artius oculis et pectori hærens, sive explenda simulatione, seu perituræ matris supremus adspectus quamvis ferum animum retinebat. » Hæc omnia Xiphilinus per errorem de convivio Baulis habito narrat. Contra recte apud Nostrum, *Repetentique Baulos*, scil. Baiis, ubi Quinquatrus convivio simul celebraverant. Blanditiis istis deceptam Agrippinam inducit Racine, *Britann.* act. V, sc. 3, quum, dubitante Junia, vera quæcumque Nero de Britannico promiserit, ut ipsa persuasum habet, affirmat :

Ah ! si vous aviez vu par combien de caresses
Il m'a renouvelé la foi de ses promesses !
Par quels embrassemens il vient de m'arrêter !
Ses bras dans nos adieux ne pouvaient me
quitter, etc.

Ceterum Mullerus interpungi maluit, *confringerent. Protraxit convivium*, etc.

9. *Nandoque evasisse*, etc. Tacit. cap. 5, « Nando, deinde occursu lenunculorum, Lucrinum in lacum

ripi constringique jussit, matremque occidi; quasi deprehensum crimen voluntaria morte vitasset. Adduntur his atrociora, nec incertis auctoribus [11], ad visendum interfectæ cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta, bibisse. Neque tamen conscientiam sceleris, quamquam et militum, et Senatus populique gratulationibus confirmaretur [12], aut statim aut unquam postea ferre potuit, sæpe

vecta, villæ suæ infertur. » Vide Xiphilin.

10. *L. Agerinum*, etc. Tacit. cap. 7, « Ipse, audito, venisse missu Agrippinæ nuncium Agerinum, scenam ultro criminis parat, gladiumque, dum mandata perfert, abjicit inter pedes ejus. Tum quasi deprehenso vincula injici jubet, ut, exitium Principis molitam matrem, et pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumsisse, confingeret. » Pro *abjecto*, vulg. *objecto*. — *Matremque occidi;* per « *Anicetum*, trierarcho Herculeo, et Oloarito, Centurione classiario, comitatum; » Tacit. cap. 8.

11. *Adduntur... nec incertis auctoribus*, etc. Tacitus : « Adspexeritne matrem exanimem Nero, et formam corporis ejus laudaverit, sunt, qui tradiderint, sunt, qui abnuant. » Rem ut certam narrat Xiphilin. cap. 14. Servavimus autem, in quo omnes libri conspirant, *nec incertis auctoribus*, mutatum a Græv. et Gronov. in *sed*, ex correctione Lipsii, probata etiam Wolfio. *Non incerti* auctores sunt *fide digni*. Solet Suetonius eos sequi, qui atrociora de Principum crudelitate prodiderant.

12. *Quamquam et militum, et Senatus populique gratulationibus confirmaretur*. Tacit. cap. 10: « Atque eum, auctore Burro, prima Centurionum Tribunorumque adulatio ad spem firmavit, prensantium manu gratantiumque, quod discrimen improvisum et matris facinus evasisset. » Cap. 12, « Miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertæ essent insidiæ, ludis annuis celebrarentur; aureum Minervæ simulacrum in Curia, et juxta Principis imago statueretur; dies natalis Agrippinæ inter nefastos esset. » Narcissus ad Neronem apud Racine modo cit. act. IV, sc. 4, de Britannico et Octavia sorore :

D'un empoisonnement vous craignez la noirceur?
Faites périr le frère, abandonnez la sœur:
Rome sur les autels prodiguant les victimes,
Fussent-ils innocens, leur trouvera des crimes;
Vous verrez mettre au rang des jours infortunés
Ceux où jadis la sœur et le frère sont nés.

Legouvé, *Épicharis et Néron*, act. III, sc. 2, Neronem ipsum inducit, cujus verba sunt :

.... dans les miens craignant des adversaires,
Quand j'exerçai contre eux des rigueurs nécessaires,
En secret effrayé de ma propre fureur,
A Rome comme à moi je croyais faire horreur :
Rome au contraire encor m'adressa plus d'hommages;

confessus, exagitari se [13] materna specie, verberibusque Furiarum ac tædis ardentibus. Quin et, facto per Magos sacro, evocare manes et exorare tentavit. Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii et scelerati voce præconis summoventur [14], interesse non ausus est. Junxitque parricidio matris amitæ necem [15]. Quam quum ex duritie alvi cubantem visitaret, et illa, tractans lanuginem ejus, ut assolet, jam grandis natu, per blanditias forte dixisset, « simul hanc excepero, mori volo : » conversus ad proximos, confestim se positurum, velut irridens ait; præcepitque medicis, ut largius purgarent ægram. Necdum defunctæ bona invasit, suppresso testamento, ne quid abscederet.

XXXV. Uxores præter Octaviam duas postea duxit : Poppæam Sabinam [1], quæstorio patre natam, et Equiti

Par l'ordre du sénat on para mes images,
Et la religion, parfumant son autel,
Remercia les dieux des forfaits d'un mortel.

13. *Sæpe confessus, exagitari se,* etc. Vide Xiphil. cap. 14. Tacit. cap. 10: « Quia tamen non, ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obversabaturque maris illius et litorum gravis adspectus (et erant, qui crederent, sonitum tubæ collibus circum editis planctusque tumulo matris audiri), Neapolim concessit. » Apud RACINE, act. V, sc. 6, Agrippina ipsa ad Neronem :

Je prévois que tes coups viendront jusqu'à ta mère :
Dans le fond de ton cœur je sais que tu me hais;
Tu voudras t'affranchir du joug de mes bienfaits.
Mais je veux que ma mort te soit même inutile :
Ne crois pas qu'en mourant je te laisse tranquille;
Rome, ce ciel, ce jour que tu reçus de moi,
Partout, à tout moment, m'offriront devant toi.
Tes remords te suivront comme autant de furies, etc.

14. *Summoventur.* Dictum e persona auctoris. Vulg. *summoverentur.*

15. *Junxitque... amitæ necem;* Domitiæ. Cf. insertum (ex Peiresc. Excerpt. pag. 686) Xiphilino locum, LXI, 27, ubi de hac Domitia Reimarus.

XXXV. 1. *Poppæam Sabinam.* Tacit. Annal. XIII, 45: « Erat in civitate Sabina Poppæa, *T. Ollio* patre genita, sed nomen avi materni sumserat, illustri memoria Poppæi Sabini, consulari et triumphali decore præfulgentis. Nam Ollium, *honoribus nondum functum*, amicitia Sejani pervertit. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honestum animum.... Agentem eam in matrimonio *Rufii Crispini*, *Equi-*

Romano antea nuptam; deinde Statiliam [2] Messalinam, Tauri bis Consulis ac triumphalis abneptem. Qua ut potiretur, virum ejus, Atticum Vestinum Consulem, in honore ipso trucidavit. Octaviæ consuetudinem cito aspernatus, corripientibus amicis, « Sufficere illi debere, » respondit, « uxoria ornamenta. » Eandem mox sæpe frustra strangulare meditatus, dimisit ut sterilem [3]: sed improbante divortium populo, nec parcente conviciis, etiam relegavit [4]. Denique occidit sub crimine adulteriorum [5], adeo

tis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit, juventa ac luxu, et quia flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur. Nec mora, quin adulterio matrimonium jungeretur. » Otho postea Neroni cessit. Cf. Tacit. in seq. et Nostr. Othon. 3. Quod autem patrem Sabinæ Suetonius *quæstorium*, Tacitus *honoribus nondum functum* obiisse dicit, vel dissensus, ut sæpius, est scriptorum, vel honores Tacitus angustiore sensu curules sive majores dixit.

2. *Deinde Statiliam Messalinam.* Memorat eamdem Tacitus, Annal. XV, 68 seq. ad ann. 819, ubi *Vestinum* Consulem et ob vetus odium, et ob id ipsum interemtum narrat, « quod Statiliam Messalinam matrimonio sibi junxerat, haud nescius, inter adulteros ejus et Cæsarem esse. » Collega Vestini erat Silius Nerva. — *Tauri bis Consulis.* Alterum consulatum gessit ann. 728, cum Augusto VIII. Quum de priori non constet, ann. 717 suffectum L. Caninio existimat Pighius, Annal. tom. III, pag. 490 et 510. Id saltem probabilius, quam quod Glandorp. Onomast. p. 813, ann. 728 priorem, et ann. 764, sive triennio ante Augusti obitum, alterum ejus consulatum adscribit, quum hujus anni Consul illius filius esse videatur. Triumphaverat Taurus ex Africa. Vide interpr. ad Vell. II, 127, et quæ de eodem notavimus ad August. cap. 29.

3. *Eandem mox..... dimisit ut sterilem;* ann. 816. Tacit. Annal. XIV, 60, « Exturbat Octaviam, sterilem dictitans. Exin Poppææ conjungitur. » Cf. Xiphil. LXII, 13.

4. *Sed..... etiam relegavit.* In Campaniam prius pulsa est, addita militari custodia; inde revocatam ob populi questus insula mox Pandataria clausit. Vide Tacit. cap. 60—63.

5. *Sub crimine adulteriorum*, etc. Tacit. 60: « Poppæa.... quemdam ex ministris Octaviæ impulit, servilem ei amorem objicere: destinaturque reus, cognomento Eucerus, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus. Actæ ob id de ancillis quæstiones, et vi tormentorum victis quibusdam, ut falsa adnuerent, plures perstitere sanctitatem dominæ tueri. Ex quibus una instanti Tigellino, castiora esse muliebria Octaviæ respondit, quam os ejus. » Cf. Xiphil. l. c.

impudenti falsoque, ut in quæstione pernegantibus cunctis, Anicetum[6] pædagogum suum indicem subjecerit, qui dolo stupratam a se fateretur. Poppæam, duodecimo die post divortium Octaviæ in matrimonium acceptam, dilexit unice. Et tamen ipsam quoque ictu calcis [7] occidit, quod se, ex aurigatione sero reversum, gravida et ægra conviciis incesserat. Ex hac filiam tulit[8] Claudiam Augustam, amisitque admodum infantem. Nullum adeo necessitudinis genus est, quod non scelere perculerit. [9]Antoniam, Claudii filiam, recusantem post Poppææ mortem nuptias suas, quasi molitricem novarum rerum interemit. Similiter ceteros[10], aut affinitate aliqua sibi, aut propinquitate

6. *Anicetum;* maternæ necis patratorem, classi apud Misenum præfectum. Tacit. cap. 62: « Ille insita vecordia, et facilitate priorum flagitiorum, plura etiam, quam jussum erat, fingit, fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat Princeps. » Occisa est Octavia vicesimo ætatis anno, auctore Tacit. cap. 64, qui mortem ita describit: « Restringitur vinculis, venæque ejus per omnes artus exsolvuntur; et, quia pressus pavore sanguis tardius labebatur, præfervidi balnei vapore enecatur. » Ceterum loco nost. sunt, qui deleant voc. *indicem*. Pro *dolo... fateretur,* Memm. *fingeret dolo.*

7. *Et tamen ipsam... ictu calcis occidit*, etc. Tacit. Annal. XVI, 6, « Post finem ludicri (ann. 819) Poppæa mortem obiit, fortuita mariti iracundia, a quo gravida ictu calcis afflicta est. Neque enim venenum crediderim, quamvis quidam scriptores tradant, odio magis, quam ex fide. Quippe liberorum cupiens et amori uxoris obnoxius erat. » Conf. Xiphilin. LXII, 27.

8. *Ex hac filiam tulit*, etc. Tacit. Annal. XV, 23, « Memmio Regulo et Virginio Rufo Coss. (ann. 817) natam sibi ex Poppæa filiam Nero ultra mortale gaudium accepit, appellavitque *Augustam*, dato et Poppææ eodem cognomento. Locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat, etc. »

9. *Antoniam;* de qua vide supra, Claud. 27.

10. *Similiter ceteros.* Ita edidimus, ut placuit jam Lipsio, Torrentio et Grutero. Vulg. « Similiter *interemit* ceteros. » Nonnulli Codd. dant « Similiter, *inter* ceteros, etc. » quod recepit Oudend.; al. « Similiter *item* ceteros. » Puto, *item* fuisse interpretationem voc. *Similiter*, quod h. l. non simile genus mortis, sed in pluribus repetitam cædem significare, aliquis notabat, inde ortum *inter,* mox ad repetendum verbum *interemit* librarii delapsi, quod omnium maxime displicet. Gronov. pater *Similiter* repudiat,

conjunctos; in quibus Aulum Plautium[11] juvenem: quem quum ante mortem per vim conspurcasset, « Eat nunc, » inquit, « mater mea, et successorem meum osculetur; » jactans, dilectum ab ea, et ad spem imperii impulsum. Privignum Rufium Crispinum[12], Poppæa natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit. Tuscum[13], nutricis filium, relegavit, quod in procuratione Ægypti, balineis in adventum suum exstructis lavisset. Senecam[14] præceptorem ad necem compulit; quamvis sæpe commeatum petenti, bonisque cedenti, persancte jurasset, « suspectum se frustra, periturumque potius, quam nociturum ei. » Burro[15] Præfecto remedium

recipitque *Item*, cui illud, ut difficilius, substitutum, parum verisimile; vel suadet utrumque junctim edi, *Similiter item*, quod fecit Burmann., ex meo sensu durissime. Gronov. filius graviori mutatione, « *Simili pernicie* ceteros. »

11. *In quibus Aulum Plautium*. Maxima pugna est inter interpretes Taciti et Suetonii, idemne hic sit *Rubellius Plautus*, cujus conjugio imperium affectare Agrippina ferebatur, postea in Asia jussu Neronis interfectus, de quo vide Tacit. Annal. XIII, 19, et XIV, 22 et 58 seq., an diversus. His accedendum existimo, nisi, quæ Oudend. est sententia, Suetonius utrumque confudit. Reinesius cum aliis illius A. Plautii, qui sub Claudio Britannos devicit (vide Claud. 17 et 24), filium h. l. intelligit. Ceterum, conferas Lips. ad Taciti locos cit. et Reimar. ad Xiphil. XII, 14. Mox cum Ernest. et Oudend. ex optimis libris edidimus *conspurcasset*, pro *constuprasset*.

12. *Rufium Crispinum*. Vide de hoc nomine varie corrupto Ernest. ad Tacit. Annal. XII, 42, et XIII, 45, ubi de patre hujus est sermo. — *Ducatus et imperia ludere;* ducis et imperatoris nomine inter ludendum a pueris appellari.

13. *Tuscum;* Cæcinam, cui, amoto Burro, prætoriarum cohortium curam destinasse credebatur. Vide Tacit. Annal. XIII, 20, et ibi Lips. Cf. de re Xiphil. LXIII, 18. Superfuisse eum Neroni, ex Tacit. Hist. III, 38, monuit jam Lips. l. c.

14. *Senecam*, etc. Orationem, qua bona sua Neroni offert Seneca, habet Tacit. Annal. XIV, 53. Ibidem, secessurum se in hortos aut villas, promittit; (hoc est Nostri, *commeatum petenti*, *bonisque cedenti:* conf. etiam Reimarum ad Xiphilin. LXII, 25). Tandem, in Pisonis conjuratione et ipse nominatus, mori jussus est. Lege Tacit. Annal. XV, 60; Xiphil. l. c. Periit ann. 819.

15. *Burro*, etc. Tacit. Ann. XIV,

ad fauces pollicitus, toxicum misit. Libertos [16] divites et senes, olim adoptionis, mox dominationis suæ fautores atque rectores, veneno, partim cibis, partim potionibus indito, intercepit.

XXXVI. Nec minore sævitia foris et in exteros grassatus est. Stella crinita [1], quæ summis potestatibus exitium

51 : « Concessit vita Burrus (ann. 816), incertum valetudine, an veneno. Valetudo ex eo conjectabatur, quod in se tumescentibus paulatim faucibus et impedito meatu, spiritum finiebat. Plures, jussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, illitum palatum ejus noxio medicamine, asseverabant; et Burrum, intellecto scelere, quum ad visendum eum Princeps venisset, adspectum ejus aversatum, sciscitanti hactenus respondisse, Ego me bene habeo. » Xiphil. LXII, 13, postquam de linguæ libertate, quæ Burro erat, dixit, diserte addit, τοῦτον μὲν οὖν φαρμάκῳ διώλεσε. Vide, quam caute scripserit Tacitus, ubicumque de pessimis etiam monstris sermo, et contra, quam facile publicis rumoribus crediderit Suetonius. Hunc Græci plerumque sequuntur.

16. *Libertos*, etc. Tacit. Annal. XIV, 65, « Eodem anno (816) libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est, Doryphorum, quasi adversatum nuptiis Poppææ, Pallantem, quod immensam pecuniam longa senecta detineret. » — Epicharis apud LEGOUVÉ, *Épicharis et Néron*, act. I, scen. 1, matris Agrippinæ et Octaviæ conjugis interfectorem Neronem detestata,

Mais vers d'autres forfaits ces coups ne sont qu'un pas:
Il s'élance, et du sang la soif qui le dévore
De celui qu'il répand semble s'accroître encore.
Artisans, sénateurs, plébéiens, chevaliers,
Tout ressent la fureur de ses goûts meurtriers.
Chacun de ses désirs demande une victime:
Chacun de ses instans amène un nouveau crime.

XXXVI. 1. *Stella crinita*, etc. Tacitus duos sub Neronis imperio cometas memorat; priorem ad ann. 814, lib. XIV, 22, « Inter quæ et *sidus cometes* effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regnis portendat. Igitur, quasi jam depulso Nerone, quisnam deligeretur, anquirebant, etc. » alterum XV, 47, et ann. 818, ubi, « Fine anni vulgantur prodigia, imminentium malorum nuncia. Vis fulgurum non alias crebrior, et *sidus cometes*, sanguine illustri semper Neroni expiatum, » quo loco violenta mutatione Ernest. delere vult *Neroni*, aut pro eo legere *tyrannis*, frustra provocans ad locum nost. ex quo, quum de altero tantum comete sermo sit, nihil conficias. Contra Plin. Hist. Nat. II, 25 (23): « In nostro vero ævo, circa veneficium, quo Claudius Cæsar imperium reliquit Domitio Neroni, ac *deinde* principatu ejus *assiduum prope* ac sævum. » Igitur sæpius quum apparuisset, assiduum prope in cælo, *semper Neroni* illustri sanguine expiatum est. Ceterum,

portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re, ut ex Babilo astrologo didicit, solere reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare, atque a semet in capita procerum depellere; nobilissimo cuique exitium destinavit. Enimvero multo magis, et quasi per justam causam, duabus conjurationibus provulgatis: quarum prior majorque Pisoniana[2], Romæ; posterior, Viniciana[3], Beneventi conflata atque detecta est. Conjurati e vinculis triplicium catenarum dixere causam: quum quidam crimen ultro faterentur, nonnulli etiam imputarent[4], tanquam aliter illi non possent, nisi morte, succurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi Urbe pulsi, enectique veneno, aut fame. Constat, quosdam cum pædagogis et capsariis[5] uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere.

XXXVII. Nullus posthac adhibitus dilectus aut modus interimendi, quoscunque libuisset, quacunque de causa. Sed ne de pluribus referam, Salvidieno Orfito objectum est, quod tabernas tres de domo sua circa Forum civitati-

de priori intellige Senec. Nat. Quæst. VII, 17 et 21, et Xiphilin. LXI, 18, ad quem loc. nescio an injuriam Suetonio inferat Reimarus.

2. *Quarum prior... Pisoniana;* C. Pisonis, ann. 819, de qua vide Tacit. Annal. XV, 48 seq.

3. *Posterior, Viniciana.* De hac nihil constat. Locum enim Plutarchi, de Garrul. cap. 9, quem ad eam refert Lips. ad Tacit. Annal. XV, 54, eo non pertinere, quum Romæ ibi mentio fiat, ostenderunt Burmann. ad locum nost. et Ernest. ad Tacit. loc. cit. Non magis Plutarchi narrationem ad Pisonianam conjurationem retulerim. Vinicianæ descriptio periit sine dubio cum Taciti libris deperditis.

4. *Imputarent;* h. e. pro beneficio imputarent. Tacit. Annal. XV, 68, « Proximum constantiæ exemplum Sulpicius Asper Centurio præbuit, percunctanti Neroni, Cur in cædem suam conspiravisset, breviter respondens, *non aliter tot flagitiis ejus subveniri potuisse.* » Ἄλλως σοι βοηθῆσαι οὐκ ἠδυνάμην, ejus verba sunt apud Xiphil. LXII, 24, ubi Σουλπίκιος Ἄσπρος homo nominatur, scriptoris vel librarii errore.

5. *Et capsariis. Capsarii*, ut et *pædagogi*, puerorum nobilium comites, capsulam cum libellis deferebant. Juvenal. Sat. X, 117:

Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.

bus ad stationem[1] locasset: Cassio Longino[2] jurisconsulto, ac luminibus orbato, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii, percussoris Cæsaris, retinuisset imagines: Pæto Thraseæ[3], tristior et pædagogi vultus. Mori jussis non amplius, quam horarum spatium[4], dabat. Ac ne quid

XXXVII. 1. *Ad stationem;* ubi starent et versarentur, pleni Fori tempore, legati civitatum, ut inveniri a convenire volentibus possent. Plin. Epist. I, 13, 2, « Plerique *in stationibus* sedent, tempusque audiendi fabulis conterunt; » et II, 9, 5, « ambio domos, *stationesque* circumeo. »

2. *Cassio Longino*, etc. Vide Lips. ad Tacit. Annal. VI, 15, et ipsum Tacitum, Annal. XII, 11, 12; XV, 52; XVI, 7; Plin. Ep. VII, 24; et cf. Bachii Hist. Jur. pag. 392. « Objectavit Nero Cassio (ita Tacit. Ann. XVI, 7), quod inter imagines majorum etiam C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam, *Dux Partium*. Quippe semina belli civilis et defectionem a domo Cæsarum quæsitam. » Cap. 9, « Deportatus in insulam Sardiniam Cassius et senectus ejus exspectabatur. » Expulsum in Sardiniam, et revocatum a Vespasiano, tradit etiam Pompon. de Orig. Jur. II, § ult. Ceterum hujus loci lectio varie fuit tentata. Ernest. rescripsit e MSS. « in vetere *gentis* stemmate, » aversatus duo adjectiva eidem substantivo juncta, contra quem Oudendorp. et Wolf. recte monuerunt, *stemma gentile* pro uno esse substantivo ut *nomen gentilicium*, *negotium familiare*, cujusmodi nominibus sine copula jungitur adjectivus, ut nomen gentilicium *vetus*, negotia familiaria *perampla*, etc. Deinde pro *retinuisset*, vulg. legitur *restituisset*. Illud Ernest. ita interpretatur, ut Cassius in conficiendo gentis stemmate (hunc enim morem hoc demum ævo invaluisse contendit, de quo mihi non constat) Cassium, Cæsaris percussorem, *non præterierit;* quo quidem sensu tanto levius erit crimen, si hoc illi modo sit objectum, quod in *vetere* (adeoque non ab ipso demum confecto) stemmate percussoris, qui ad majores pertinebat, effigiem *retinuerat*, h. e. *non ejecerat*. Denique plur. *imagines* recte defenditur ab Oudend. contra Ernest., qui varie loco subvenire studet, quum diversis locis stemma cum imaginibus positum videatur.

3. *Pæto Thraseæ*, etc. Catoni hujus ævi. Tacit. Annal. XVI, 21, « Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit, interfecto Thrasea Pæto et Barea Sorano, etc. » (Ann. 820). Loca auctorum de *Thrasea Pæto* collegit Reimar. ad Xiphil. LXI, 15.

4. *Horarum spatium*. Vulg. *horarium*. Illud Codd. et edd. antiquæ omnes exhibent, ut Domit. 3, « quotidie *secretum* sibi *horarum* sumere solebat. » Supplent *aliquot*, quod non necessarium, quum genitivus nominis sit pro adjectivo. Wolfii conjectura *III horarum* (numeri nota per literam H extrita) nescio an frigidiorem auctori subjiciat sen-

moræ interveniret, medicos admovebat, « qui cunctantes continuo curarent; » ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere. Creditur etiam polyphago cuidam[5] Ægyptii generis, crudam carnem, et quicquid daretur, mandere assueto, concupisse vivos homines laniandos absumendosque objicere. Elatus inflatusque tantis velut successibus, negavit, « quemquam Principum scisse, quid sibi liceret: » multasque nec dubias significationes sæpe jecit[6], ne reliquis quidem se parsurum Senatoribus; eumque ordinem sublaturum quandoque e Republica, ac provincias et exercitus Equiti Romano ac libertis permissurum. Certe neque adveniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertiit[7], ac ne resalutatione quidem. Et in auspicando opere Isthmi, magna frequentia clare, « Ut sibi ac populo Romano bene res verteret, » optavit, dissimulata Senatus mentione.

XXXVIII. Sed nec populo, aut mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in sermone communi[1],

tentiam, et idem Domit. l. c. præfert *horarium*.

5. *Polyphago cuidam*. Et istis locus inter eos, quibus principes oblectabantur. Vopis. Aurelian. 50: « Vehementissime delectatus est phagone, qui usque eo multum comedit, ut uno die ante mensam ejus aprum integrum, centum panes, vervecem et porcellum comederet; biberet autem infundibulo opposito plus orca. »

6. *Multasque..... significationes sæpe jecit*, etc. Pessimæ sunt mutationes *adjecit* Heinsii, *dedit* Burmanni, et lectio Codd. quorumdam *ejecit*. Prorsus nostra lingua respondet, *Et plus d'une fois il a fait entendre à n'en pas douter*, etc. *Jacere* enim Cicero de rebus etiam dicit, quæ subobscure et factis potius quam claris verbis indicantur. Ad Attic. II, 7, « illud quid sit, scire cupio, quod *jacis* obscure. »

7. *Quemquam osculo impertiit*. Plin. Panegyr. 23, « Gratum erat cunctis, quod Senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras, » ubi vide Gierig.

XXXVIII. 1. *In sermone communi*. Opponitur sermoni *secreto*, atque ita sermo *communis* dicitur etiam a Petron. c. 113, quem citat Oudend. Ernestius e duobus libris dedit *convivii*, eumque secuti sunt Bremius et Bipontini. Ita scriptorem puto potius dedisse vel *convivali*, ut Wolfius censet, vel simpliciter, « dicente quodam *inter convivium*, » vel *inter cœnam*, vel

Ἐμοῦ θανόντος[2] γαῖα μιχθήτω πυρί·

« immo, » inquit, « ἐμοῦ ζῶντος. » Planeque ita fecit : nam, quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, et angustiis flexurisque vicorum, incendit Urbem[3] tam palam, ut plerique consulares cubicularios ejus, cum stuppa tædaque in prædiis suis[4] deprehensos, non attigerint : et quædam horrea circa domum Auream, quorum spatium maxime desiderabat, [ut] bellicis machinis[5] labefactata atque in-

super cœnam, ut est Cæs. 87. Defendit Ernest. *convivii* etiam ad Tacit. Annal. XIII, 17.

2. Ἐμοῦ θανόντος, etc. Hunc versum, quem Tiberium in ore habuisse dicit Dio, LVIII, 23, Fabricius ad h. l. Sisyphi vel Bellerophontis Euripidei esse suspicatur, comparatque Cicer. de Fin. III, 19, et Senec. de Clement. II, 2. Cf. Burmann. ad locum nostr.

3. *Incendit Urbem*, etc. Vide Tacit. Annal. XV, 38, qui caute, « Sequitur clades, forte, an dolo Principis, incertum; nam utrumque auctores prodidere, etc. » Consentit cum Nostro Xiphil. LXII, 16. Sulpic. Sev. Hist. Sacr. II, 29: « Interea, abundante jam Christianorum multitudine, accidit, ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto. Sed opinio omnium invidiam incendii in Principem retorquebat, credebaturque Imperator gloriam innovandæ Urbis quæsisse. Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo jussum incendium putaretur. » Disputat de ea re Reimar. ad Xiphil. l. c. Accidit hæc clades, « omnibus (ita Tacit. l. c.), quæ huic Urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior, » ann. 818.

4. *In prædiis suis;* urbanis. Burmann. mallet *ædibus*.

5. [*Ut*] *bellicis machinis*, etc. Plerique proscribendam duxere particulam *ut*, vel post Lipsium mutandam in *vi*, quod tamen frigidam pareret tautologiam, sequentibus *bellicis machinis*, vel cum Gronovio legendum *desiderabatur*. Wolfius ex male repetita syllaba priore *ut* hæsisse existimat. Nisi vera est sententia Waltheri, qui Observ. pag. 26, post *et quædam horrea... desiderabat*, ex antecedentibus supplendum censet *tam palam incendit*, quam tamen repetitionem non possum, quin inutilem frigidamque habeam, postquam semel universe dixerat auctor *Urbem incendit*, præsertim quum verbum *incendere* non conveniat *horreis;* in quibus difficultatibus removendis ipse laborat vir doctissimus; ex errore librariorum insertum puto *ut*, qui non ceperant verba *quorum spatium maxime desiderabat*, scil. Nero, et quum nominativum putarent voc. *spatium*, cum sequentibus ea particula jungere voluerunt. Ceterum, e Nostro Oros. VII, 7, « Denique Urbis Romæ incendium voluptatis suæ spectaculum fecit. Per sex enim dies septemque noctes ardens

flammata sint, quod saxeo muro constructa erant. Per sex dies septemque noctes[6] ea clade sævitum est, ad monumentorum bustorumque deversoria plebe [7] compulsa. Tunc, præter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ, Deorumque ædes, ab regibus, ac deinde Punicis et Gallicis bellis votæ dedicatæque, et quicquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat[8]. Hoc incendium e turre Mæcenatiana[9] prospectans, lætusque « flam-

civitas regios pavit aspectus. Horrea quadro structa lapide, magnæque illæ veterum insulæ, quas discurrens adire flamma non poterat, magnis machinis, quondam ad externa bella præparatis, labefactatæ atque inflammatæ sunt, ad monumentorum bustorumque deversoria infelici plebe compulsa. »

6. *Per sex dies septemque noctes*, etc. Tacit. Annal. XV, 40, « *Sexto* demum *die* apud imas Esquilias finis incendio factus, » ubi comparat Lipsius antiquum lapidem, in quo, *quando Urbs per novem dies arsit Neronianis temporibus*, et conciliat cum Tacito, quod hic proxime « nondum posito metu, *rediisse ignem* » addit. Xiphil. LXII, 17, tantum ἐπὶ πλείους καὶ ἡμέρας καὶ νύκτας incendium durasse dicit.

7. *Ad..... deversoria plebe compulsa*. Tacit. c. 39, « Solatium populo exturbato et profugo campum Martis ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam suos patefecit, et subitaria ædificia exstruxit, quæ multitudinem inopem acciperent, subvectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis; pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. »

8. *Tunc... arserunt... et quidquid... duraverat*. Tacit. c. 41, « Domuum et insularum et templorum, quæ amissa sunt, numerum inire haud promtum fuerit; sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunæ, et magna ara fanumque, quæ præsenti Herculi Arcas Evander sacraverat, ædesque Statoris Jovis, vota Romulo, Numæque regia et delubrum Vestæ cum Penatibus populi Rom. exusta. Jam opes, tot victoriis quæsitæ, et Græcarum artium decora, exin monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta; quamvis in tanta resurgentis Urbis pulchritudine, multa seniores meminerint, quæ reparari nequibant. »

9. *E turre Mæcenatiana;* de qua vide Meibomii Mæcen. pag. 175 seq.; Donat. de Urbe Rom. III, 23; Nardin. Rom. Vet. IV, 2. Exscripsit more suo Suetonium Orosius, qui l. c. « Quod ipse ex altissima illa Mæcenatiana turre prospectans, lætusque flammæ, ut aiebat, pulchritudine, tragico habitu Iliadem decantabat, » *Iliadem* per errorem dicens pro diverso carmine. Prope accedit Xiphil. LXII, 18. Difficilius concilies cum his Tacitum, qui c. 39, « Eo in tempore Nero, Antii

mæ," ut aiebat, "pulchritudine," ἅλωσιν Ilii[10] in illo suo scenico habitu decantavit. Ac ne non hinc quoque, quantum posset prædæ et manubiarum, invaderet, pollicitus cadaverum et ruderum gratuitam egestionem[11], nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit; collationibusque[12] non receptis modo, verum et efflagitatis, provincias privatorumque census prope exhausit.

agens, non ante in Urbem regressus est, quam domui ejus, qua Palatium et Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret; neque tamen sisti potuit, quin *et Palatium et domus et cuncta circum* haurirentur;» et mox, «Pervaserat rumor, ipso tempore flagrantis Urbis, inisse eum *domesticam scenam*, et cecinisse Trojanum excidium, præsentia mala vetustis cladibus assimulantem.» Usus est hoc loco Taciti ad elevandam rumoris, cui nimis creduli Suetonius ejusque sequaces assensum præbuisse videntur, veritatem etiam Reimarus ad Xiphil. loc. cit.

10. *Ἅλωσιν Ilii;* quod carmen ab ipso Nerone compositum, certo puto colligi ex Juvenal. Sat. VIII, 219, ubi vide Rupert., et Xiphil. LXII, 29, qui Τρωϊκά τινα ποιήματα Neronis commemorat, ubi locupletissimus est Reimarus. Reliqua hujus nominis carmina recenset Heynius in Excursu I ad Virgil. Æneid. II. — Epicharis apud Legouvé, *Épicharis et Néron*, act. I, sc. 1, incendium a Nerone illatum ita memorat:

Il prétend d'un seul coup frapper tous les Romains.
De la porte Colline aux murs du Capitole
Un rapide incendie à l'instant croît et vole.
Ces monumens, qu'ornaient six siècles de travaux;
Les dépouilles des rois, et les noms des héros;
Ce cirque, consacré par nos fêtes publiques;
Ces temples renommés, ces palais magnifiques,
Dans les feux dévorans s'écroulent sans retour:
Et lui, d'un œil content, sur le haut d'une tour,
Aux flammes, aux débris, contemplait Rome en proie,
Et chantait sur un luth l'embrâsement de Troie.

11. *Pollicitus... egestionem*, etc. Tacit. c. 43: «Eas porticus» (np. quæ ex nova ædificiorum ratione frontem insularum protegerent) «Nero, sua pecunia exstructurum, purgatasque areas dominis traditurum, pollicitus est.» Nihil tamen dicit scriptor, omni ira in historiis major, de rapinis, hic quoque secundum Nostrum a Nerone patratis. Hunc denuo sequitur Oros. l. c. «Avaritiæ autem tam præruptæ exstitit, ut post hoc incendium Urbis, quam se Augustus ex latericia marmoream reddidisse jactaverat, neminem ad reliquias rerum suarum adire permiserit. Cuncta, quæ flammæ quoquo modo superfuerant, ipse abstulit;» ubi mallem, «*cunctaque, quæ... abstulerit.*»

12. *Collationibusque*, etc. nempe sub incendii prætextu. Cf. Xiphil. c. 18; Tacit. XV, 45. Ernest., immemor Xiphilini, novum cladis genus, quo Nero imperium Roma-

XXXIX. Accesserunt tantis ex Principe malis probrisque quædam et fortuita: pestilentia[1] unius autumni, quo triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt: clades Britannica[2], qua duo præcipua oppida, magna civium sociorumque cæde, direpta sunt: ignominia ad Orientem[3], legionibus in Armenia sub jugum missis, ægreque Syria retenta. Mirum, et vel præcipue notabile inter hæc fuerit[4], nihil eum patientius, quam maledicta et convicia hominum, tulisse; neque in ullos leniorem, quam qui se dictis aut carminibus lacessissent, exstitisse. Multa Græce Latineque proscripta, aut vulgata sunt; sicut illa:

Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι.

num exhauserit, collationes extra ordinem exactas, his verbis Nostrum addere putat, interpretans *que*, quod deest in nonnullis, *præterea, porro*, ideoque cum aliis post maximam interpunctionem pergit, *Collationibusque*, etc. Satis ei responderunt Oudend. et Wolfius. *Orosius* l. c. ex incerto auctore. « Centies centena millia Sestertium annua ad expensas a Senatu sibi conferri imperavit, » ubi æque verba *ad expensas* sunt *collationes* Suetonii, imperatæ ἐπὶ τῇ προφάσει τοῦ ἐμπρησμοῦ, ut ait Xiphil.

XXXIX. 1. *Pestilentia;* ann. 819. Tacit. Annal. XVI, 13, « Tot facinoribus fœdum annum etiam Dii tempestatibus et morbis insignivere. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disjecit, pertulitque violentiam ad vicina Urbi; in qua omne mortalium genus vis pestilentiæ depopulabatur, nulla cæli intemperie, quæ occurreret oculis, etc. »

2. *Clades Britannica;* ann. 815. Conf. Tacit. Annal. XIV, 29 seq. Xiphil. LXII, 1 seq. *Duo oppida* dicit Camulodunum et Verulamium, omissa Londinii mentione, ubi minor clades, quia maxima negotiatorum pars emigraverat. Vide Tacit. cap. 32 et 33.

3. *Ignominia ad Orientem;* ann. 816. Dux Romanorum erat Cæsennius Pætus. Cf. Tacit. Annal. XV, 6 seq. *Sub jugum missas legiones* idem, cap. 15, rumore tantum traditum dicit; Suetonius autem, ut solet, pro certo narrat. Cf. Xiphil. LXII, 21.

4. *Mirum..... fuerit.* Vulg. *fuit.* Conf. Cæs. 63, et ibi not.; Galb. 28. Mox, pro *proscripta aut vulgata*, liber Torrentii « *perscripta ac vulgata.* » Illud jure repudiat Torrentius, sed male probat *ac*, quum duo verba diversis modis carmina illa innotuisse dicant, vel publicis locis inscripta sive affixa, vel ore tantum tradita, atque ita vulgata.

Νεόνυμφον Νέρων ἰδίαν μητέρ' ἀπέκτεινεν[5].

Quis negat, Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit[6] ille patrem.

Dum tendit citharam noster, dum cornua[7] Parthus,
Noster erit Pæan, ille ἑκατηβελέτης.

Roma domus fiet[8]: Veios migrate, Quirites,
Si non et Veios occupat ista domus.

Sed neque auctores requisiit: et quosdam per indicem delatos ad Senatum, affici graviore pœna prohibuit. Transeuntem Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, « quod Nauplii mala bene cantitaret, sua bona male disponeret. » Et Datus, Atellanarum histrio, in cantico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum scilicet Claudii Agrippinæque significans: et in novissima clausula,

Orcus vobis ducit pedes[9],

5. Νέρων..... ἀπέκτεινεν. Male disjungunt nonnulli duo versus cohærentes, qui, id sibi proprium præ aliis matricidis habere Neronem, dicunt, quod νεόνυμφον etiam matrem h. e. recens nuptam occiderit, quo *incestus* (de quo vide cap. 28) salse significatur. Ceterum mallem Νεόνυμφος, ut amoveatur duplex epitheton, et, quod metrum postulat, et suasere jam Dorvill. (cf. Addend. Burmann.), Oudendorp., Ernestius, mutato verborum ordine, Νεόνυμφος ἰδίαν μητέρ' ἀπέκτεινεν Νέρων. Codex Salmas. dat Νεόψηφον, quod probavit Turneb. Advers. XXIV, 6, et XXVII, 18. Reliquam varietatem, ut assolet, e corruptis Græcis ortam, vide apud Burmann. Apollini Pythio hunc versum tribuere videtur Pseudo-Lucianus, Neron. cap. 10. Cf. Reimar. ad Xiphil. LXI, 16.

6. *Sustulit... sustulit*. Lusus in verbo *tollere*.

7. *Cornua;* arcum, ut sæpe. Dum Apollinis habitu, ut mitis et placidus, citharam Nero pulsat, Parthus quoque Apollinem agens, sed sagittis formidabilem, imperium lacessit.

8. *Roma domus fiet*, etc. Jocus in domum Auream.

9. *Orcus vobis ducit pedes*. Meam facio post alios Lipsii interpretationem, « Pluto vos per pedes ad Manes trahit, » uti Cerberus apud Lucian. Dial. Mort. XXI, κἀγὼ ὅτι διαμέλλοντα αὐτὸν δακὼν τῷ κωνείῳ κατέσπασα τοῦ ποδός. In carmine

Senatum gestu notaret. Histrionem et philosophum Nero nihil amplius, quam Urbe Italiaque summovit, vel contemtu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem irritaret ingenia.

XL. Talem Principem paulo minus quatuordecim annos [1] perpessus terrarum orbis, tandem destituit; initium facientibus Gallis, duce Julio Vindice [2], qui tum eam provinciam Proprætore obtinebat. Prædictum a mathematicis Neroni olim erat, fore, ut quandoque destitueretur: unde illa vox ejus celeberrima, τὸ τεχνίον πᾶσα γαῖα τρέφει· [3] quo majore scilicet venia meditaretur citharœdicam artem, Principi sibi gratam, privato necessariam. Spoponderant tamen quidam destituto Orientis dominationem [4], nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinæ fortunæ restitutionem. Cui spei pronior [5], Britannia Armeniaque amissa, ac rursus utraque recepta,

Atellano non magna quærenda eruditio, sed scurrilis lepos, qualis in vulgi dicteriis proverbiisque esse solet. Nos similiter dicere possemus: *La mort vous tire par les pieds; le diable vous pousse en enfer*, etc. Cui multa placent, adeat Burmannum.

XL. 1. *Paulo minus quatuordecim annos*. Cf. infra, cap. 51. Eutrop. VII, 9, obiisse dicit imperii anno *quarto decimo*. Xiphil. LXIII, 29, ἦρξεν ἔτη δεκατρία, καὶ μῆνας ὀκτώ, nempe a medio Octobri ann. 807, usque ad medium Junium ann. 821. Plura vide apud Oudendorp. ad h. l. et Reimar. ad Xiphil. loc. cit.

2. *Duce Julio Vindice*. Cf. Xiphil. LXIII, 22. Plutarch. Galb. 4, ubi Γαλατίας στρατηγός dicitur, et quæ collegit Reimar. ad Xiphil. l. c. Incepit motum Vindex initio anni 821, et se ipsum, re nondum perfecta, gladio interemit. Xiphil. cap. 24. — Pro *Gallis*, Burm. malebat *Galliis*. Vulgatam tuetur Xiphilinus, cap. 22.

3. Τὸ τεχνίον... τρέφει. Cf. Xiphil. cap. 27, et cum Baumgart. rectam vulgatam puta, senarii vestigia servantem, quem varie restituere viri docti. Vide Burmanni edit.

4. *Spoponderant... Orientis dominationem*. Vulg. *Spoponderunt*, et *destituto ei*, et *ordinationem Orientis*. Edidimus optimorum Codd. lectionem post Oudend. et Ernest. *Ordinationem* Gronovius defendit locis, nostro nullo modo convenientibus.

5. *Cui spei pronior*. Cf. Oudend. ad hunc locum, et Ernest. ad Tacit. Annal. IV, 60.

defunctum se fatalibus malis existimabat. Ut vero, consulto Delphis Apolline, septuagesimum ac tertium annum cavendum sibi, audivit, quasi eo demum obiturus, ac nihil conjectans de ætate Galbæ, tanta fiducia non modo senectam, sed etiam perpetuam singularemque concepit felicitatem, ut, amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitaverit inter suos dicere, « pisces eas sibi relaturos[6]. » Neapoli[7] de motu Galliarum cognovit die ipso, quo matrem occiderat[8]: adeoque lente[9] ac secure tulit, ut gaudentis etiam suspicionem præberet, tanquam occasione nata spoliandarum jure belli opulentissimarum provinciarum[10]. Statimque in gymnasium progressus, certantes athletas effusissimo studio spectavit. Cœnæ quoque tempore interpellatus tumultuosioribus literis, hactenus excanduit, ut malum iis, qui descissent, minaretur. Denique per octo continuos dies non rescribere cuiquam, non mandare quid aut præcipere conatus, rem silentio obliteravit.

XLI. Edictis tandem Vindicis contumeliosis et frequentibus permotus, Senatum epistola in ultionem sui Reique publicæ adhortatus est, excusato languore [1] faucium, propter quem non adesset. Nihil autem æque doluit, quam ut malum se citharœdum[2] increpitum, ac pro Nerone Ænobarbum appellatum. Et nomen quidem gentile, quod sibi per contumeliam exprobraretur, resumturum se professus est, deposito adoptivo. Cetera convicia, ut

6. *Pisces... relaturos.* Comparant fabulam de annulo Polycratis Samii, quam refert Herodot. III, 41 seq.

7. *Neapoli*, etc. Cf. Xiphil. cap. 26; Plutarch. Galb. c. 5.

8. *Die... quo matrem occiderat;* mense igitur Martio, in quem incidebant Quinquatrus. Cf. August. 71, et supra c. 43.

9. *Adeoque lente;* ad verbum nos, *avec tant d'indifférence.*

10. *Tanquam occasione nata spoliandarum..... provinciarum.* Vide Plutarch. Galb. l. c. Xiphil. cap. 26.

XLI. 1. *Excusato languore faucium*, etc. Cf. Xiphil. cap. cit.

2. *Quam ut malum se citharœdum*, etc. Philostr. Apollon. V, 3.

falsa, non alio argumento refellebat, quam quod [3] etiam inscitia sibi tanto opere elaboratæ perfectæque a se artis objiceretur; singulos subinde rogitans, «nossentne quemquam præstantiorem.» Sed urgentibus aliis super alios nunciis, Romam prætrepidus rediit: leviterque modo in itinere frivolo auspicio mente recreata, quum annotasset, insculptum monumento militem Gallum ab Equite Romano oppressum trahi crinibus, ad eam speciem exsiluit gaudio, cælumque adoravit. Ac ne tunc quidem aut Senatu aut populo coram appellato, quosdam e primoribus viris domum evocavit: transactaque raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica [4] novi et ignoti generis circumduxit: ostendensque singula, de ratione ac difficultate cujusque disserens, jam se etiam prolaturum omnia in theatrum affirmavit, si per Vindicem liceat.

XLII. Postquam deinde etiam Galbam et [1] Hispanias descivisse cognovit, collapsus, animoque male fracto, diu et sine voce, et prope intermortuus jacuit. Utque resipuit, veste discissa, capite converberato, «actum de se,» pronunciavit: consolantique nutriculæ, et aliis quoque jam Principibus similia accidisse memoranti, «Se vero præter ceteros inaudita et incognita pati,» respondit, «qui summum imperium [2] vivus amitteret.» Nec eo secius quicquam ex consuetudine luxus atque desidiæ omisit, vel imminuit. Quin immo, quum prosperi quiddam ex provinciis nunciatum esset, super abundantissimam cœnam jocularia in defectionis duces carmina, lasciveque

3. *Non alio argumento... quam quod etiam*, etc. hac vel ipsa ratione, quod peritus negaretur. — *Elaboratæ*. Ex emendatione Burman. pro vulg. *laboratæ* recepimus.

4. *Per organa hydraulica*, etc. Conf. Xiphil. l. c. ubi vide quæ de *organis hydraulicis* scripsit Reimarus, et quos ille citavit.

XLII. 1. *Galbam et Hispanias*, etc. Cf. Xiphil. cap. 27; Plutarch. Galb. 5.

2. *Summum imperium*. Vulg. *suum*, quod prorsus ineptum.

modulata, quæ vulgo notuerunt[3], etiam gesticulatus est; ac spectaculis theatri clam illatus, cuidam scenico placenti nuncium misit, « abuti eum occupationibus [4]suis. »

XLIII. Initio statim tumultus, multa et immania, verum non abhorrentia a sua natura, creditur destinasse: successores percussoresque summittere exercitus et pro vincias regentibus, quasi conspiratis, idemque et unum sentientibus: quicquid ubique exsulum, quicquid in Urbe hominum Gallicanorum esset, contrucidare: illos, ne desciscentibus aggregarentur; hos, ut conscios popularium suorum atque fautores: Gallias exercitibus diripiendas permittere: Senatum universum veneno per convivia necare: Urbem incendere[1], feris in populum immissis, quo difficilius defenderetur[2]. Sed absterritus, non tam pœnitentia, quam perficiendi desperatione, credensque expeditionem necessariam, Consules[3] ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi a se Consule. Ac susceptis fascibus, quum post epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium,

3. *Notuerunt.* Ita dedit cum Oudendorpio Wolfius, e Memmiano aliisque Codicibus pro *innotuerunt.*

4. *Abuti eum occupationibus suis;* h. e. haud bene eum facere, quod, dum ipse negotiis publicis detentus in scenam prodire, atque de palma cum eo certare nequeat, utatur eo tempore ad favorem populi voce comparandum. Ita Cic. de Nat. Deor. II, 60, « Nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum *ad utilitatem nostram abutimur.* » Plura exempla quære in Lexicis.

XLIII. 1. *Senatum..... necare: Urbem incendere.* Conf. Xiphilin. cap. 27.

2. *Quo difficilius defenderetur;* scil. populus a feris, si post eas immissas Urbs quoque incenderetur, ut recte explicat Oudendorp. Al. *defenderentur*, scil. feræ, h. e. arcerentur. MS. alter *defenderent.*

3. *Consules;* C. Silium Italicum, poetam, et M. Galerium Trachalum. Non meminisse videtur nostri loci Pighius, Annal. tom. III, pag. 604, qui nihil de consulatu solius Neronis. Mox *a se Consule* lectio est paucorum Codd., ab Ernestio et Oudend. recepta, pro vulg. *a Consule.*

affirmavit, simul ac primum[4] provinciam attigisset, inermem se in conspectum exercituum proditurum, nec quicquam aliud quam fleturum; revocatisque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ jam nunc sibi componi oporteret.

XLIV. In præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula portandis scenicis organis, concubinasque, quas secum educeret, tondendi ad virilem modum, et securibus peltisque Amazonicis instruendi. Mox tribus urbanas[1] ad sacramentum citavit; ac nullo idoneo respondente, certum dominis servorum numerum indixit; nec, nisi ex tota cujusque familia probatissimos, ne dispensatoribus[2] quidem aut amanuensibus exceptis, recepit. Partem etiam census omnes ordines conferre jussit: et insuper inquilinos privatarum ædium atque insularum pensionem annuam repræsentare fisco[3]: exegitque

4. *Simul ac primum*. Vide Burmann. et Oudendorp. ad Cæs. cap. 30; Drakenb. ad Livium, VI, 1. Vana igitur est conjectura Burmanni, *primam*.

XLIV. 1. *Mox tribus urbanas*, etc. *Tribus* ex more hujus ætatis pro *plebe* dici videntur; *tribus urbanæ* igitur sunt *plebs urbana*, quam solam citare ad sacramentum adhuc poterat, quum honestioris sortis cives vel amplexi jam essent seditionem, vel crederentur. Sed ex plebe etiam, ob dona atque spectacula monstro unice addicta, *nullus idoneus respondit*, sine dubio quod non venerant, qui arma ferre possent, et citati se subduxerant. Oudendorp. *urbanas* mutari suadet in *universas*; Ernestius etiam spurium censet vocabulum, quod est ense prorsus vulnus recidere. Cautius idem judicat ad Tacit. Hist. III, 58.

2. *Dispensatoribus*. Vide ad August. c. 67.

3. *Et insuper inquilinos... repræsentare fisco*; h. e. eos, qui non proprias ædes haberent ob census exiguitatem, *pensionem* sive *habitationem annuam*, Gall. *le loyer* (vide ad Cæs. 38), non dominis ædium, sed fisco solvere jussit. *Privatæ ædes* sunt ædes privatorum, oppositæ *publicis*, eæque majores, ubi distinguuntur ab *insulis*. Cf. not. ad Cæs. 41. *Inquilini* igitur *privatarum ædium atque insularum* sunt, « les locataires des grandes maisons et des habitations ordinaires. » Ita dupliciter afflixit ditiores Nero, quod censum conferre coegit, et annua habitatione, ipsis debita, privavit.

ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum [4], argentum pustulatum [5], aurum ad obrussam [6]: ut plerique omnem collationem palam recusarent, consensu flagitantes, a delatoribus potius revocanda præmia [7], quæcunque cepissent.

XLV. Ex annonæ quoque caritate [lucrantium [1]] accrevit invidia. Nam et forte accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nunciaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse [2]. Quare omnium in se odio incitato, nihil con-

4. *Nummum asperum;* h. e. novum, usu nondum detritum. Ridicula Principis in summo discrimine vanitas.

5. *Argentum pustulatum;* igne excoctum, purum. Intellige autem argentum non signatum, ne quis cum aliis legendum putet *argenteum*. Diserte distinguitur a *nummo* utriusque generis.

6. *Aurum ad obrussam;* h. e. ad *obrussam* vel *obryzam* probatum, examinatum igne, purum. Plin. H. N. XXXIII, 3 (19), « Auri experimentum ignis est, ut simili colore rubeat ignescatque; id ipsum *obrussum* vocant, » ubi alii, ut loco nostro *obryzum*, forma Græca, ex qua Latini fecere *obrussam*, male deductam a grammaticis et ipso Plinio a colore *russo* seu rubro. Imo assentior iis, qui ὄβρυζον derivant a βρύζειν vel βρύειν, *pullulare*, inde *spumare*. Singularis de h. l. est dissertatio Strykii, quacum conferas, quos citavit Ernest. in Clav. Cic. et interpretes Nostri atque Plinii.

7. *A delatoribus potius revocanda præmia*, etc. Vide supra ad c. 32.

XLV. 1. [*Lucrantium.*] Sabellicus mutavit *luctantium;* Lipsius *lucranti tum* (ubi *tum* valde est otiosum); Oudend. *lucranti* ex nonnullorum lectione *lucrantia*, vel *lucranti jam*. Illud Ruhnkenio placuit et Wolfio. Mallem *lucranti ei*, ut cap. 39 erat *transeuntem eum*. Cf. Oudend. ad Cæs. 7. Si sana est vulgata, ita interpretor: « Invidia ex annonæ caritate lucrantium *ipsi* quoque Neroni *accrevit*, h. e. incidit in eamdem invidiam, in quam incurrerant dardanarii, sorte quadam, nempe quum navis Alexandrina pro frumento pulverem afferret. » Sic hereditas et similia *accrescere alicui* dicuntur. Sed ingenue fateor, quantumvis a violenta crisi alienus, suspectum mihi videri vocab. *lucrantium*, quo abjecto omnia bene se habent. Quid, si scriptor dederat *Ex annonæ quoque caritate accrevit invidia*, scil. Neroni, nonne potuit librarius, offensus hac ellipsi, suam vel annotare vel inserere interpretationem, addito voc. *lucrantium* vel *lucranti*, unde jam penderet *Ex annonæ caritate?* an verbis *accrevit invidia* adscripsit glossæ loco *luctantium*, ob *luctatores aulicos* mox sequentes? Sed hæreo, judicio relicto doctioribus.

2. *Pulverem..... advexisse*. Plin.

tumeliarum defuit, quin subiret[3]. Statuæ ejus a vertice cirrus appositus est cum inscriptione Græca, «Nunc demum agona esse,» et «Traderet tandem[4].» Alterius collo et ascopera[5] deligata, simulque titulus: «Ego quid potui?

H. N. XXXV, 13 (47), «Non multum a pulvere Puteolano distat *e Nilo arena* tenuissima sui parte, non ad sustinenda maria fluctusque frangendos, sed ad debellanda corpora palæstræ studiis. Inde certe *Patrobio, Neronis Principis liberto, advehebatur.*» Mox, pro *incitato*, al. *concitato*.

3. *Nihil... defuit, quin subiret.* Ernest. impugnat hunc dicendi modum, Latinitatem postulare dicens «nihil contumeliarum *fuit*, quin subiret.» Sed in tota constructione repetitio particularum negantium cum verbo negativo Græcismum olet, a Latinis receptum, Germanis crebrum, nobis communem. Ita Cic. ad Quint. Fratr. III, 3, 1, «*nihil prætermisi, quin* enucleate ad te præscriberem,» ubi pro simplici *nihil non perscripsi* tres sunt negationes in *nihil*, in *prætermisi*, h. e. non scripsi, et in *quin*, h. e. quod non. Neque video diversam rationem in exemplis ab Ernest. prolatis. Quod autem ad locum Cic. Verr. V, 2, attinet, ubi *deesse* mutandum in *esse* idem censet, omni correctione abstinendum docuit jam Oudendorp.

4. *Cirrus appositus est... Traderet tandem.* Lectio valde incerta. Pro *cirrus* al. *currus*, quod præcipue defendit Casaub.; pro *Traderet* al. *Raderet* et *Traheret*. Secutus sum cum Oudend. optimorum Codd. auctoritatem, sensumque quum faciliorem, tum Latinitati magis congruum. Jam *cirrus* optime convenit verbis *a vertice appositus est*, et ostendebat vel muliebriter, vel in Apollinis citharœdi morem cultum Neronem. Deinde, quum *radere* cirro non conveniat, sed *tondere* (vide supra, c. 44, «*tondendi* ad virilem modum»), porro *Traheret* nihili sit, si vel maxime *currus* legatur, quoniam equorum hoc est, non aurigæ *agentis*, (quæ vere observat Oudend.) retinenda Codd. lectio *Traderet tandem*, scil. vel cirrum, vel, quod magis puto, agonem h. e. imperium. Cirratus antea carmina ludosque tractaverat Nero; jam, bello ingruente, inscriptum *Nunc demum agon* et *Trade tandem*, cui impar es, mulier, agonem, in quo viri tantum victores et principes.

5. *Ascopera.* Ita vocab. corruptum primus restituit Politianus Misc. cap. 20. Cf. Xiphil. LXI, 16. Ceterum verba *Ego quid potui*, etc. diversissime explicuerunt, ut vel eum, qui deligaverat ascoperam, vel populum, vel Agrippinam, vel utrem ipsum loquentem induci putarent. Hoc adoptavit Ernest. supplens *Ego quid potui peccare?* quod omnium minime placet. Ego verba ita intelligo: Suspenderat ejus statuæ homo de plebe ascoperam, qua, abeundum jam esse in exsilium et miseriam Neroni significaret, quoniam mendici gestare eas solebant, addiditque, «Ego, cui nulla potestas in civitate, sed ju-

sed tu culeum meruisti.» Ascriptum et columnis, «Jam Gallos[6] eum cantando excitasse.» Jam noctibus jurgia cum servis plerique simulantes, crebro *vindicem* poscebant[7].

XLVI. Terrebatur ad hoc evidentibus portentis somniorum et auspiciorum et ominum, quum veteribus, tum novis. Nunquam antea somniare solitus, occisa demum matre, vidit per quietem, navem sibi regenti extortum gubernaculum; trahique se ab Octavia uxore in artissimas tenebras[1]: et modo pennatarum formicarum multitudine oppleri, modo a simulacris gentium[2], ad Pom-

stum de te judicium, quid potui, nisi hoc? sed tu, si leges valent, ut matricida culeum meruisti.» Ita acumen etiam est in similitudine ascoperæ et culei, et in indigitata minore et majore pœna. Præplacet tamen, quæ nostræ interpretationi prorsus convenit, conjectura Torrentii, «Ego *quod* potui,» scil. feci vel præstiti; «sed tu, etc.»

6. *Jam Gallos*, etc. Ita edidimus cum Burmann. et Ernestio. Vulg. «*Etiam* Gallos,» unde Oudend., mutata interpunctione, «Ascriptum et columnis *etiam*: Gallos, etc.» quod recepit Wolfius, non monito lectore. Sed nescio quid duri inferre nobis videbatur h. l. repetitum *et etiam*, alias Suetonio non infrequens. Ceterum in hoc dicto et lusus in *Gallis*, populi et avium nomine, et, nisi fallor, allusio ad excitatos in Capitolii oppugnatione anserum clangore Romanos. Ernestio displicet additum *cantando*. Sed non absonum mihi hoc videtur in vellicando Nerone, tanto artifice, cantusque adeo studioso.

7. *Vindicem poscebant.* Recte respondet Walther. Observ. pag. 27, Ernestio, frustra formulam aliquam quærenti, in qua vindicis verbum usurpetur, non cogitandum de formula, sed *vindicem poscere* esse «auxilium alicujus implorare, ut nos vindicet ab altero,» ex Festo, «*Vindex* ab eo, quod vindicat, quo minus is, qui prensus est ab aliquo, teneatur.» Ad Julium Vindicem eos allusisse, notare non opus est.

XLVI. 1. *In artissimas tenebras.* Lips. suadebat *altissimas*, al. *aterrimas*, *crassissimas*, quæ omnia non necessaria. Recte Muller. Observ. pag. 18, in voc. *tenebræ* notionem *loci* tenebricosi atque carceris sive custodiæ tenendam dicit, et prorsus conveniunt, quæ comparat Sallust. Jug. XIV, 15, *clausi in tenebris*, et Pomp. Mel. I, 10, 19: «vinculisque et *artissima custodia* tenent.»

2. *A simulacris gentium*, etc. Plin. Hist. Nat. XXXVI, 5 (§ 13), «Idem Varro et a Coponio quatuordecim nationes, quæ sunt circa

peii theatrum dedicaturum, circumiri, arcerique progressu; Asturconem[3], quo maxime lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum, ac tantum capite integro, hinnitus edere canoros. De mausoleo, sponte foribus patefactis[4], exaudita vox est nomine eum cientis. Kalendis Januarii[5] exornati Lares in ipso sacrificii apparatu conciderunt. Auspicanti Sporus anulum muneri obtulit, cujus gemmæ sculptura erat « Proserpinæ raptus. » Votorum nuncupatione[6], magna jam ordinum frequentia, vix repertæ Capitolii claves. Quum ex oratione ejus, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, « daturos pœnas sceleratos, ac brevi dignum

Pompeii, factas auctor est. » Argutatur Oudend. in voc. *dedicatarum*, quum *simulacra* dedicata dicit, non *gentes*, in quo tamen frequens est notionum metaphora.

3. *Asturconem;* de quo equorum genere, cui ab Asturia nomen, vide Plin. Hist. Nat. VIII, 42 (67), et ibi Harduin.; Martial. Epigr. XIV, 199.

4. *Sponte foribus patefactis*, etc. Cf. Xiphil. LXIII, 26, ubi plura de hoc portento Reimarus. Pro *cientis*, al. *ciens*, quod prætulit Ernest. — Terroribus istis suis, morte jam instante, exagitatus Nero apud Legouvé, *Épicharis et Néron*, act. V, sc. 4,

Où suis-je? un songe affreux... Non, non, je ne dors pas:
De mon cœur soulevé c'est un secret murmure.
Je m'entends appeler meurtrier et parjure:
Je le suis..... Mais quels cris, quels lugubres accens!
Une sueur mortelle a glacé tous mes sens.
Ne me trompé-je pas? je crois voir mes victimes....
Je les vois: les voilà... Du fond des noirs abîmes
S'élancent jusqu'à moi des fantômes sanglans:
Ils jettent dans mon sein des flambeaux, des serpens;
Je ne puis me soustraire à leur troupe en furie....
Arrêtez.... Est-ce toi, vertueuse Octavie?
Tu suis contre Néron un trop juste transport.
Qu'oses-tu m'annoncer?... Ah! je t'entends.... la mort!
La mort!.... Tu viens aussi me l'apporter, mon frère!
Mais que vois-je, grands dieux? Agrippine! ma mère!
Tous les morts aujourd'hui sortent-ils du tombeau?
Meurs! meurs! criez-vous tous, etc.

5. *Kalendis Januarii*. De hujus diei solemnitate vide Rosin. Ant. Rom. IV, 5, pag. 250. Annulus pro *strena* a Sporo oblatus est. Mox servavimus cum Oudend. *sculptura*. Ernest. cum edd. aliquot vett. *scalptura* ex discrimine, quod statuit, utriusque verbi. Cf. ad August. 50, et Galb. 10.

6. *Votorum nuncupatione*, solemni, in Capitolio fieri solita. Vide Lips. Excurs. ad Tacit. Annal. XVI, 22, ubi objectatum Thraseæ legitur, « *nuncupationibus votorum* non adesse, quamvis Quindecimvirali sacerdotio præditum. »

exitum facturos, » conclamatum est ab universis: « Tu facies[7], Auguste. » Observatum etiam fuerat, novissimam fabulam cantasse eum publice « Œdipodem exsulem, » atque in hoc desisse versu[8]:

Θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

XLVII. Nunciata interim etiam ceterorum exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subvertit, duos scyphos[1] gratissimi usus, quos Homerios a cælatura carminum Homeri vocabat, solo illisit, ac sumto a Locusta veneno, et in auream pyxidem condito, transiit in hortos Servilianos[2]. Ubi, præmissis libertorum fidissimis Ostiam ad classem præparandam, Tribunos Centurionesque prætorii de fugæ societate tentavit. Sed partim tergiversantibus, partim aperte detrectantibus, uno vero etiam proclamante,

Usque adeone[3] mori miserum est?

varia agitavit: Parthosne, an Galbam supplex peteret, an

7. *Tu facies*, etc. *Tu efficies, ut dignum exitum faciant*, ex mente conclamantium. Sed quum intelligi etiam posset *Tu facies* ipse *dignum exitum*, hoc pro omine postea, quum eventus comprobasset, est habitum.

8. *Atque in hoc desisse versu*, etc. Vide Xiphil. LXIII, 28, qui, ut rem aliter narrat, ita versum minus aptum exhibet: *Οἰκτρῶς θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, πατήρ.*

XLVII. 1. *Duos scyphos*, etc. Plin. Hist. Nat. XXXVII, 2 (10): « Nero, amissarum rerum nuncio accepto, duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos. Hæc fuit ratio sæculum suum punientis, ne quis alius ex his biberet. » Cælatura an crystallo conveniat, nescio. Monuerunt autem interpretes ex Salmas. ad Solin. pag. 736, non fuisse hæc pocula literata, sed in quibus argumentum cælatum esset, ex Homero sumtum. *Literata* sunt *ἐντετυπωμένα*; *cælata*, *ἐκτετυπωμένα*.

2. *In hortos Servilianos*; qui memorantur etiam Tacit. Annal. XV, 55, et Hist. III, 38. De eorum situ cf. Donat. de Urbe Roma, III, 23.

3. *Usque adeone*, etc. Ex Virgil. Æneid. XII, 646, ubi per errorem summus Heynius *Neronis voce* celebratum hemistichium dicit. Nostras Racine, *Phèdre*, act. III, sc. 3, sic ad verbum Gallice reddidit:

Est-ce un si grand malheur que de cesser de vivre?

atratus prodiret in publicum, proque Rostris, quanta maxima posset miseratione[4], veniam præteritorum precaretur, ac, ni flexisset animos, vel Ægypti[5] præfecturam concedi sibi oraret. Inventus est postea in scrinio ejus hac de re sermo formatus: sed deterritum putant, ne prius, quam in Forum perveniret, discerperetur. Sic cogitatione in posterum diem dilata, ad mediam fere noctem excitatus, ut comperit, stationem militum [6]recessisse, prosiluit e lecto, misitque circum amicos. Et quia nihil a quoquam renunciabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum[7] adiit. Verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit, unde jam et custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota et pyxide veneni. Ac statim Spiculum[8] mirmillonem, vel quemlibet

4. *Quanta maxima..... miseratione;* h. e. lamentatione, ut Claud. 36, « lacrimisque et vociferatione *miseratus est* conditionem suam, » quem locum attulit Oudend. contra Burmannum præferentem aliorum *veneratione*, quod non supplicis, sed honorantis et adorantis esse, idem monet cum Ernestio.

5. *Vel Ægypti*, etc. Vide Plutarch. Galb. 2. Recte autem notat Ernest. Ægypti provinciam petere voluisse, quod infimus omnium dignitate Ægypti præses fuisset, ex ordine equestri fere sumtus, et *Præfectus* tantum dictus, quod valere poterat ad movendam vulgi misericordiam.

6. *Stationem militum recessisse;* a domo in hortis Servilianis. Conf. Xiphil. LXIII, 27. Oudendorp. in textu dedit *secessisse*, in nota *recessisse*. — Hæc omnia, quæ de Neronis clade Suetonius, LEGOUVÉ, *Épicharis*, etc. act. V, sc. 2, ad verbum elegantissime reddidit, ubi Nero :

Comme je suis tombé de disgrâce en disgrâce !
Vaincu, je me renferme au fond de mon palais ;
Je crois qu'au moins la nuit m'apportera la paix :
Mais de nouveaux périls et des tableaux funèbres
M'arrachent de mon lit au milieu des ténèbres.
Je m'élance, je cours, j'appelle épouvanté.
Tout, avec mes trésors, m'avait déjà quitté ;
Et je ne trouve plus, dans ces murs sans défense,
Que d'un vaste désert la solitude immense.
Je fuis ce lieu mal sûr, à la hâte échappé ;
Je fuis seul, les pieds nuds, le front enveloppé,
Caché sous les lambeaux de l'obscure indigence,
Maudit, et poursuivi des cris de la vengeance.
Enfin j'entre en rampant sous ces sombres caveaux,
Comme un vil criminel jeté dans les cachots ;
Et c'est là que traînant l'affront que je dévore,
J'attends peut-être, hélas ! des maux plus grands encore !

7. *Hospitia singulorum;* habitacula, conclavia in domo Neronis.

8. *Spiculum;* de quo vide c. 30.

percussorem, cujus manu periret, requisivit : et, nemine reperto, « Ergo ego, » inquit, « nec amicum habeo, nec inimicum[9]? » procurritque, quasi præcipitaturus se in Tiberim.

XLVIII. Sed revocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desideravit : et offerente Phaonte liberto suburbanum suum inter Salariam et Nomentanam viam[1] circa quartum milliarium, ut erat nudo pede atque tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit : adopertoque capite, et ante faciem obtento sudario, equum inscendit, quatuor solis comitantibus, inter quos et Sporus erat. Statimque tremore terræ[2], et fulgure adverso pavefactus, audiit ex proximis [3]castris clamorem militum, et sibi adversa, et Galbæ prospera ominantium : etiam ex obviis viatoribus quendam dicentem, « Hi Neronem persequuntur ; » alium sciscitantem, « Ecquid in Urbe novi de Nerone? » Equo autem odore abjecti in via cadaveris consternato, detecta facie agnitus est a quodam missicio[4] prætoriano, et salutatus. Ut ad

Eadem et hic in scribendo nomine varietas.

9. *Ergo ego.... nec inimicum?* Secundum Xiphil. cap. 29, in caverna proxime ante mortem hæc dixit, propinquantibus ex Urbe summissis Equitibus (vide infra, cap. 49).

XLVIII. 1. *Inter Salariam et Nomentanam viam.* Cf. Strabo, V, 3, 1. Fugam Neronis describit Xiphil. LXIII, 27, cui *tres* tantum comites fuisse dicit, Phaonem, Epaphroditum, Sporum. De Sporo dissentit ab historicis Dio Chrysost. qui cædis eum Neronis auctorem facit, memorem illatæ sibi injuriæ, et ulciscendi cupidum. Joseph. Bell. Jud. IV, 9, 2, *quatuor*, ut Noster, Neroni comites memorat. Cf. Eutrop. VII, 9; Aurel. Victor. Epit. V, 7.

2. *Statimque tremore terræ*, etc. Conf. Xiphil. cap. 28.

3. *Ex proximis castris.* Oudend. cum Panvin. Descript. Urb. Romæ (Thes. Græv. tom. III, p. 226), et Donato, de Urb. Rom. I, 15, *castra* intelligit *prætoria*, quibus accedo, haud satis gravia existimans, quæ contra disputavit Ernestius.

4. *A quodam missicio;* h. e. exauctorato. Al. *Missicio*, ut nomen sit militis. Vix servaverit hoc historia. Contra illud vocab. ignoravit librarius. Conf. Xiphil. cap. 28.

deverticulum[5] ventum est, dimissis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægre, nec nisi strata sub pedibus veste, ad aversum villæ parietem[6] evasit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in specum egestæ arenæ concederet[7], negavit, « se vivum sub terram iturum: » ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subjecta lacuna poturus manu hausit[8]; et, « Hæc est, » inquit, « Neronis decocta. » Dein, divulsa sentibus pænula, trajectos surculos rasit[9]: atque ita quadrupes per angustias effossæ cavernæ receptus in proximam cellam, decubuit super lectum, modica culcita[10], vetere pallio strato instructum.

5. *Ad deverticulum;* quo ex publica via in villam flectebant. — *Per arundineti semitam*, etc. Conf. Xiphil. loc. cit.

6. *Ad aversum villæ parietem.* Constans librorum lectio *ad adversum*, vel sine *ad* modo *adversum* vel *adversus*, eamque defendit etiam Walther. Observ. pag. 27, ut *adversus* sit paries respectu Neronis, qui eum petebat, quoniam omnia *adversa* dicuntur, quæ sunt ante nos, ut proxime *fulgure adverso*. Quæ licet sint verissima, inutilis tamen eo sensu mihi videtur hujus vocab. adjectio; et tota loci ratio, et quæ ad describendum addita sunt, ut *deverticulum*, et *arundinetum*, et *specus egestæ arenæ*, paratus denique *clandestinus ad villam introitus*, fecerunt, ut cum Wolfio reciperem correctionem Gronovii et Perizonii *aversum*. Ita, ex mea sententia, etiam Cæs. 82, *aversum vulnerat* legendum erat, pro *adversum*.

7. *Concederet.* Burmann. ex altero Cod. dedit *se conderet*.

8. *Aquam... manu hausit*, etc. Cf. Xiphil. l. c. ubi Reimarum. — — *Hæc est... Neronis decocta.* Vide Harduin. ad Plin. Hist. Nat. XXXI, 3 (23), « Neronis Principis inventum est decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. »

9. *Trajectos surculos rasit.* Intellige surculos super viam trajectos, h. e. transverse viæ interjectos, vel ex proximis sentibus ita prominentes, ut super via se implicarent, corpore *rasit*, h. e. strinxit, perrepsit. Hanc enim significationem verbi *radere* malo cum Ernest. admittere, quamvis fere poeticam, quam corrigere cum Burmann. « *per* trajectos surculos *serpsit*, » vel *repsit*. Alii *trajectos surculos* interpretantur, qui trajecta pænula inhæserant, vel quos trajiciebat sive transibat. Incertus etiam est Oudend. Vide Xiphil.

10. *Modica culcita*, etc. Ita August. 73, *toro... humili et modice instrato*. — *Strato instructum*. Nullus dubito, quin legendum sit *stratum* simpliciter, vocabulo *instru-*

Fameque interim et[11] siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantum bibit.

XLIX. Tunc uno quoque hinc inde instante, ut quam primum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fieri imperavit[1], dimensus ad corporis sui modulum : componique simul, si qua invenirentur, frusta marmoris, et aquam simul ac ligna conferri, curando mox cadaveri, flens ad singula, atque identidem dictitans : « Qualis artifex pereo! »[2] Inter moras perlatos a cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque, « se hostem a Senatu judicatum, et quæri, ut puniatur more [3]majorum : » interrogavitque, quale id genus esset pœnæ. Et quum comperisset, nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi[4]; conterritus, duos pugiones, quos

ctum orto ex glossemate *instratum*, quod aliquis simplici *stratum* adscripserat, unde postea utrumque vocabulum in textum venit, sed ad aliquem sensum efformatum.

11. *Interim et*. Al. *et iterum*, vel *et item*. Mox al. *aliquantulum*.

XLIX. 1. *Scrobem... fieri imperavit;* in quam corpus post mortem conderetur, subductum, quibus affici solebant scelestorum cadavera, contumeliis. Conf. Lips. ad Tacit. Annal. I, 61, et, quem Grævius comparavit, locum Dion. LI, 14. Vide etiam ad hunc nostrum Casaubon.

2. *Qualis artifex pereo!* Xiphil. cap. 29 : Ὦ Ζεῦ, οἷος τεχνίτης παραπόλλυμαι! De interpretatione hujus dicti quomodo aliquis incertus esse potuerit post ea, quæ de vanitate Neronis narrata sunt cap. 20 seq. et proxime c. 41, equidem non video. Tamen nonnulli prorsus aliena proposuerunt.

3. *Ut puniatur more majorum.* Vide Tacit. Annal. II, 32, et XVI, 11. De jure Senatus, summos magistratus ita puniendi, conf. etiam quæ subjicit Gibbon. Hist. cap. 4, ubi de Commodi morte egit.

4. *Nudi hominis... corpus... ad necem cædi.* Eutrop. VII, 9 : « quæ pœna erat talis, ut nudus per publicum ductus, furca capiti ejus inserta, virgis usque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de saxo. » Cf. Claud. 34, et Domitian. 11. Totum hunc locum Legouvé fideliter expressit, *Épicharis*, etc. act. V, sc. 5 :

PHAON.

Parcourez cet écrit qu'on vient de m'apporter ;
Vous apprendrez les coups qu'il vous faut redouter.

secum extulerat, arripuit; tentataque utriusque acie, rursus condidit, causatus, « nondum adesse fatalem horam. » Ac modo Sporum hortabatur, ut lamentari ac plangere inciperet: modo orabat, ut se aliquis ad mortem capessendam exemplo juvaret : interdum segnitiem suam his verbis increpabat : « Vivo deformiter ac [5] turpiter : οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει· νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις· ἄγε ἔγειρε σεαυτόν. » Jamque equites appropinquabant, quibus præceptum erat, ut vivum eum attraherent. Quod ut sensit, trepidanter effatus,

Ἵππων [6] μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει,

ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito [7] a libellis.

NÉRON.

Que doit donc m'annoncer cet écrit qui m'étonne?
En l'ouvrant, malgré moi, ma main tremble et frissonne:
Je crains.... Lisons.... peut-être est-ce un trop vain soupçon.

PHAON.

Ah!

NÉRON (il lit).

« *Décret du Sénat, qui condamne Néron....* »
Je ne puis achever, et ne vois plus qu'à peine.
(*à Phaon, en lui rendant le papier.*)
De Néron condamné lis-moi quelle est la peine.

PHAON.

Affreuse! La loi veut qu'expirant par degré,
Vous tombiez sous les fouets, sanglant et déchiré.

5. *Ac turpiter*. Desunt hæc verba in nonnullis, et jure omisisse videtur Oudendorp. Vide etiam Ernest. Mox mallem, οὐ πρέπει, Νέρων, etc. ut se ipsum appellet.

6. Ἵππων, etc. Homer. Iliad. X, 535.

7. *Juvante Epaphrodito*. Cf. Xiphil. cap. 29, et vide Domit. 14. — Nero apud LEGOUVÉ, sc. 6 :

Des mains d'un vil bourreau n'attendons pas la mort.
Je possède un poignard : qu'il décide mon sort.
Un poignard! Voilà donc, dans sa chute profonde,
Ce qui reste à Néron de l'empire du monde!
Sachons bien profiter de ce dernier trésor:
Il est plus d'un proscrit qui ne l'a pas encor.
Je l'ai, je suis armé; frappons-nous.... Mais je n'ose:
L'effroi de la douleur à mon dessein s'oppose.
Quoi! tout souillé du sang des malheureux humains,
Ton sang, lâche Néron, épouvante tes mains!
Le tien est-il le seul que tu n'oses répandre?
De mon bras seul encor mon destin peut dépendre,
Et ce bras, ce vil bras craint de me secourir!
Je n'aurai pas su vivre, et ne sais pas mourir!
Si quelque ami m'aidait, plus courageux peut-être....

PHAON (sc. 7).

De votre sort bientôt vous ne serez plus maître.
On approche, on accourt, on va vous arrêter:
Vous n'avez qu'un moment; sachez en profiter.
(*On entend un grand bruit dans le souterrain.*)

NÉRON.

De quel bruit effrayant mon oreille est saisie!
(*A Phaon.*)
Aide ma main tremblante à m'arracher la vie;
Phaon, guide ce fer....
(*Phaon pousse le poignard.*)
Ah! je meurs donc enfin!
Tartare, qui m'attends, reçois-moi dans ton sein.

Semianimisque adhuc irrumpenti[8] Centurioni, et, pænula ad vulnus apposita, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quam « Sero, » et, « Hæc est fides! » Atque in ea voce defecit, exstantibus rigentibusque oculis usque ad horrorem formidinemque visentium. Nihil prius aut magis[9] a comitibus exegerat, quam ne potestas cuiquam capitis sui fieret; sed ut, quoquo modo, totus cremaretur. Permisit hoc Icelus[10], Galbæ libertus, non multo ante vinculis exsolutus, in quæ primo tumultu conjectus fuerat.

L. Funeratus est impensa ducentorum millium, stragulis albis auro intextis, quibus usus Kalendis Januarii fuerat. Reliquias Ecloge et Alexandria[1] nutrices cum Acte concubina[2] gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur e campo Martio, impositum colli hortorum. In eo monumento solium[3] Porphyretici marmoris superstante Lunensi ara[4], circumseptum est lapide Thasio[5].

LI. Statura fuit prope justa, corpore maculoso et fœ-

8. *Irrumpenti.* Male alii *interrumpenti.*

9. *Aut magis.* Ita Ernest. et Oudend. ex optimis Codd. pro *ac magis.* Illud etiam Latinius.

10. *Icelus.* Vide infra, Galb. cap. 14.

L. 1. *Alexandria.* Lipsius corrigebat *Alexandra.*

2. *Cum Acte concubina.* Vide c. 28. Mox plerique *colle*, aliique *hortulorum.* Utrumque edidit Oudendorpius.

3. *Solium; πύελος*, receptaculum reliquiarum. Curt. X, 10, 9, « Septimus dies erat, ex quo corpus regis jacebat in *solio.* » Cf. Flor. IV, 11, 11, ubi vide Freinshem., et Plin. Hist. Nat. XXXV, 12 (46), « quin et defunctos sese multi fictilibus *soliis* condi maluere, » ubi Harduin. — *Porphyretici marmoris.* Plin. XXXVI, 7 (11), « Rubet *porphyrites* in eadem Ægypto. » Cf. Lamprid. Heliogab. cap. 24; Vopiscum, Prob. cap. 2; Capitol. Anton. cap. 11.

4. *Lunensi ara;* sepulcrali, e marmore Lunensi, dicto a *Luna*, Etruriæ urbe. Vide Strabon. V, 2, 5; Plin. Hist. Nat. XXXVI, 5 et 6; Silium Ital. VIII, 482.

5. *Lapide Thasio;* Plin. Hist. Nat. XXXVI, 5 (6), « e *Thaso*, una Cycladum insularum. » Cf. Senec. Epist. LXXXVI.

tido[1]; sufflavo capillo, vultu pulchro magis, quam venusto[2], oculis cæsiis et hebetioribus, cervice obesa, ventre projecto, gracillimis cruribus, valetudine prospera. Nam, qui luxuriæ immoderatissimæ esset, ter omnino per quatuordecim annos[3] languit, atque ita, ut neque vino, neque consuetudine reliqua abstineret. Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit; ac plerumque synthesinam indutus[4], ligato circum collum sudario, prodierit in publicum, sine cinctu, et discalciatus.

LII. Liberales disciplinas omnes fere puer attigit. Sed a philosophia eum mater avertit, monens, imperaturo contrariam esse[1]: a cognitione veterum oratorum Seneca

LI. 1. *Et fœtido.* Ita ex optimis MSS. Oudend. et Wolfius. Vulg. *fœdo*, quod nimis vagæ significationis esse, iidem jam monuerunt. Placuit etiam Ernestio.

2. *Vultu pulchro magis, quam venusto.* Cic. de Offic. I, 36: « Venustatem muliebrem dicere debemus; dignitatem virilem, pulchritudinem. » *Pulchritudo* igitur est *la beauté, la régularité, l'expression des traits; venustas* autem *la délicatesse, les agrémens du visage,*

Et la grâce, plus belle encor que la beauté,

ut venustissime dixit La Fontaine.

3. *Per quatuordecim annos.* Vide supra ad cap. 40.

4. *Ac plerumque synthesinam indutus;* h. e. vestem cubitoriam. Alii *synthesin*, quod defendit etiam Scheller. in Lexico, lectionem Codicum genuinam rationibus impugnans, quas ego non capio. Ceterum Cf. Xiphil. LXIII, 13, qui effeminatorum ac mollium hanc vestem fuisse testatur.

LII. 1. *Monens, imperaturo contrariam esse.* Diderot, *Essai sur les règnes de Claude et de Néron*, § 116: « Il se refusa entièrement à l'étude « de la philosophie, d'après le con« seil d'Agrippine sa mère, qui lui « persuada que cette science était « nuisible à un souverain, c'est-à-« dire, à un tyran; car c'était la va« leur du mot dans la bouche d'une « femme aussi impérieuse. Quoi! « l'art de modérer ses passions, de « connaître ses devoirs et de les « remplir, d'exercer la clémence et « la justice, de connaître les vraies « limites de son pouvoir, les pré« rogatives inaliénables de l'hom« me, de les respecter; cet art, « dis-je, est nuisible à un souve« rain, et il ne doit point entrer « dans le plan de l'éducation d'un « prince ! Ce conseil d'Agrippine « est celui que donneront toujours

præceptor, quo diutius in admiratione sui detineret[2]. Itaque ad poeticam pronus, carmina libenter ac sine labore composuit[3]: nec, ut quidam putant, aliena pro suis edidit. Venere in manus meas pugillares libellique[4] cum quibusdam notissimis versibus, ipsius chirographo scriptis: ut facile appareret, non translatos[5], aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos; ita multa et deleta, et inducta[6], et superscripta inerant.

« aux enfans des rois ceux qui se « proposeront de les abrutir pour « les gouverner: il est important « pour eux qu'ils soient vicieux et « fainéans. Mais Agrippine apprit, « avec le tems, qu'on ne travaille « pas impunément à rendre son « maître sot et méchant. Puissent « les imitateurs de sa politique re- « cevoir la même récompense qu'elle « en obtint! »

2. *Quo diutius in admiratione sui detineret.* Lepide comicorum princeps (Molière),

Nul n'aura de l'esprit que nous et nos amis.

3. *Carmina.... composuit*, etc. Tacit. Annal. XIII, 3; « aliquando, carminibus pangendis, inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat. » Idem, XIV, 16, « Ne tamen ludicræ tantum Imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium affectavit, contractis, quibus aliqua pangendi facultas. Necdum insignis ætatis nati » (ita scribo in mea Tacit. edition. tom. II, p. 326; ubi crisin loci vide. Edit.) « considere simul, et allatos vel ibidem repertos versus connectere, atque ipsius verba, quoquo modo prolata, supplere: quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu, nec ore uno fluens. » Cf. Martial. Epigr. VIII, 70, et IX, 27, et quos alios citavit Reim. ad Xiphil. LXII, 29, ubi quæcumque fere de Neronis poesi tradita sunt, collegit. Ceterum, nullum hic video Taciti et Suetonii dissensum: imo utrumque vera narrare existimo, et modo suo tantum ingenio, modo aliorum opera adjutum pepigisse carmina Neronem; quamquam alias hæc de utroque scriptore mihi est sententia, sæpius etiam declarata, ut in rebus ad ipsam historiam spectantibus, Tacito magis credendum putem, in admittendis rumoribus longe difficiliori; in iis, quæ literas, eruditionem, genus Principum, Suetonio, ut grammatico, et in indagandis ejusmodi rebus accuratissimo.

4. *Pugillares libellique.* Jungit etiam Plin. Epist. IX, 6, « Omne hoc tempus inter *pugillares ac libellos* jucundissima quiete transmisi, » ne quis alterum adulterinum censeat.

5. *Non translatos;* aliunde petitos, plagio aliis sublatos; Gall. *transcrits, pris à d'autres.*

6. *Et deleta, et inducta.* Illud ad singula verba, hoc ad totas sen-

LIII. Habuit et pingendi, fingendique maxime[1], non mediocre studium. Maxima autem popularitate efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent. Exiit opinio[2], post scenicas coronas proximo lustro descensurum eum ad Olympia inter athletas. Nam et luctabatur assidue: nec aliter certamina gymnica tota Græcia spectaverat, quam brabeutarum more[3] in stadio humi assidens, ac, si qua paria longius recessissent, in medium manibus suis protrahens. Destinaverat etiam, quia Apollinem cantu, Solem aurigando æquiparare existimaretur, imitari et Herculis facta; præparatumque leonem aiunt, quem vel clava, vel brachiorum nexibus, in Amphitheatri arena, spectante populo, nudus elideret.

LIV. Sub exitu quidem vitæ palam voverat, si sibi incolumis status permansisset[1], proditurum se partæ victoriæ ludis etiam hydraulam[2], et choraulam, et utricularium, ac novissimo die histrionem, saltaturumque Vir-

tentias, versiculos, partes carminis refero, aliud discrimen ignorans. Junctim leguntur *deleta et inducta* etiam apud Ulpian. in Pandect. XXVIII, 4, 1. Tacuerunt reliqui interpretes.

LIII. 1. *Fingendique maxime.* Delendum censet *maxime* post alios Wolfius. Mihi secus videtur. Gallice efferrem: *Il eut aussi pour la peinture, et surtout pour la sculpture* (proprio vocabulo *fingere* dicimus *modeler*), *un goût très-vif.* Perit enim, quod auctor dicit, præ reliquis artibus plasticen eum tractasse, omisso vocabulo. Ceterum hoc punctum cum superiori capite conjungendum puto, et novum incipiendum: *Maxime autem*, etc. ut est in multis pro *Maxima.*

2. *Exiit opinio;* fama, ut *opinari*, *sentire*, *existimare* sæpe dicuntur pro *sententiam proferre*, *dicere.*

3. *Quam brabeutarum more;* ἀγωνοθετῶν in ludis gymnicis.

LIV. 1. *Si.... permansisset.* Recte h. l. plusquam perfectum, quoniam refertur ad *proditurum*, et præcedit *voverat.* Alias imperfectum bene defendi posse, ostendimus ad Calig. cap. 3.

2. *Hydraulam.* Vide supra, c. 41. *Choraulæ* dicti omnes, qui saltantibus pantomimis accinebant (cf. Argol. ad Panvin. de Lud. Circ. II, Thes. Græv. tom. IX, pag. 406). *Utricularii*, Græcis ἀσκαυλοι sive ἀσκαῦλαι (vide Martial. Epigr. X, 3, 8, Canus *ascaules*), utres inflabant. Conf. Bulenger. de Theatro, II, 35.

gilii Turnum[3]. Et sunt, qui tradant, Paridem [4] histrionem occisum ab eo, quasi gravem adversarium.

LV. Erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido, sed inconsulta; ideoque multis rebus ac locis vetere appellatione detracta, novam induxit ex suo nomine. Mensem quoque Aprilem Neroneum appellavit[1]. Destinaverat et Romam Neropolin nuncupare[2].

LVI. Religionum usquequaque contemtor, præter unius Deæ Syriæ. Hanc mox ita sprevit, ut urina contaminaret; alia superstitione captus, in qua sola pertinacissime hæsit. Siquidem icunculam[1] puellarem quum quasi remedium insidiarum a plebeio quodam et ignoto muneri accepisset, detecta confestim conjuratione, pro summo numine, trinisque in die sacrificiis, colere perseveravit: volebatque credi monitione ejus futura prænoscere. Ante paucos, quam periret, menses, attendit et extispicio, nec unquam litavit[2].

LVII. Obiit secundo et tricesimo ætatis anno[1], die,

3. *Saltaturumque Virgilii Turnum*, pantomimica saltatione.

4. *Paridem histrionem;* quem Domitiæ libertum dicit Tacit. Annal. XIII, 19. Conf. Xiphil. LXIII, 18.

LV. 1. *Neroneum appellavit.* Post eversam Pisonis conjurationem inter alia a Senatu decretum, « ut mensis Aprilis Neronis cognomentum acciperet, » auctor Tacit. Annal. XV, 74; cf. XVI, 12.

2. *Neropolin nuncupare.* Tacit. Annal. XV, 40, « Videbaturque Nero condendæ urbis novæ et cognomento suo appellandæ gloriam quærere. » Urbem Artaxata a Tiridate Νεράνεια appellatam, narrat Xiphil. LXIII, 7, ubi alias hujus nominis recenset Reimarus.

LVI. 1. *Icunculam.* Lectionem librorum *acunculam* defendit Casaubonus, sed jure exploserunt Burmann. et Oudendorp.

2. *Nec unquam litavit;* οὐκ ἐκαλλιέρησε. Vide not. ad Cæs. 81, et August. 96.

LVII. 1. *Secundo et tricesimo ætatis anno.* Etiam Eutrop. VII, 9, « *tricesimo et altero* ætatis anno, » et Aurel. Victor, Epit. V, 8. Accuratius Græci, ut Xiphil. LXIII, fin. ἐβίω ἔτη τριάκοντα καὶ μῆνας ἐννέα, unde etiam interpres Græcus Eutropii, nescio an ex propria emendatione eaque vera, τριακοστοῦ καὶ ἑνὸς ἔτους τῆς ἡλικίας ἀπώλετο. Nimirum natus mense Decembri ann. 790, ut vidimus ad cap. 6, obiit mense Junio ann. 821, ut adeo,

quo quondam Octaviam interemerat[2], tantumque gaudium publice præbuit, ut plebs pileata[3] tota Urbe discurreret. Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent; ac modo imagines prætextatas in Rostris proferrent, modo edicta, quasi viventis, et brevi magno inimicorum malo reversuri[4]. Quin etiam Vologesus, Parthorum rex, missis ad Senatum legatis de instauranda societate, hoc etiam magno opere oravit, ut Neronis memoria coleretur.

nisi sequi quis maluerit Dodwell. Prælect. Cambden. pag. 253, et Ryck. ad Tacit. Annal. XII, 25, erroris arguentes Suetonium, vel emendantes « *primo* et tricesimo, » cum Oudend. statuendum sit, auctorem ann. 790 pro integro posuisse et annumerasse. Plura de anno et mense mortis vide apud Reimar. ad Xiphil. l. c. Tempus autem imperii silentio prætermissum, ne mireris cum Casaubono, quum significaverit jam auctor initio cap. 40, ubi vide quæ notavimus. — DIDEROT, *Essai sur les règnes*, etc. § 113: « Le monstre n'est « plus. Je m'arrête immobile de« vant son cadavre : à chaque for« fait que je me rappelle, je sens « mon indignation redoubler: mais « que lui importe? il ne me voit « point. C'est en vain que je lui re« proche les meurtres d'Agrippine, « de Burrhus, de Séneque, de Thra« séas, de Vétus et de sa famille; « il ne m'entend plus : les Furies se « sont éloignées; et sa cendre re« pose aussi tranquillement que « celle de l'homme vertüeux. Qui « est-ce qui absoudra les dieux de « sa vie et de la mort de ses insti« tuteurs? Tant de crimes sont-ils « suffisamment expiés par le sup« plice d'un moment? Est-il vrai « que le ciel fit assez pour un Sé« nèque, lorsqu'il le créa bon; et « qu'un Néron en fut assez châtié, « lorsqu'il le créa méchant? Je le « crois; oui, je le crois; et s'il « fallait opter entre le sort d'un « scélérat fortuné, et celui d'un « homme de bien malheureux, « certes, je ne balancerais pas. « Quel est le motif d'un choix « aussi décidé? La persuasion qu'il « n'y a point de méchant qui n'ait « souvent désiré d'être bon, et que « le bon ne désirera jamais d'être « méchant. »

2. *Die, quo.... Octaviam interemerat*. Vide Reimar. ad Xiphilin. LXII, 13.

3. *Ut plebs pileata*, etc. Cf. Aurel. Victor. l. c. Xiphil. LXIII, 29, qui tamen ante ejus mortem hoc factum narrat.

4. *Quasi viventis, et... reversuri*. Tacit. Hist. II, 8, ad ann. 823, « Sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterritæ, velut Nero adventaret, vario super exitu ejus rumore, eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque. » Vide Casaubon. ad locum nostr. qui præter alios citavit Augustin. de Civit. Dei, XX, 19.


Denique, quum post viginti annos[5] adolescente me, exstitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus, et vix redditus sit.

5. *Quum post viginti annos*, etc. Altero post Neronis mortem anno is exstitit, de quo Tacit. Hist. I. c. De pluribus Pseudo-Neronibus vide Casaub. et Pitiscum ad hunc locum, et Reimar. ad Xiphil. LXIV, 9. — De Nerone plura vide in auctoribus, quorum excerpta nonnulla citavimus, Racine, Legouvé, Diderot.

GALBA.



GALBA.



Lagnache del. et dir. Sardenaers sculp.

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N. E. LEMAIRE.

[illegible] Num. Dissert. X, cap. 1.

I. 1. *Progenies...defecit.* Eutrop. VII, 9, « in Nerone omnis familia

Cæsar laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit, ac deinde Imperatores Cæsares cuncti. Traditusque mos est, ramos, quos te-



Laguiche del.^t et dir.^t *Sixdeniers sculp.^t*

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N. E. LEMAIRE.

C. SUETONII TRANQUILLI

SERVIUS* SULPICIUS

GALBA.

I. Progenies Cæsarum in Nerone defecit[1]: quod futurum, compluribus quidem signis, sed vel evidentissimis duobus, apparuit. Liviæ olim[2], post Augusti statim nu-

* *Servius.* Dudum ejecerunt viri docti, quod in multis datur Galbæ, prænomen *Sergium*, ut nomen gentilicium diversæ familiæ. Σερούϊος Σουλπίκιος Γάλβας dicitur Dion. LVI, 29, et Γάλβας ὁ Σερούϊος LVIII, 20; Γάλβας ὁ Σερούϊος ὁ Σουλπίκιος Xiphil. LXIII, 23, quamquam illis etiam locis librorum et editionum est inconstantia. Vide Reimar. ad l. c. et ad init. Xiphil. LXIV. Quod autem Plutarch. Galb. 3, τὸν Σερουίων οἶκον dicit, monuit jam Xylander, ita usitatum Sulpiciæ genti Servium fuisse prænomen, ut prope pro gentili fuerit usurpatum. Cf. Oudend. ad locum nostrum; Schweighæuser. ad Appian. Hispan. 58, et Civ. II, 113; Oberlin. ad Tacit. Hist. II, 48; maxime Spanhem. de Usu et Præstant. Num. Dissert. X, cap. 1.

I. 1. *Progenies...defecit.* Eutrop. VII, 9, « in Nerone omnis familia Augusti *consumta est;* » quod excripsit Oros. VII, 7. Cf. Dio, LVI, 29; Xiphil. LXII, 18.

2. *Liviæ olim,* etc. Plin. XV, 30 (40): « Liviæ Drusillæ, quæ postea Augusta matrimonii nomen accepit, quum pacta esset illa Cæsari, gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam; intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem et sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri, ac rite custodiri. Quod factum est in villa Cæsarum, fluvio Tiberi imposita juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur *ad Gallinas*, mireque silva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit, ac deinde Imperatores Cæsares cuncti. Traditusque mos est, ramos, quos te-

ptias Veientanum suum revisenti, prætervolans aquila gallinam albam, ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium: quumque nutriri alitem, pangi ramulum placuisset, tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa *ad Gallinas* vocetur; tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent: fuitque mos triumphantibus, illas[3] confestim eodem loco pangere: et observatum est, sub cujusque obitum arborem, ab ipso institutam, elanguisse. Ergo novissimo Neronis anno et silva omnis exaruit radicitus, et quicquid ibi gallinarum erat, interiit: ac subinde tacta de cælo Cæsarum æde[4], capita omnibus simul statuis deciderunt; Augusti etiam sceptrum e manibus excussum est.

II. Neroni Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum[1], sed haud dubie nobilissimus[2], magnaque et vetere prosapia, ut qui statuarum titulis PRONEPOTEM se Q. CATULI CAPITOLINI semper adscripserit; Imperator vero etiam stemma in atrio proposuerit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphaen Minois uxorem referret[3].

nuerunt, serendi, et durant silvæ nominibus suis discretæ, fortassis ideo mutatis triumphalibus.» Idem Dio, XLVIII, 52, ad ann. 717.

3. *Illas.* Ita emendandum judicavit Burmann. post Lipsium, qui suaserat *eas*: vulgo, *alias*. Edidit ante nos Wolfius.

4. *Cæsarum æde.* Veneris Genitricis templum intelligit Torrentius. Id, puto, auctor suo nomine appellasset, ut aliis locis. Pantheon aliquod Cæsarum fuisse videtur, de cujus situ et conditore nihil constat, neque multum refert talia explorasse.

II. 1. *Nullo gradu contingens... domum.* Liviam auctore Plutarch. Galb. 3, aliquo modo contingebat. Sed eam cognationem, haud dubie a noverca Galbæ, Livia Ocellina, deducendam (vide cap. 3), jure Noster *ad Cæsarum domum* non refert.

2. *Sed..... nobilissimus.* Tacit. Hist. I, 49, «vetus in familia nobilitas, magnæ opes.» Cf. Plutarch. l. c. — De *Catulo Capitolino* vide supra Cæs. 15; de cognationis ratione mox cap. 3.

3. *Maternam ad Pasiphaen.... referret;* unde de alio Galba Sil. Ital. VIII, 472,

Huic genus orditur Minos, invisaque tauro

III. Imagines et elogia[1] universi generis exsequi longum est: familiæ breviter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit[2], cur, aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hispaniæ, frustra diu oppugnatum, illitis demum galbano facibus succenderit: alii, quod in diuturna valetudine galbeo, id est, remediis lana involutis, assidue uteretur: nonnulli, quod præpinguis fuerit visus, quem *galbam* Galli vocent[3]; vel contra, quod tam exilis, quam sunt animalia, quæ in æsculis nascuntur, appellanturque *galbæ*. Familiam illustravit Servius Galba consularis[4], temporum suorum et eloquentissimus: quem tradunt, Hispaniam ex prætura obtinentem, XXX Lusitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriathini belli causam exstitisse[5]. Ejus nepos, ob repulsam

Pasiphae, clarique dehinc stant ordine patres. Nostro loco Torrentius delendam ducit vocem *maternam*, scribendumque, « paternam originem ad *Minoem ac* Pasiphaen, etc. » mutatione nescio an arbitraria. Ceterum ad hanc originem a Minois, marium domitoris, uxore recte refert Fabricius sigillum Galbæ, de quo Dio, LI, 3.

III. 1. *Elogia;* honores, triumphi, in imaginum titulis scripti.

2. *Qui primus... cognomen Galbæ tulit*, etc. Haud juvat cum Suetonio descendere ad inutilem de cognominis ratione disquisitionem. Maxime probabilis Burmanni est sententia, barbarum nomen censentis, e lingua Celtica in Romanam deductum, quum Liv. XXIII, 26, *Galbum* vel *Galbam*, nobilem Carpesiorum ducem, nominet. Hæsisse igitur videtur Sulpicio cuidam ex insigni victoria, in Hispania de aliquo Galba parta.

3. *Vocent*. Id servandum, quoniam aliorum sententiam refert auctor, ipse linguæ Gallicæ sine dubio ignarus. Alia res est in *nascuntur* et *appellantur*, ubi de re sibi nota loquitur, et vocabulo Latino. Monuerunt hoc jam Oudendorp. et Wolfius contra Ernest. injuria revocantem *vocant*.

4. *Servius Galba consularis;* Consul cum L. Aurelio Cotta ann. 610 (609), non cum M. Æmilio Scauro, ut Ernest. in Clav. Cicer. Vide Pigh. Annal. tom. II, p. 466. Loca autem Ciceronis de ejus eloquentia enumerata vide ab Ernest. l. c.

5. *Quem tradunt... exstitisse;* A. U. 604. Cf. Appian. Hispan. 59, 60, quem injuria Torrentius ad locum nostrum dicit, Lucullo factum id tribuere videri, neglectis, quibus a Lucullo ad Galbam transit Appianus, verbis c. 59, ἐπόρθει δὲ καὶ ὁ Γάλβας ἐπὶ θάτερα, etc. ac taxavit jam Schweighaeus. l. c. er-

consulatus[6] infensus Julio Cæsari, cujus legatus in Gallia fuerat, conspiravit[7] cum Cassio et Bruto: propter quod Pedia lege damnatus est. Ab hoc sunt imperatoris Galbæ avus et pater. Avus clarior studiis quam dignitate: non enim egressus præturæ gradum, multiplicem nec incuriosam historiam edidit. Pater consulatu functus[8], quamquam brevi corpore, atque etiam gibber[9], modicæque in dicendo facultatis, causas industrie actitavit. Uxores habuit Mummiam Achaicam, neptem Catuli, proneptem L. Mummii, qui Corinthum excidit: item Liviam Ocellinam, ditem admodum et pulchram: a qua tamen nobilitatis causa appetitus ultro existimatur, et aliquanto enixius, postquam subinde instanti vitium corporis secreto posita veste detexit, ne quasi ignaram fallere videretur. Ex Achaica liberos, Caium et Servium, procreavit. Quorum major Caius attritis facultatibus Urbe cessit: prohibitus-

rorem Torrentii, eumdemque Fabricii ad Oros. IV, 21. Cf. et Valer. Max. IX, 6, 2, qui *septem* tantum *millia* a Galba partim trucidata, partim vendita dicit, ut corruptus fere in Suetonio numerus videatur, certe nimius. Plura omnino vide apud Pitiscum ad nost. loc. et Duker. ad Liv. Epit. XLIX.

6. *Ob repulsam consulatus.* Hirtius, Bell. Gall. VIII, 50, « ereptum Serv. Galbæ consulatum » dicit, « quod Cæsari conjunctus et familiaritate et necessitudine legationis fuisset, » unde duplicem repulsam Galbam tulisse, statuit Ruben. Elect. I, 27; priorem, de qua Hirtius, inimicis Cæsaris tribuendam, alteram Cæsare Dictatore, de qua Suetonius h. l. Id confirmari videtur verbis Nostri, « cujus legatus... *fuerat.* » Memoratur autem hic Galba sæpius in commentariis Cæsaris, ut III, 1 seq. et Dion. XXXIX, 4.

7. *Conspiravit*, etc. Nominatur inter conjuratos ab Appian. Bell. Civ. II, 113. Cicero, Philipp. XIII, 16, *fortissimum et constantissimum civem* dicit. Ejus epistola est ad Ciceronem de prælio Mutinensi, in collectione, libri X trigesima. — De *lege Pedia* vide Neron. 3.

8. *Pater consulatu functus.* C. Sulpicium Galbam intelligit Torrentius, Consulem ann. 775 cum Haterio Agrippa, quem tamen fratrem, non patrem Imperatoris esse putat Pigh. Annal. tom. III, p. 552. Vide proxime notanda.

9. *Quamquam.... atque etiam gibber*, etc. Macrob. II, 4, « informe gibbo corpus » ei fuisse, et cap. 6, « eloquentia clarum » dicit, « sed quem habitus corporis destrueret. » Idem Augusti et M. Lollii in eum jocos servavit et Orbilii gramma-

que a Tiberio sortiri anno suo proconsulatum, voluntaria morte obiit[10].

IV. Serv. Galba Imperator, M. Valerio Messala[1], Cn. Lentulo Consulibus, natus est, IX Kalendas Januarii, in villa colli superposita[2], prope Terracinam, sinistrorsus Fundos petentibus. Adoptatus a noverca sua, Livium nomen[3] et Ocellæ cognomen assumsit, mutato prænomine. Nam et Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit. Constat, Augustum puero adhuc[4], salutanti

tici. Conf. Sueton. Illustr. Gramm. cap. 9. Pro *quamquam* al. *quam*, e compendio scribendi.

10. *Voluntaria morte obiit.* Tacit. Annal. VI, 40, ad ann. 789, « *C. Galba consularis* et duo Blæsi voluntario exitu cecidere; Galba, tristibus Cæsaris literis provinciam sortiri prohibitus, etc. » ubi quum *consularis* dicatur, verior videtur sententia eorum, qui ann. 775 hunc, non patrem Imperatoris, Consulem fuisse existimant.

IV. 1. *M. Valerio Messala;* sive Messalino: vide elench. Consulum ante Dionis libr. LV. Fuere hi Consules ann. 751, quem vere annum Galbæ natalem fuisse, colligas etiam ex Dion. LVI, 29, ubi Kal. Januar. ann. 767 togam virilem sumsisse dicitur, quibus decimum sextum (non septimum, ut Reimar. ad Xiphil. LXIV, init.) vitæ annum agebat. Repugnat autem oraculum Delphicum (Neron. 40), quo *septuagesimum tertium* annum Nero cavere jubebatur, ab omnibus de Galba intellectum, qui anno mortis Neronis, ab Urbe nempe 821, nonnisi septuagesimum agere poterat, natus 751, et consensus scriptorum, qui *tertio et septuagesimo* ætatis anno eum periisse uno ore affirmant (vide infra ad cap. 23), quum tamen mense Januario ann. 822 interfectum eum esse constet. Nihil restat ad removendam difficultatem, nisi ut oraculum ipsum vel, dum ore tradebatur, corruptum, vel violenta interpretatione ad Galbam relatum, occasionem dedisse errori de septuaginta tribus vitæ annis dicamus, in quo indagando et refutando magnæ etiam diligentiæ scriptores, ut Suetonius, fortasse præ nimia religione elaborare noluerint. Ceterum cf. Oudend. ad h. l. et Reimar. ad Xiphil. LXIV, 1 et 6, ubi nobiscum facere videtur.

2. *Superposita.* Al. *supposita.* Eodem librorum errore August. 31, *Jano supposuit* erat pro *superposuit.*

3. *Livium nomen.* Ita edidimus, quoniam alter Cod. *Liviam* vitiose exhibet. Al. *Livia,* quod recte Oudend. refert ad præcedentia, *a noverca sua,* suppleto ad nomen vel *Livii,* vel *Livium.* Al. *Livii,* puto ex emendatione. — Pro *Ocellæ,* al. *Ocellare,* quod præplacet. Non enim *Ocellam*, sed *Ocellum* cognominatum existimo, et facilis fuit ab adjectivo *Ocellare* ad genitivum *Ocellæ* lapsus.

4. *Augustum puero adhuc,* etc. Si *puero adhuc* prædictum, Augusti

se inter æquales, apprehensa buccula dixisse, καὶ σύ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Sed et Tiberius, quum compeφrisset, imperaturum eum, verum in senecta, « Vivat sane, » ait, « quando id ad nos nihil pertinet[5]. » Avo quoque ejus fulgur procuranti[6], quum exta de manibus aquila rapuisset, et in frugiferam quercum contulisset, responsum est, summum, sed serum, imperium portendi familiæ. Et ille irridens, « Sane, » inquit, « quum mula pepererit. » Nihil æque postea Galbam tentantem res novas confirmavit, quam mulæ partus[7]: ceterisque ut obscœnum ostentum abhorrentibus, solus pro lætissimo accepit, memor sacrificii, dictique avi. Sumta virili toga[8], somniavit Fortunam dicentem[9], « stare se ante fores defessam, et nisi ocius reciperetur, cuicunque obvio prædæ futuram. » Utque evigilavit, aperto atrio, simulacrum æneum Deæ, cubitali majus, juxta limen invenit: idque gremio suo

vocem fuisse ob temporis rationem necesse est. Reliqui scriptores omnes Tiberio præsagium illud tribuunt. Tacit. Annal. VI, 20, « Non omiserim præsagium *Tiberii* de Serv. Galba, *tum Consule* (ann. 786); quem accitum et diversis sermonibus pertentatum, postremo Græcis verbis in hanc sententiam allocutus, *Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium*, seram ac brevem potentiam significans, scientia Chaldæorum artis, etc. » Cf. Dio, LVII, 19; Xiphil. LXIV, 1; Joseph. Antiq. XVIII, 6, 9. Videtur accuratissimus Suetonius, qui duplex, quod fama ferebat, præsagium, et Augusti de puero, et repetitum a Tiberio de viro et Consule, conjunxit, additis, quæ singularia erant Tiberio. Ceterum, vide Lips. et Ernest. ad Tacit. l. c. Pro παρατρώξῃ, alii παραγεύσῃ, quod e Dione translatum videtur pro glossemate. In plerisque, ut assolet, verbum misere est corruptum.

5. *Quando id ad nos nihil pertinet.* Vide Dion. LVII, 19.

6. *Fulgur procuranti;* expianti, propitiantique per procurationes. Vide Senec. Natur. Quæst. II, 33 seq. qui cap. 35 *expiationes procurationesque* conjungit.

7. *Nihil æque postea... quam mulæ partus;* in Hispania, ut diserte Xiphil. LXIV, 1. — De mulæ partu, *obscœno* h. e. fœdo tristive prodigio, vide Plin. Hist. Nat. VIII, 44 (69), ibique Harduin., et quos excitat Reimarus ad Xiphil. l. c.

8. *Sumta virili toga;* secundum Dion. LVI, 29, Kalendis Januariis ann. 767.

9. *Somniavit Fortunam dicentem*, etc. Non memorato tempore somnii, idem Xiphil. LXIV, 1.

Tusculum, ubi æstivare consuerat, avexit, et in parte ædium consecratum, menstruis deinceps supplicationibus et pervigilio anniversario[10] coluit. Quamquam ætate[11] nondum constanti, veterem civitatis exoletumque morem, ac tantum in domo sua hærentem, obstinatissime retinuit, ut liberti servique bis die frequentes adessent, ac mane salvere, vesperi valere sibi singuli dicerent.

V. Inter liberales disciplinas attendit et juri[1]. Dedit et matrimonio operam: verum, amissa uxore Lepida[2], duobusque ex ea filiis, remansit in cælibatu, neque sollicitari[3] ulla conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem, viduatæ morte Domitii, quæ maritum quoque adhuc necdum cælibem[4], Galbam adeo omnibus sollicitaverat modis, ut in conventu[5] matronarum correpta jurgio, at-

10. *Et pervigilio anniversario.* Forte ea ipsa nocte, qua simulacrum invenerat, ut opinatur Muller.

11. *Quamquam ætate*, etc. In plerisque est *autem* post *Quamquam*, h. l. prorsus ineptum, quum nullus sequentium nexus sit cum superioribus. Auctoritate MSS. omisere Burmann. Oudend. Ernestius.

V. 1. *Inter.... et juri.* Assentiri nequeo Wolfio, cui hæc displicent ut abrupte interjecta. Inserit auctor, sed brevius, quoniam nihil scripti reliquit Galba, ut superiores Imperatores, quid egerit inde ab ætate virili, sive sumta toga, usque ad matrimonium.

2. *Uxore Lepida.* Patrem quum auctor significare neglexerit, vanæ sunt et erunt de hac Lepida virorum doctorum quæstiones.

3. *Sollicitari*; induci, persuaderi. *Conditionem* proprio vocabulo dicimus *un parti*.

4. *Necdum cælibem*. E glossa judicant hæc verba intrusa, vel damnant, ut molestum tautologiam. Verum condonanda ea cum Walthero, Observ. pag. 27, puto scriptori, quum optimo cuique talia excidant, maxime ubi novo vocabulo intenditur vis orationis, ut h. l. indignantem vides turpi feminæ. Apte etiam comparat Walther. Neron. 7, *Tener adhuc, necdum matura pueritia.* Mutatione Oudendorp. « *nedum* cælibem » non video quid proficias.

5. *In conventu.* Ita ex Memm. et optimo quoque libro Oudend. et Ernest. Vulgo *inter conventum*, quod cum Dukero ad Flor. II, 6, 41, defendit Burmann. Sed *inter*, ubi est pro *in*, semper duo vel loca, vel tempora ponit, quæ conjunguntur hoc vocabulo, quod valet in sententiis, *inter cœnam*, *inter cerimonias*, et similibus, quas vocab. *dum* et verbo circumscribi posse, ostendit Oudendorp. Vide etiam, quæ notavit Ernestius.

que etiam manu pulsata sit a matre Lepidæ. Observavit ante omnes Liviam Augustam: cujus et vivæ gratia plurimum valuit, et mortuæ testamento pæne ditatus est: sestertium namque quingenties quum præcipuum inter legatarios habuisset, quia notata, non perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hæc quidem accepit[6].

VI. Honoribus ante legitimum tempus initis, Prætor commissione[1] ludorum Floralium, novum spectaculi genus, elephantos funambulos[2], edidit; exin provinciæ Aquitaniæ anno fere præfuit[3]: mox consulatum per sex menses ordinarium gessit[4]: evenitque, ut in eo ipse Cn.

6. *Sestertium namque... ne hæc quidem accepit*. Wolf. plura in h. l. mendosa judicat, et bonos Codd. prope evidentem facere emendationem, quam in textu posuerit. Sed immemor notulæ, reliquit textum, qualem superiores editores et nos reddidimus. Num forte ad Memm. libri fidem scripturus erat, « Sestertium namque quingenties præcipuum inter legatarios *habuit*. *Sed* quia, etc.? » Sed vulgatus textus ob ipsam brevitatem Suetonianus mihi videtur, et omnia clara, modo participium *revocante* intellexeris pro *quum revocasset*. Sæpius enim Noster, Græcam brevitatem æmulans, quam impedit in Latinis participiorum penuria, præsentis participio utitur pro perfecto, ut Cæs. 65 *admonens* pro κελεύσας, et alibi. In reliquis nota *præcipuum*, scil. *legatum*, præ reliquis *legatariis*, in quo latet illud vocabulum. Deinde *notata* summa est signo numeri D significata, non literis *perscripta* (*indiquée en chiffres, et non spécifiée en toutes lettres*), in qua re nunc etiam in instrumentis pecuniariis justam cautionem adhibemus, ob corruptelæ vel falsæ interpretationis periculum. Denique minuendam plerique duxere summam, et scribendum *quinquagies* et mox *quinquaginta*, quod non absonum videtur, quamquam cavendum est, ne Romanas divitias ex nostra paupertate æstimemus.

VI. 1. *Prætor commissione*, etc. ex instituto Augusti, ut recte notat Ernest., de quo Dio, LIV, 2. *Florales ludos* a L. Sejano Prætore editos narrat Dio, LVIII, 19. Plura de his ludis, IV Kal. Mai. quotannis celebrari solitis, vide apud Rosin. Ant. Rom. V, 15.

2. *Elephantos funambulos;* quos jam invenimus Neron. cap. 11.

3. *Exin... Aquitaniæ... præfuit*; ann. 784, Tiberio V et L. Ælio Sejano Coss., ut statuit Pigh. Annal. tom. III, pag. 559.

4. *Mox consulatum...gessit;* cum L. Cornelio Sulla, ann. 786. *Ordinarii* Consules erant, qui Kal. Januar. magistratum auspicantes no-

Domitio[5], patri Neronis, ipsi Salvius Otho, pater Othonis, succederet, velut præsagium insequentis casus, quo medius inter utriusque filios exstitit Imperator. A Caio Cæsare Gætulico[6] substitutus, postridie quam ad legiones venit, sollemni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera[7], « ut manus pænulis continerent. » Statimque per castra jactatum est,

Disce, miles[8], militare, Galba est, non Gætulicus.

Pari severitate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tironem[9] militem opere assiduo corroboravit: matureque barbaris, qui jam in Galliam usque proruperant, coercitis, præsenti quoque Caio[10] talem et se et exercitum approbavit, ut inter innumeras contractasque ex omnibus provinciis copias, neque testimonium, neque præmia ampliora ulli perciperent: ipse maxime insignis, quod campestrem decursionem scuto moderatus[11], etiam ad

men anno dabant. His opponuntur *suffecti*.

5. *Cn. Domitio. Cneium* prænomen cum Ernestio e Neron. cap. 1 et Fastis posuimus pro *Lucio*. Otho in multis vitiose *Silvius* vel *Sylvius* dicitur.

6. *Gætulico*. Restituit hoc nomen Turneb. Advers. V, 2, et XXIV, 41, quum libri nil nisi corrupta exhibeant. Diximus de *Gætulico* ad Calig. 8, et Claud. 9. Galbæ imperium in Germania memorant Dio, LX, 8, ad ann. 794; Plutarch. Galb. 3; Tacit. Hist. I, 49, « dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit. » Substitutum Gætulico ann. 792, Caio II et L. Apronio Coss. censet Pighius, Annal. tom. III, pag. 568.

7. *Data tessera;* « per libellum, » ut loquitur Tiber. c. 18 (*par un ordre du jour*).

8. *Disce, miles*, etc. Versus, quales legimus Cæs. 51 et 80, tam parum metro adstrictos, ut hoc etiam loco non admittenda videatur emendatio Dorvillii, *Galba, non Gætulicu'st*, quæ ex parte medetur numeris. Antea Sext. Aurelius, Epit. c. 6, « Disce militare, miles, etc. »

9. *Veteranum ac tironem*, etc. Vanæ sunt suspiciones de corruptela loci Burmanni et Oudendorp. Emolliverat totum exercitum Gætulicus, « effusæ clementiæ, modicus severitate, » ut Tacit. Annal. VI, 30, unde universa medela opus.

10. *Præsenti quoque Caio*, etc. Vide Calig. 43; Dion. LIX, 21.

11. *Quod... decursionem... moderatus. Moderari decursionem*, mili-

essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.

VII. Cæde Caii nunciata, multis ad occasionem stimulantibus, quietem prætulit. Per hoc gratissimus Claudio, receptusque in cohortem amicorum, tantæ dignationis est habitus, ut, quum subita ei valetudo, neque adeo gravis, incidisset, dilatus sit expeditionis Britannicæ[1] dies. Africam Proconsule biennio obtinuit[2], extra sortem electus ad ordinandam provinciam, et intestina dissensione et barbarorum tumultu inquietam: ordinavitque magna severitatis ac justitiæ cura, etiam in parvulis rebus. Militi, qui per expeditionem artissima annona residuum cibariorum tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simul atque indigere cibo cœpisset, a quoquam opem ferri: et is fame extabuit. At in jure dicendo, quum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrinque argumentis et testibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, ejus esset, ad quem sponte se a potu recepisset.

VIII. Ob res, et tunc in Africa, et olim in Germania gestas, ornamenta triumphalia accepit, et sacerdotium triplex, inter Quindecimviros[1] sodalesque Titios, item

tibus præire, præmonstrare motus omnes, scuto decurrentes regere. Cf. ad Neron. cap. 7. — *Etiam ad essedum ... cucurrit.* Vide not. ad Calig. 26.

VII. 1. *Expeditionis Britannicæ.* Vide Claud. 17.

2. *Africam .... obtinuit.* Tacit. Hist. I, 49, « Pro Consule Africam moderate .... continuit. » Cf. Plutarch. Galb. 3. De forma *Proconsule* vide not. ad Cæs. 54. Ad M. Vinicium II et M. Statilium Corvinum (ann. 798) proconsulatum ejus refert Pighius, Ann. tom. III, p. 575.

VIII. 1. *Quindecimviros.* Cf. ad Cæs. 79. — De *sodalibus Titiis* Tacit. Annal. I, 54, « Idem annus novas cerimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio; ut quondam *T. Tatius* retinendis Sabinorum sacris *sodales Titios instituerat;* » immemor sui, vel alium, ut videtur, auctorem secutus Hist. II, 95, ubi, « Augustalium sacerdotium, ut *Romulus Tatio regi,* ita Cæsar Tiberius Juliæ genti sacravit. » Cf. Rosin. Ant. Rom. III, 14.

Augustales, cooptatus: atque ex eo tempore prope ad medium Neronis principatum in secessu plurimum vixit; ne ad gestandum[2] quidem unquam aliter iter ingressus, quam ut secum vehiculo proximo[3] decies sestertium in auro efferret, donec in oppido Fundis moranti Hispania Tarraconensis oblata est[4]. Acciditque, ut, quum provinciam ingressus sacrificaret intra ædem publicam, puero e ministris, acerram tenenti, capillus repente toto capite canesceret[5]. Nec defuerunt, qui interpretarentur, significari rerum mutationem, successurumque juveni senem, hoc est, ipsum Neroni. Non multo post in Cantabriæ lacum fulmen decidit: repertæque sunt duodecim secures, haud ambiguum summi imperii signum.

IX. Per octo annos[1] varie et inæquabiliter provinciam rexit. Primo acer, vehemens, et in coercendis quidem de-

De *sodalibus Augustalibus* præter Taciti loc. cit. vide quæ diximus ad Claud. cap. 6.

2. *Ad gestandum;* passive, ut Sallust. Jug. 62, « quum ipse *ad imperandum* Tisidium vocaretur, » ubi vide Cort. cum magna tamen cautione legendus, quoniam multa exempla more suo attulit, ad rem nihil facientia, diversique prorsus generis, ut omnia primo loco posita usque ad Cicer. Epist. IX, 25, a quo meliora incipiunt. Ceterum, Suetonius non insolentiori dicendi modo in eo utitur, quam quum *prætervehens* passive dicit, id quod sæpius facit. Mox *aliter* addidimus, quod alter Cod. exhibet, cum Rob. Steph. Græv. Oudendorp. et quod, omisso illo, *nisi* sequi debebat, non *quam*, ut recte monet Oudend., et quod sequens *iter*, cur exciderit ejusdem soni vox, clarissime docet. Alii vocab. *iter* ejiciendum censuerunt, ortum existimantes ex *aliter*, et *ingressus* cum Lipsio, Misc. Cent. III, Ep. II, mutandum in *egressus*.

3. *Vehiculo proximo;* h. e. lecticam, qua gestabatur, proxime sequenti, quod non viderunt, qui cum Torrentio ineptissime scribendum duxere « *e* proximo » scil. loco, sensus loci prorsus ignari.

4. *Donec.... Hispania ... oblata est.* Conf. Plutarch. Galb. 3. Tacit. Hist. I, 49, « jam senior citeriorem Hispaniam pari justitia continuit. » Adiit Hispaniæ imperium ann. 814, ut patet etiam ex initio sequentis cap. Cf. Pigh. tom. III, p. 595.

5. *Acciditque, ut... capillus... toto capite canesceret.* Vide Xiphil. LXIV, 1.

IX. 1. *Per octo annos*, etc. ab ann. 814, usque ad 821, annumerato more Romanorum anno, quo adiit provinciam, et quo decessit. Etiam consentit Plutarch. Galb. 4.

lictis vel immodicus. Nam et nummulario, non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensæque ejus affixit, et tutorem, quod pupillum, cui substitutus heres erat, veneno necasset, cruce affecit: implorantique leges, et civem Romanum se testificanti [2], quasi solatio et honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter ceteras altiorem et dealbatam statui crucem jussit. Paulatim in desidiam segnitiemque conversus est, ne quid materiæ præberet Neroni, et, ut dicere solebat, « quod nemo rationem otii sui reddere cogeretur. » Carthagine nova conventum agens, tumultuari Gallias comperit, Legato Aquitaniæ auxilia implorante. Supervenerunt et Vindicis literæ [3], hortantis, « ut humano generi assertorem ducemque se accommodaret. » Nec diu cunctatus, conditionem, partim metu, partim spe [4], recepit. Nam et mandata Neronis de nece sua ad procuratores clam missa deprehenderat; et confirmabatur quum secundissimis auspiciis et ominibus, tum virginis honestæ vaticinatione; tanto magis, quod eadem illa carmina sacerdos Jovis Cluniæ [5] ex penetrali, somnio monitus, eruerat, ante ducentos annos similiter a fatidica puella pronunciata. Quorum carminum sententia erat, « Oriturum quandoque ex Hispania Principem dominumque rerum. »

2. *Implorantique leges, et... testificanti.* Cf. Cicer. Verr. V, 57, 62, 65, etc.

3. *Supervenerunt et Vindicis literæ*, etc. Interpunxerunt post *implorante*, et e Codd. restituerunt *et* post *Supervenerunt* Oudend. et Ernestius, quum in vulg. legas: « comperit. Legato Aquitaniæ auxilia implorante, supervenerunt Vindicis literæ, etc. » Ceterum, cf. Plutarch. Galb. 4, et Xiphil. LXIII, 23. Dubitanti gravissimus inter amicos, ut rem susciperet, auctor fuit T. Vinnius, cujus verba vide apud Plutarchum, l. c.

4. *Partim metu, partim spe.* Ex more Suetonii *metu* referendum est ad verba, « Nam et mandata.... deprehenderat; » *spe* ad auspicia, omina, vaticinia, quæ proxime enarrantur.

5. *Cluniæ.* Plutarch. Galb. 6, Κολουνίαν, Ἰβηρικὴν πόλιν, dicit, cujus loci æque ac nostri immemor fuit Cellar. Geogr. Ant. II, 1, pag. 120.

X. Igitur quum quasi manumissioni vacaturus[1] conscendisset tribunal, propositis ante se damnatorum occisorumque a Nerone quam plurimis imaginibus, et adstante nobili puero, quem exsulantem e proxima Baleari insula ob id ipsum acciverat, deploravit temporum statum, consalutatusque IMPERATOR, «Legatum se Senatus ac populi Romani,» professus est. Dein justitio indicto, e plebe quidem provinciæ legiones et auxilia conscripsit, super exercitum veterem legionis unius[2], duarumque alarum, et cohortium trium : at e primoribus prudentiaque et ætate præstantibus, velut instar Senatus, ad quos de majore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit et equestris ordinis juvenes, qui, manente anulorum aureorum usu[3], Evocati[4] appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per provincias edicta dimisit, auctor singulis universisque conspirandi simul, et ut, qua posset quisque opera, communem causam juvarent. Per idem fere tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus est anulus opere antiquo, sculptura[5] gemmæ

X. 1. *Quasi manumissioni vacaturus.* Ita enim edixerat, veluti boni ominis causa, quod libertatem generis humani asserere in animo haberet. Cf. Plutarch. cap. 5.

2. *Legionis unius.* Tacit. Hist. I, 6, « inducta *legione Hispana*, » et apud eumdem, cap. 16, Galba: « Nero, quem longa Cæsarum serie tumentem, non Vindex cum inermi provincia, aut ego *cum una legione*, sed sua immanitas, sua luxuria, cervicibus publicis depulere, etc. » ubi vide Lips. et Ernest. qui trium, quæ antea ibi fuerant, legionum numerum, pacata provincia, ad unam redactum, eamque *sextam* fuisse, ex Histor. V, 16, docent.

3. *Manente anulorum aureorum usu;* h. e. salvo Equitum Romanorum jure.

4. *Evocati.* Conf. Dio, XLV, 12, et LV, 24, ubi Ἀνακλήτους vere eos appellat; Fabric. ad loc. cit. et quos ad nostrum excitavit Pitiscus. Singulare hoc sub Galba fuisse militum genus, vetere tantum et honorifico nomine insignitum, res docet.

5. *Sculptura.* Ita edidi cum Oudend. quamquam optimi Codd. habent *scalptura*, ut mihi constarem, postquam illam formam exhibui

Victoriam cum tropæo exprimente. Ac subinde Alexandrina navis Dertosam[6] appulit, armis onusta, sine gubernatore, sine nauta ac vectore ullo: ut nemini dubium esset, justum piumque, et faventibus Diis, bellum suscipi; quum repente ex inopinato[7] prope cuncta turbata sunt. Alarum altera castris appropinquantem, pœnitentia mutati sacramenti, destituere conata est, ægreque retenta in officio: et servi, quos, a liberto Neronis ad fraudem præparatos, muneri acceperat, per angiportum in balineas transeuntem pæne interemerunt, nisi[8] cohortantibus invicem, ne occasionem omitterent, interrogatisque, de qua occasione loquerentur, expressa cruciatu confessio esset.

XI. Accessit ad tanta discrimina mors Vindicis[1], qua maxime consternatus, destitutoque similis, non multum abfuit, quin vitæ renunciaret. Sed supervenientibus ab Urbe nunciis[2], ut occisum Neronem, cunctosque in verba sua jurasse, cognovit; deposita LEGATI, suscepit CÆSARIS appellationem[3]: iterque ingressus est paluda-

August. 50, et Neron. 46, ubi vide not. Conf. Oudend. et Wolf. ad hunc locum.

6. *Dertosam*. Ita restituit corruptam lectionem Turneb. Advers. XXIV, 41. De hac urbe vide Cellar. II, 1, pag. 139. Rem narrat Xiphil. LXIV, 1. Ceterum, ineptam mutationem Buleng. de Prodig. I, corrigentis *subinde* in *sub id*, accinente Pitisco, jam damnaverunt Duker. ad Flor. II, 10, ubi exponitur de usu hujus particulæ, et Oudend. ad nost. loc.

7. *Ex inopinato*. Male de glossa et pleonasmo cogitat Ernestius. *Repente* tempus significat, et *ex inopinato* rem, quæ pæne cuncta repente turbasset, nemini exspectata.

8. *Pæne interemerunt, nisi*, etc. Injuria h. l. de Latinitate dictionis dubitant post exempla Cæs. 52 et 58, ubi vide. Cf. exempla a Casaubono allata.

XI. 1. *Accessit ... mors Vindicis;* qui, copiis suis ab exercitu Virginii Rufi ad Vesontionem magna strage afflictis, idque invito duce, se ipsum interemit. Vide Xiphil. LXIII, 24, et Plutarch. 6.

2. *Sed supervenientibus... nunciis*, etc. Plutarch. 7, prius libertinum quemdam Siculum, cui postea *Marciani Iceli* nomen (vide cap. 14), et duobus diebus post T. Vinnium hæc Galbæ nunciasse, narrat.

3. *Suscepit Cæsaris appellationem*. Primum Galbam *Cæsaris* no-

tus, ac dependente a cervicibus pugione[4] ante pectus; nec prius usum togæ recuperavit[5], quam oppressis, qui novas res moliebantur, Præfecto prætorii Nymphidio Sabino[6], Romæ; in Germania, Fonteio Capitone; in Africa, Clodio Macro[7], legatis.

XII. Præcesserat de eo fama sævitiæ simul atque avaritiæ[1]: quod civitates Hispaniarum Galliarumque, quæ cunctantius sibi accesserant, gravioribus tributis, quasdam etiam murorum destructione, punisset; et præpositos procuratoresque[2] supplicio capitis affecisset cum con-

men, quod gentilicium usque ad Neronem fuerat, publicum dignitatis et imperii fecisse Ernest. jam notavit, citato Joseph. Ant. Jud. VIII, 6, 2.

4. *Ac dependente... pugione*, etc. In urbana etiam vita morem istum videtur postea retinuisse. Irrisum eum fuisse notat Xiphil. LXIV, 3, quod senex quum esset, et valetudini nervorum obnoxius, in omni itinere gladium suspensum gestaret.

5. *Recuperavit;* repetiit. Notanda vox.

6. *Nymphidio Sabino.* Tacit. Hist. I, 5: « Miles urbanus... pronus ad novas res, scelere insuper Nymphidii Sabini Præfecti, imperium sibi molientis, agitatur. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus, etc. » Plurimus de hujus hominis (de quo adeundus etiam Tacit. Ann. XV, 72) superbia atque conatibus est Plutarch. Galb. 8 seq. usque ad cap. 14, quo in ipsis castris occisum narrat. Xiphil. LXIV, 2, vel negligentius in excerpendo Dione est versatus, vel interciderunt quædam in libris.

7. *Fonteio Capitone..... Clodio Macro.* Tacit. Hist. I, 7: « Forte congruerat, ut Clodii Macri et Fonteii Capitonis cædes nunciaretur. Macrum, in Africa haud dubie turbantem, Trebonius Garucianus Procurator jussu Galbæ; Capitonem in Germania, quum similia cœptaret, Cornelius Aquinus et Fabius Valens, legati legionum, interfecerant, antequam juberentur. » Cf. Plutarch. 15, et Xiphil. l. c. Ceterum Otho in oratione apud Tacit. Hist. I, 37, plures memorat a Galba occisos, Obultronium Sabinum et Cornelium Marcellum in Hispania, Betuum Chilonem in Gallia, Fonteium Capitonem in Germania, Clodium Macrum in Africa, Cingonium in via, Turpilianum in Urbe, Nymphidium in castris. Vide etiam ad cap. proximum.

XII. 1. *Avaritiæ.* De ea vide Reimar. ad Xiphil. LXIV, 2.

2. *Et præpositos procuratoresque*, etc. Illi militiæ præfecti (Tacit. Hist. I, 36, Tribunos et Centuriones *præpositos* dicit; nos, *officiers*); *procuratores* fiscum Principis in provinciis curabant: vide ad Claud. 12. Ceterum Tacit. Annal. I, 6, « Tardum Galbæ iter et cruentum,

jugibus ac liberis; quodque oblatam a Tarraconensibus e vetere templo Jovis coronam [3] auream librarum quindecim conflasset, ac tres uncias, quæ ponderi deerant, jussisset exigi. Ea fama et confirmata et aucta est, ut primum Urbem introiit. Nam quum classiarios [4], quos

interfectis Cingonio Varrone, Consule designato (de quo vide etiam Plutarch. Galb. 14), et Petronio Turpiliano, Consulari. Ille, ut Nymphidii socius, hic, ut dux Neronis, inauditi atque indefensi, tanquam innocentes, perierant.» Eumdem vide, c. 37, de quo loco proxime mentionem injeci, ubi occisi a Galba nominantur.

3. *Oblatam... coronam.* Rejicula est, in qua commendanda valde laborat Ernestius, lectio *ablatam.* Non de sacrilegiis rapinisque Galbæ sermo est, sed de avaritia, quæ sordidissima apparebat in conflando atque ad pondus exigendo dono. Oblata est corona fortasse in memoriam vaticinii, de quo cap. 9, et quod Hispani Principem ex patria sua profectum sibi gratulabantur. Pondus autem (nam de hoc etiam quærunt satis curiosi interpretes) scire poterat Galba vel ex tabula in templo suspensa, quæ indicem continebat donariorum et ponderum, ut post Dorvillium censet Ernestius, vel ex literis, quod magis credo, a Tarraconensibus dono adjunctis, ne a perferentibus fraus fieret.

4. *Classiarios;* qui, auctore Plutarch. beneficio Neronis facti justi milites, in unam legionem fuerant adscripti. Xiphil. autem, LXIV, 3, parum accurate in excerpendo Dione versatus esse videtur, dum τοὺς δορυφόρους τοῦ Νέρωνος illos dicit, ut monuit jam Reimar. ad h. l. Tacit. Hist. I, 6, «Introitus in Urbem, *trucidatis tot millibus inermium militum*, infaustus omine, atque ipsis etiam, qui occiderant, formidolosus.» Cf. cap. 37, et c. 31, «*Legioni classicæ* diffidebatur, infestæ ob cædem commilitonum, *quos primo statim introitu trucidaverat Galba.*» Tumultuarii hi erant milites, quos Nero in extremo discrimine ex nautis remigibusque collegerat, non confundendi cum justis militibus, Miseni atque Ravennæ classibus impositis. Præterea ex his ipsis a Nerone recens conscriptis magna pars, quæ Romæ remanserat, Galbæ erga Neronianos crudelitatem evasit (unde Tacit. I, 7, *remanente ea legione, quam e classe Nero conscripserat*, ubi statim post cædem illam de militibus Romæ congregatis agit), et simul cum residuis ex cæde *legionem classicam* efficiebat, quæ postea, prætorianis adjuncta, Othonis partes amplectebatur (Tacit. Annal. I, 31), qui (Tacit. Annal. I, 86) «reliquos cæsorum ad pontem Milvium, et sævitia Galbæ in custodia habitos, in numeros legionis composuit, facta et ceteris spe honoratioris in posterum militiæ,» et a Vitellio in Hispaniam missa dicitur ab eodem, II, 67. Vide Reimar. ad Xiphil. LXIV, 3, qui plurimas de classiariis difficultates expediit, et Oudend. ad locum nost.

Nero ex remigibus justos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret; recusantes, atque insuper aquilam et signa pertinacius flagitantes [5], non modo immisso equite disjecit [6], sed decimavit etiam. Item Germanorum cohortem [7], a Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis fidelissimam, dissolvit, ac sine ullo commodo remisit in patriam, quasi Cn. [8] Dolabellæ, juxta cujus hortos tendebat, proniorem. Illa quoque, verene an falso, per ludibrium jactabantur, apposita lautiore cœna ingemuisse eum; et ordinario quidem dispensatori, breviarium rationum offerenti, parapsidem [9] leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse; Cano autem choraulæ, mire placenti, denarios quinque donasse [10], prolatos manu sua e peculiaribus loculis suis.

XIII. Quare adventus ejus non perinde gratus fuit, idque proximo spectaculo apparuit: siquidem [1] Atellanis notissimum canticum exorsis, « Venit io! Simus [2] a villa; »

5. *Atque insuper aquilam... flagitantes;* « signa, inquit Plutarch. l. c. legioni suæ flagitantes, et locum ubi tenderent. » Xiphil. l. c. ἠξίουν ἐν τῇ αὐτῇ στρατείᾳ φυλαχθῆναι, quod, manifestum est, non ad τοὺς δορυφόρους ibi nominatos pertinere, sed ad ἐρέτας, Xipbilini vel librarii errore omissos.

6. *Non modo... disjecit,* etc. Cf. Plutarch. et Xiphil. qui non equitem, sed peditem immissum dicit, adeoque ista Galbæ sævitia periisse illorum ad *septem millia* (quod jure Casaubono veritatis modum excedere videtur), præter ingentem eorum numerum, qui tunc liberati, mox decimati sunt.

7. *Germanorum cohortem*, etc. Cf. ad August. 49, et Calig. 58.

8. *Cn. Dolabellæ;* quem simul cum Othone et Pisone adoptionem Galbæ ambiisse, auctor Plut. 23. *Propinquum Galbæ* dicit Tacit. H. I, 88, et ab Othone custodiæ datum, mox Vitellii jussu occisum: II, 63.

9. *Parapsidem.* Al. *paropsidem*, sueta scribendi diversitate.

10. *Cano... donasse*, etc. Cf. Plutarch. 16. Xiphilinus autem, LXIV, 2, tantam Galbæ avaritiam fuisse dicit, ut aliquando muneri daret amicis non denarios integros, sed asses duos trésve.

XIII. 1. *Atellanis;* h. e. auctoribus Atellanarum, de quibus vide ad Tiber. 45: — Pro *exorsis*, ante Beroaldum legebatur *exorsus*, haud dubie e vitio. Casaub. excidisse putabat *St*, silentii signum apud comicos, ante *venit*.

2. *Venit io! Simus*, etc. In loco

cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt; ac sæpius versu repetito egerunt.

XIV. Majore adeo et favore et auctoritate adeptus est, quam gessit, imperium; quamquam multa documenta egregii Principis daret[1]: sed nequaquam tam grata erant, quam invisa, quæ secus fierent. Regebatur trium arbitrio[2], quos una et intra Palatium habitantes, nec unquam

corrupto dubiæque lectionis plurimorum secutus sum auctoritatem, atque *io* ita dolorem et indignationem significat, quem usum exemplis comprobant Burmann. ad Ovid. Art. Amat. III, 742; Fast. IV, 447; Barth. ad Stat. Theb. III, 211; Drakenb. ad Sil. Ital. V, 654. Gronov. legere malebat: *Venit ohe simus*, etc. Mihi etiam præplacet, quod post Ant. Augustinum commendavit Muretus, Var. Lect. XV, 11, et recepit Oudendorpius, probante Wolfio, ex lectione optimorum Codd. corrupta *venitionesimus* erutum, *Venit io Onesimus a villa*, quoniam *Onesimus*, usitatum villicorum nomen, *parci* et *avari* significationem continet. Quamcumque lectionem receperis, sensus est facilis. Referebant ad Galbam, qui in secessu, mox in Hispanica militia latuerat, sævum et avarum, quod in fabula dictum fuerat de homine rustico et sordido, cum magno suorum dolore in Urbem revertente; unde et *voce retulerunt* spectatores carmen, et *egerunt*, hoc est, histrionis, argumentum gestibus exprimentis, actionem (vide Neron. cap. 39, de *Dato*) imitati sunt.

XIV. 1. *Quamquam multa documenta egregii Principis daret.* Ad ea pertinent supplicia Neronianorum, de quibus vide Plutarch. 17, et Xiphil. LXIV, 3. Ac plura laude digna refert laudatus jam a Reimaro ad l. c. Zonaras, pag. 571, C.

2. *Regebatur trium arbitrio*, etc. Tacit. Hist. I, 13: « Potentia principatus divisa inter *T. Vinium*, Consulem, et *Cornelium Laconem*, Prætorii Præfectum. Nec minor gratia *Icelo*, Galbæ liberto, quem anulis donatum, equestri nomine Martianum vocitabant. » Conf. Xiphil. LXIV, 2. De *T. Vinio*, vel *Vinnio*, vide Plutarch. Galb. 7, 10, 12, 16, aliisque locis plurimis. Cf. etiam ad Claud. 32. Brevem vitæ hominis historiam dat Tacit. Hist. I, 48. — De *Cornelio Lacone* vide Plutarch. 13 et 29. Tacit. Hist. I, 6: « Invalidum senem T. Vinius et *Cornelius Laco*, alter deterrimus mortalium, *alter ignavissimus*, odio flagitiorum (Vinii) oneratum, contemtu inertiæ (Laconis) destruebant. » Idem, cap. 26, « Multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa; quædam apud Galbæ aures Præfectus Laco elusit, ignarus militarium animorum, consiliique quamvis egregii, quod non ipse afferret, inimicus, et adversus peritos pervicax. » De *assessoribus* judiciorum lege Hei-

non adhærentes, pædagogos vulgo vocabant. Hi erant T. Vinius, legatus ejus in Hispania, cupiditatis immensæ: Cornelius Laco, ex assessore Præfectus prætorii, arrogantia socordiaque intolerabilis: libertus Icelus, paulo ante anulis aureis et Marciani cognomine ornatus, ac jam summæ equestris gradus candidatus. His, diverso vitiorum genere grassantibus, adeo se abutendum permisit et tradidit, ut vix sibi ipse constaret: modo acerbior parciorque, modo remissior ac negligentior, quam conveniret Principi electo, atque illud ætatis. Quosdam claros ex utroque ordine viros, suspicione minima, inauditos condemnavit[3]. Civitatem Romanam raro dedit: jura trium liberorum[4] vix uni atque alteri; ac ne his quidem, nisi ad certum præfinitumque tempus. Judicibus, sextam de-

necc. Ant. Rom. IV, 6, 9. — *Icelus* denique Plutarch. 7, Σικελὶς ἀνὴρ ἀπελεύθερος dicitur, qui primus Galbæ, periisse Neronem, ipsumque Imperatorem electum, nunciarit; quamobrem, ut idem sub fin. cap. « liberto aureos anulos concessit, atque is Marcianus Icelus jam appellatus summam inter sui ordinis homines potentiam obtinebat. » Cf. Tacit. I, 13, quem locum supra excitavimus, et cap. 33 et 37. Quod autem *summæ* (ita MSS. omnes, primusque Casaub. ex uno tantum dedit *summi*) *equestris gradus* h. l. dicitur *candidatus*, id cum Ernestio aliisque de *præfectura prætorii* intelligo, non de *procuratione* cum Lipsio ad Tacit. Hist. I, 12, neque universe cum Casaub. de principatu inter Equites, cui obstat vocab. *candidatus*, certum aliquem honorem significans. Jam, de morte trium pædagogorum Galbæ Tacit. Annal. I, 42, « *Tit.* inde *Vinium* invasere.... Ante ædem D. Julii jacuit, primo ictu in poplitem, mox ab Julio Caro, legionario milite, utrumque latus transverberatus; » et cap. 46, « *Laco Præfectus*, tanquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad cædem ejus Otho præmiserat, confossus; in *Marcianum Icelum*, ut in libertinum, palam animadversum. » De his tribus Nostras Cornelius, in Othonis sui fabula, Act. I, sc. 1:

Je les voyais *tous trois* se hâter sous un maître
Qui, chargé d'un long âge, a peu de tems à l'être;
Et *tous trois* à l'envi s'empresser ardemment
A qui dévoreruit ce règne d'un moment.

3. *Quosdam... inauditos condemnavit*; post oppressum Nymphidium. Cf. Plutarch. 15, ubi de cæde Cingonii Varronis, Mithridatis Pontici, et aliorum.

4. *Jura trium liberorum*. Conf. ad Claud. 19.

curiam[5] adjici precantibus, non modo negavit, sed etiam concessum a Claudio beneficium[6], ne hieme initioque anni ad judicandum evocarentur, eripuit.

XV. Existimabatur etiam senatoria et equestria[1] officia, biennii spatio determinaturus, nec daturus, nisi invitis ac recusantibus. Liberalitates Neronis[2], non plus decimis concessis, per quinquaginta Equites Romanos ea conditione revocandas curavit exigendasque, ut et, si quid sce-

5. *Sextam decuriam*, etc. Vide ad August. 32.

6. *Sed etiam conc. a Claudio beneficium*, etc. Cf. ad Claud. 23, init.

XV. 1. *Senatoria et equestria officia;* h. e. munera, a senatorio et equestri ordine administrari solita, maxime *militaria* et *provincialia*, ut mihi videtur, quoniam de *invitis* ac *recusantibus* sermo. Ad *equestria* officia maxime referendum munus *Procuratorum* Cæsaris in provinciis, quæ, ut Tacit. Agric. 4, *equestris nobilitas* erat. Repressurus autem erat Galba, qui per ambitionem vel avaritiam munera expetebant. Tacent omnes interpp. de loco haud prorsus expedito.

2. *Liberalitates Neronis*, etc. Cf. Plutarch. 16. Tacit. Hist. I, 20: « Proxima pecuniæ cura, et cuncta scrutantibus justissimum visum est, inde repeti, unde inopiæ causa erat. Bis et vicies millies Sestertium donationibus Nero effuderat. Appellari singulos jussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decumæ super portiones erant, iisdem erga aliena sumtibus, quibus sua prodegerant, quum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri, aut fenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni *triginta* Equites Romani præpositi, novum officii genus, et ambitu ac numero onerosum. Ubique hasta et sector, et inquieta Urbs auctionibus. Attamen grande gaudium, quod tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset. » Diversitatem numeri Equitum, quos Tacitus *triginta*, Suetonius *quinquaginta* exactioni præpositos dicunt, minus moror, præsertim quum facilis sit conciliatio, a Casaubono data, ut, difficiliori negotio, triginta prioribus *viginti* additos dicamus. Alia mihi est dubitatio de *decimis*. Nempe singulare liberalitatis genus hoc etiam loco dici, notavimus ad Calig. 26, atque stat mihi sententia, quoniam Suetonius, accuratissimus in talibus, et plerumque instrumenta publica secutus, ita scripsit, uti legimus, non, « non plus *decima parte concessa*. » Quod enim Tacitus diserte de *decimis portionibus* et *decima parte liberalitatis* loquitur, nonne fallere eum potuit ambiguum in verbis edicti vocabulum? Plutarchi τὸ δέκατον μέρος, ut Græci scriptoris, minus curo. Nam si error in Latino, quidni Græco? Scio, audaciam esse in corrigendo Tac. et erro fortasse. Tamen reprehendi, quam scrupulum, qui mihi hæret, tacere malui.

nici aut xystici donatum olim vendidissent, auferretur emtoribus, quando illi, absumto pretio, solvere nequirent. At contra, nihil non per comites atque libertos pretio addici[3], aut donari gratia passus est, vectigalia, immunitates, pœnas innocentium, impunitates noxiorum. Quin etiam, populo Romano deposcente supplicium Haloti[4] et Tigellini[5], solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficentissimos incolumes præstitit: atque insuper Halotum procuratione amplissima ornavit. Pro Tigellino etiam sævitiæ populum increpuit edicto[6].

XVI. Per hæc prope universis ordinibus offensis[1], vel præcipua flagrabat invidia apud milites. Nam quum in verba ejus absentis jurantibus donativum grandius solito præpositi pronunciassent[2], neque ratam rem habuit, et

3. *Addici*. Al. *adipisci*. Illud optimorum interpretum judicio jure prælatum est. De sequentibus, *vectigalia.... impunitates noxiorum*, vide not. ad Claud. 29.

4. *Haloti*. De hoc vide ad Claud. cap. 44.

5. *Et Tigellini*. De *Sofonio Tigellino*, Præfecto Prætorio sub Nerone, vide Tacitum, Annal. XIV et XV passim; Hist. I, 72. Conf. Lips. ad Annal. XIV, 51; schol. ad Juvenal. Sat. I, 155. Mortem ejus describit etiam Plutarch. Oth. 2.

6. *Pro Tigellino etiam... populum increpuit edicto*. Vide Xiphil. LXIV, 3; maxime Plut. Galb. 17.

XVI. 1. *Per hæc prope... offensis*, etc. *Prope* edidi, non *propere*, et ob elegantiam, quæ est in illo modeste addito, quod monuit jam Wolfius; et quod *universi ordines*, ut sæpe, esse possunt homines universorum ordinum; denique, quod non placet *propere* ita dictum pro *brevi*, ubi non, quid Galba *fecerit* cum festinatione et impetu aliquo, sed quid ei *acciderit*, significatur. Ingeniosam conjecturam mecum communicavit Mullerus, « Per hæc *probra*, etc. » Deinde *offensis* cum Oudend. et Wolfio (in nota) prætuli vulg. *offensus*, quoniam hoc Suetonio est *infensus*, nunquam *invisus*, quamquam usus hujus exempla Casaubonus et Ernestius attulerunt Ciceroniana. Mox *flagrabat* e Memm. aliisque Codd. et more Suetonii cum Burm. atque Ernest. edidi pro *flagravit*. Hoc per incuriam in textu reliquit Oudendorp. quum illud in nota comprobasset, et reposuisse se scripsisset.

2. *Nam quum.... donativum.... pronunciassent*; promisissent. Cf. omnino Plutarch. Galb. 2. *Præpositos* intellige Nymphidium, Præfectum Prætorio, et reliquos duces, qui ejus imperium et exemplum sequebantur.

subinde jactavit, « legere se militem, non emere consuesse[3]. » Atque eo quidem nomine omnes, qui ubique erant, exacerbavit. Ceterum prætorianos etiam metu et indignitate commovit, removens subinde plerosque, ut suspectos, et Nymphidii socios[4]. Sed maxime fremebat superioris Germaniæ exercitus[5], fraudari se præmiis navatæ adversus Gallos et Vindicem operæ. Ergo primi obsequium rumpere ausi, Kalendis Januariis adigi sacramento, nisi in nomen Senatus, recusarunt[6]: statimque legationem ad prætorianos cum mandatis destinaverunt, « displicere Imperatorem in Hispania factum[7]: eligerent ipsi, quem cuncti exercitus comprobarent. »

XVII. Quod ut nunciatum est, despectui esse non tam senectam suam, quam orbitatem ratus[1], Pisonem Frugi

3. *Neque ratam rem habuit, et... non emere consuesse.* Vide Plutarch. cap. 18, et Xiphil. LXIV, 3. Tacit. Hist. I, 5: « Miles urbanus, longo Cæsarum sacramento imbutus, et ad destituendum Neronem arte magis et impulsu, quam suo ingenio, traductus, postquam neque dari donativum, sub nomine Galbæ promissum, neque magnis meritis ac præmiis eumdem in pace, quam in bello, locum, præventamque gratiam intelligit apud Principem, a legionibus factum; pronus ad novas res, etc.... Accessit Galbæ vox, pro Republica honesta, ipsi anceps, *legi a se militem*, *non emi*. »

4. *Et Nymphidii socios.* Vide supra ad cap. 11 et 12. *Plerosque* autem est *multos*, ut assolet. Cf. ad Cæs. 83.

5. *Sed maxime... superioris Germaniæ exercitus*, etc. Cf. Plutarch. cap. 18; Xiphil. LXIV, 4; maxime Tacit. Hist. I, 8, 9 et 12.

6. *Kalendis Januariis... recusarunt.* Tacit. Hist. I, 12: « Paucis post Kal. Januarias diebus Pompeii propinqui, Procuratoris, e Belgica literæ afferuntur: *Superioris Germaniæ legiones*, *rupta sacramenti reverentia*, *Imperatorem alium flagitare*, *et Senatui ac populo Romano arbitrium eligendi permittere;* quo seditio mollius acciperetur. » Eumdem vide cap. 50 seq. maxime cap. 55. De seditionis prætextu conf. Plutarch. cap. 22.

7. *Displicere Imperatorem in Hispania factum.* Cf. Plutarch. l. c. apud quem ex militibus unus, ut Vitellium Imperatorem dicant, auctor est.

XVII. 1. *Despectui esse..... orbitatem ratus.* Cf. Plutarch. cap. 19. Adspirabant ad honorem adoptionis, amicis Galbæ vel huic, vel illi faventibus, præter Pisonem Otho et Dolabella. Vide Plutarch. 19 et 23; Tacit. I, 13.

Licinianum[2], nobilem egregiumque juvenem, ac sibi olim probatissimum, testamentoque semper in bona et nomen ascitum, repente e media salutantium turba apprehendit; filiumque appellans, perduxit in castra, ac pro concione adoptavit[3]; ne tunc quidem donativi ulla mentione facta[4]. Quo faciliorem occasionem M. Salvio Othoni præbuit perficiendi conata, intra sextum adoptionis diem[5].

XVIII. Magna et assidua monstra jam inde a principio exitum ei, qualis evenit, portenderant. Quum per omne iter dextra sinistraque oppidatim victimæ cæderentur, taurus, securis ictu consternatus, rupto vinculo essedum ejus invasit, elatisque pedibus totum cruore perfudit; ac descendentem speculator impulsu turbæ lancea prope vulneravit. Urbem quoque, et deinde Palatium ingressum excepit terræ tremor, et assimilis quidam mugitui sonus. Secuta sunt aliquanto manifestiora[1] et tristiora.

2. *Pisonem Frugi Licinianum*, etc. De genere *Pisonis* vide Lips. et Ernest. ad Tacit. Histor. I, 14; Reimar. ad Xiphil. LXIV, 5. De ejus moribus Tacit. l. c. « Piso, M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, et æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. Ea pars morum ejus, quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat. » Cf. Plutarch. cap. 23; Xiphil. l. c.

3. *Repente... adoptavit*. Cf. Plutarch. l. c. Tacit. 14—18, ubi, « Apud frequentem militum concionem, Imperatoria brevitate, adoptari a se Pisonem, more D. Augusti et exemplo militari, quo vir virum legeret, pronunciat. »

4. *Ne tunc quidem donativi..... mentione facta*. Plutarch. cap. cit.

5. *Intra sextum adoptionis diem*. Adoptatus est Piso IV Id. Januar. (Tacit. Histor. I, 18), sive die 10 Januarii; Galba interfectus XVIII Kal. Februar. (Tacit. cap. 27), sive die 15 Januarii, ut adeo more Romano adoptionis et cædis dies annumerentur. Quod Casaubonus, Plutarchum aliter numerare et *quartum diem* appellare, dicit, in eo errat, festinantius lecto Plutarcho (vide disputantem Baumgart.). Is diserte *sexto die* interfectum Galbam, et *quatuor dies* inter adoptionem et cædem interjectos fuisse, accuratissime dicit. Ceterum cf. Oth. 6, et ibi not.

XVIII. 1. *Manifestiora*. Ita Memm. aliique. Vulg. *majora*. Alii injuria omiserunt verba *et tristiora*.

Monile, margaritis gemmisque consertum, ad ornandam Fortunam suam Tusculanam[2], ex omni gaza secreverat: id repente, quasi augustiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicavit: ac proxima nocte somniavit speciem Fortunæ querentis, fraudatam se dono destinato, minantisque, erepturam et ipsam, quæ dedisset. Quumque exterritus, luce prima ad expiandum somnium, præmissis, qui rem divinam appararent, Tusculum excucurrisset, nihil invenit præter tepidam in ara favillam, atratumque juxta senem in catino vitreo thus tenentem, et in calice fictili merum. Observatum etiam est, Kalendis Januariis sacrificanti coronam de capite excidisse[3], auspicanti pullos avolasse[4]: adoptionis die, neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali, oblitis ministris, et in Senatu curulem perverse collocatam.

XIX. Prius vero, quam occideretur, sacrificantem mane haruspex identidem monuit[1], caveret periculum: non

2. *Fortunam suam Tusculanam.* Vide supra, cap. 4. Mox vocab. *repente* dubium videbatur Mullero, conjicienti, *rei pœnitens* vel *re reputata.*

3. *Sacrificanti coronam*, etc. *Caducum auspicium* dictum veteribus. Ita de rege Syphace Sil. Ital. XVI, 268:

Vittaque, majorum decoramen, fronte sine ullo
Delapsa attactu, nudavit tempora regis.
Talia cælicolæ casuro tristia regno
Signa dabant, sævique aderant gravia omina fati.

4. *Avolasse pullos;* aufugisse. Ita Memm. et optimus quisque Codicum. Al. *evolasse*, quod temere defendit Burmann. *Evolare* enim est *in altum volare,* in quo nullum prodigium. — De *adoptionis die* Tacit. cap. 18: « Quartum Idus Januar. fœdum imbribus diem, tonitrua et fulgura et cælestes minæ ultra solitum turbaverant. Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam, quo minus in castra pergeret, contemtorem talium, ut fortuitorum, seu, quæ fato manent, quamvis significata, non vitantur. » Conf. Plutarch. cap. 23.

XIX. 1. *Sacrificantem.... haruspex... monuit*, etc. Tacit. cap. 27: « XVIII Kal. Februar. sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ haruspex Umbricius *tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem* prædicit; audiente Othone (nam proximus adstiterat), idque ut lætum e contrario, et suis cogitationibus prosperum interpretante. » Cf. Plutarch. cap. 24; infra Oth. 6.

longe percussores abesse. Haud multo post[2] cognoscit, teneri castra ab Othone: ac plerisque, ut eodem quamprimum pergeret, suadentibus[3] (posse enim auctoritate et præsentia prævalere), nihil amplius, quam continere se, statuit, et legionariorum firmare præsidiis, qui multifariam diverseque tendebant. Loricam tamen induit linteam[4], quamquam haud dissimulans, parum adversus tot mucrones profuturam. Sed extractus rumoribus falsis[5], quos conspirati, ut eum in publicum elicerent, de industria dissiparant, paucis temere affirmantibus, transactum negotium, oppressos qui tumultuarentur, advenire frequentes ceteros gratulabundos, et in omne obsequium paratos; his ut occurreret, prodiit tanta fiducia, ut militi cuidam, occisum a se Othonem glorianti, « Quo auctore? » responderit[6]: atque in Forum usque processit. Ibi equi-

2. *Haud multo post*, etc. Conf. Plutarch. cap. 25. Tacit. cap. 29: « Ignarus interim Galba et sacris intentus, fatigabat alieni jam imperii Deos, quum affertur rumor, *rapi in castra incertum quem Senatorem*, mox, *Othonem esse*, *qui raperetur;* simul ex tota Urbe, ut quisque obvius fuerat, alii formidinem augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis, etc. »

3. *Ac plerisque..... suadentibus.* Tacit. cap. 32: « Galbam duæ sententiæ distinebant. T. Vinius, *manendum intra domum; opponenda servitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos*, censebat... *Festinandum* ceteris videbatur, *antequam cresceret invalida adhuc conjuratio paucorum...* Repugnantem huic sententiæ Vinium Laco minaciter invasit, stimulante Icelo, privati odii pertinacia, in publicum exitium. Nec diutius Galba cunctatus, speciosiora suadentibus accessit. Præmissus tamen in castra Piso, etc. » Cf. Plutarch. cap. 26.

4. *Loricam tamen induit linteam.* Tacit. cap. 35, Galbam, *sumto thorace*, sella levatum, et Plutarch. quoque, cap. 27, τεθωρακισμένον dicunt. De *lintea* lorica vide Torrent. et Casaub. ad hunc locum, et quos citavit Pitiscus.

5. *Sed extractus rumoribus falsis*, etc. Tacit. cap. 34, « Vix dum egresso Pisone, occisum in castris Othonem, vagus primum et incertus rumor; mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse, affirmabant, credula fama inter gaudentes et incuriosos. Multi arbitrabantur, *compositum auctumque rumorem, mixtis jam Othonianis, qui ad evocandum Galbam læta falso vulgaverint.* »

6. *Quo auctore? responderit.* Ta-

tes[7], quibus mandata cædes erat, quum per publicum, dimota paganorum turba, equos adegissent, viso procul eo, parumper restiterunt: dein rursum incitati, desertum a suis contrucidarunt[8].

XX. Sunt, qui tradant, ad primum tumultum proclamasse eum[1], «Quid agitis, commilitones? ego vester sum, et vos mei;» donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtulisse ultro jugulum, et, «ut hoc agerent, ac ferirent, quando ita videretur,» hortatum. Illud mirum admodum fuerit[2], neque præsentium quemquam opem Imperatori ferre conatum[3]; et omnes qui ar-

cit. cap. 35: «Obvius in Palatio Julius Atticus, speculator, cruentum gladium ostentans, occisum a se Othonem, exclamavit; et Galba, *Commilito*, inquit, *quis jussit?* insigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus.» Cf. Plutarch. cap. 26; Xiphil. LXIV, 6. — *Atque in Forum usque processit;* ubi in ipsa via oppressus est, Capitolium ex Palatio petens. Cf. Tacit. 39 et 40, et quos Reimarus ad Xiphil. citavit.

7. *Ibi equites*, etc. Tacit. cap. 40, «Milites Romani... disjecta plebe, proculcato Senatu, truces armis, rapidis equis, Forum irrumpunt, etc.» Cf. Plutarch. l. c. —De *paganis*, qui opponuntur *militibus*, vide ad August. 27.

8. *Dein... desertum a suis contrucidarunt.* Plutarch. cap. cit. unum *Sempronium Indistrum* (uti nomen vitiose legitur), et Xiphil. LXIV, 6, *Sempr. Densum*, Centurionem, dum posset, defendisse eum narrant. Tacitus, cui major fides, cap. 43, hunc Densum *Pisoni* effugium forti defensione dedisse dicit, ubi vide interpr. Idem, cap. 41, «*De percussore* non satis constat. Quidam Terentium Evocatum, alii Lecanium, crebrior fama tradidit Camurium, XV legionis militem, impresso gladio jugulum ejus hausisse.» Conf. Plutarch. cap. 27.

XX. 1. *Ad primum tumultum proclamasse eum*, etc. Tacit. cap. 41: «Extremam ejus vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere. Alii, suppliciter interrogasse, *quid mali meruisset? paucos dies exsolvendo donativo* deprecatum; plures, obtulisse ultro percussoribus jugulum, *agerent ac ferirent, si ita e Republ. videretur.* Non interfuit occidentium, quid diceret.» Conf. Plutarch. cap. 27; Xiphil. LXIV, 6. De verbis *ut hoc agerent* vide dicta ad Calig. 58.

2. *Fuerit.* Cf. Cæs. 63, et Neron. 39, ne quis cum Boxhorn. suadeat *fuit.*

3. *Neque præsentium quemquam ...conatum.* Hoc confirmat Taciti narrationem, Sempronium Densum

cesserentur, sprevisse nuncium, excepta Germaniciano-rum[4] vexillatione. Hi, ob recens meritum, quod se ægros et invalidos magno opere fovisset, in auxilium advolaverunt : sed serius, itinere devio per ignorantiam locorum retardati. Jugulatus est ad lacum Curtii[5], ac relictus ita uti erat, donec gregarius miles, a frumentatione rediens, abjecto onere caput ei amputavit[6]. Et quoniam capillo præ calvitie arripere non poterat, in gremium abdidit: mox, inserto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis calonibusque donavit: qui hasta suffixum[7], non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes identidem,

Pisoni, non Galbæ, opem tulisse, contra Plutarchum et Xiphilinum. Cf. ad cap. super. fin.

4. *Germanicianorum*. Ita edidi cum Bipontinis et Wolfio; idem suaserat Oudendorp. coll. Tiber. 25, Othon. 8, Vespas. 6, quamquam cum Memm. aliisque Codd. edidit *Germaniciorum*. Damnandæ sunt lectiones *Germanicorum* et *Germanorum*. Non enim *Germanicos* eos dicit Tacitus loco mox citando, ut Torrent. ad hunc nostr. contendit, sed *Germanica vexilla*, in quo magnum est discrimen, ut ferri etiam apud Sueton. posset *Germanica vexillatione*, nisi in Tacito etiam legendum *Germanicia*. Erant enim non magis Germani hi vexillarii, quam Illyri, qui *Illyrici exercitus electi* a Tacito dicuntur. Locus est Hist. I, 31, ubi de variis copiis Romanis auctor, Romæ illo tempore, quo seditio exstitit contra Galbam, congregatis, de nostris autem ita exponit : « *Germanica vexilla* diu nutavere, invalidis adhuc corporibus et placatis animis, *quod eos, a Nerone Alexandriam præmissos, atque inde rursus longa navigatione ægros, impensiore cura Galba refovebat.* » De *vexillatione* vide Scheller. in Lexico, ubi et ipse *Germanicianorum* exhibet, in eo tamen errat, quod auxilia, Germanorum puto, intelligit.

5. *Jugulatus est ad lacum Curtii.* Tacit. cap. 41, « *Juxta Curtii lacum*, trepidatione ferentium Galba projectus e sella ac provolutus est. » Cf. Plutarch. c. 27; Aurel. Victor. Cæs. 6, et Epit. 6; Reimar. ad Xiphil. LXIV, 6. De *lacu Curtii* vide ad August. 57.

6. *Donec gregarius miles... caput ei amputavit.* Cf. Plutarch. c. 27. Mox Ernest. damnat ut spurium *præ calvitie*, quod etiam abest a Memmiano; Oudendorp. *capillo*. Taxat hanc crisin Walther. Observ. pag. 28.

7. *Qui hasta suffixum*, etc. Tacit. Hist. I, 41, « Ceteri crura brachiaque, nam pectus tegebatur, fœde laniavere; pleraque vulnera feritate et sævitia trunco jam corpori adjecta. » Cap. 49, « caput per lixas calonesque suffixum lacera-

« Galba, cupide fruaris ætate tua[8]; » maxime irritati ad talem jocorum petulantiam, quod ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam suam, ut adhuc floridam et vegetam, respondisse eum, ἔτι μοι[9] μένος ἔμπεδόν ἐστιν. Ab his Patrobii Neroniani[10] libertus centum aureis redemtum, eo loco, ubi jussu Galbæ animadversum in patronum suum fuerat, abjecit. Sero tandem dispensator Argius[11], et hoc et ceterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ[12] sepulturæ dedit.

XXI. Statura fuit justa, capite præcalvo[1], oculis cæruleis, adunco naso, manibus pedibusque articulari[2] morbo distortissimis, ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere, aut tenere omnino valeret. Excreverat etiam in

tumque. » Cf. Xiphil. et Plutarch. loc. cit. — Ergo, qualibet ætate, eadem semper insanientis populi rabies effertur, et in omni tumultu exsecranda hæc tropæa borreas!

8. *Galba, cupide.... ætate tua.* Memm. *Cupido*, ut Galbæ nomen Cupidinis per jocum addiderint. Commendarunt eam lectionem post Turneb. Advers. XXXI, 41, Casaubonus et Wolfius. Equidem acquiesco in *cupide*, quod sensum satis commodum præbet. Ceterum cum Wolfio, turpem significationem in *ætatis* vocabulo esse, persuasum habeo.

9. Ἔτι μοι, etc. Ex Homer. Iliad. V, 254.

10. *Patrobii Neroniani.* De hoc vide Xiphil. LXIII, 3; cf. ad Neron. 45. Jussu Galbæ interemtum narrant Plutarch. cap. 17, et Xiphil. LXIV, 3. De re Tacit. c. 49, « Caput, per lixas calonesque suffixum laceratumque, ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis, punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum, et cremato jam corpori admixtum est. » Conf. Plutarch. c. 28, qui Patrobii et Vitellii servis donatum caput dicit, non liberto venditum.

11. *Sero tandem dispensator Argius*, etc. Tacit. cap. 49: « Galbæ corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit. » Vide Plutarch. l. c.

12. *Aureliæ viæ.* Cum Torrentio Oudendorp. et Ernestius malebant *Aurelia via*. Ita Eutrop. VII, 10, « jugulatus in Foro Romæ, sepultusque in hortis suis, qui sunt *Aurelia via* non longe ab Urbe Roma. »

XXI. 1. *Capite præcalvo.* Ita Memm. aliique. Vulg. *calvo*. Conf. omnino Plutarch. Galb. cap. 13, et vide etiam cap. superius.

2. *Articulari morbo.* Conf. Xiphil. LXIV, 3, ubi Reimar.

dexteriore latere ejus[3] caro, præpendebatque adeo, ut ægre fascia substringeretur.

XXII. Cibi plurimi traditur, quem tempore hiberno etiam ante lucem[1] capere consuerat: inter cœnam vero usque eo abundantis, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet, spargique ad pedes stantibus[2]: libi-

3. *In.... latere ejus*, etc. Posset abesse *ejus*, sed non pro glossa damnandum erat ab Ernestio, qui modo recepisset cap. sup. *in patronum suum*, ubi multi omittunt *suum*. Amat etiam Suetonius addere præter necessitatem pronomina. Mox Ernestio præplacebat lectio editionum antiquiorum *pròpendebatque*, contra Memm. et MSS. fere omnes, exhibentes *præpendebatque*. Nonnulli, « in *dextro* latere ejus *gibbus vel* caro. » Verum *dexterius latus* servandum ob usum scriptoris, et *gibbus* e glossa intrusus videtur.

XXII. 1. *Etiam ante lucem.* Cibo *tempestivo*, de quo vide ad Calig. 45, opponitur *cœna*.

2. *Usque eo abundantis, ut..... stantibus.* Scripsit super hunc locum, in quo constituendo et interpretando nimia levitate versati sunt interpretes, et quem ut desperatum transmisit, a quo plurima et optima exspectasses, Wolfius, singularem dissertationem David. Christian. Grimm. Lyc. Annæmont. Rector, Lips. 1798, doctam quidem, sed ad nauseam fere verbosam, cujus argumentum huc redit. Ostendit, in altero membro non de liberalitate aliqua Galbæ sermonem esse, quam somniarunt interpretes, sed adhuc, ut in priori, de nimia edacitate, adeoque particulam *vero* non transitum facere ad rem diversam, sed continuare, de quo prius dicere cœperat auctor, ut opponat *cibum ante lucem captum* et *cœnam*, atque respondeat Germ. vocabulo *vollends;* id quod verissimum puto et adstruendum Græco *δὲ*, quod continuationi inservire solet. Locum igitur ita constituit: « Cibi plurimi traditur. Quem tempore hiberno etíam ante lucem capere consuerat; inter cœnam vero usque eo *abundantem* (scil. capere solebat), ut congestas super manus reliquias *circum se ferri* juberet, spargique ad pedes stantibus » (Dissert. pag. 31), vertitque p. 33 (lingua nostra pro Teutonica uti liceat): « On dit qu'il mangeait « beaucoup, et en hiver même avant « le jour. Étant à table il montrait « tant d'appétit, qu'il se faisait passer de main en main les restes « laissés par chaque convive, et « qu'il les entassait autour de lui, « avant de les abandonner aux esclaves. » Quam multa in hac interpretatione mutata sint, vel falso reddita, ut *super manus*, quasi esset *per manus*, neque pertineret ad *congestas*, sed ad *circumferri*, vel, ut ille legit, *circum se ferri*, ut alia taceam, quisque videt. Non magis placent, quæ Bremius (Gallice nempe): « Il fesait passer les restes « de main en main, et les fesait di-

dinis in mares pronioris[3], et eos, non nisi præduros, exoletosque. Ferebant, in Hispania Icelum e veteribus concubinis, de Neronis exitu nunciantem[4], non modo artissimis osculis palam exceptum ab eo, sed, ut sine mora velleretur, oratum, atque seductum.

« stribuer ensuite aux esclaves. Ces « restes étaient si peu de chose, « qu'on pouvait les enfermer entre « deux mains. » Restat igitur, ut meam sententiam promam. Ut ante omnia de lectione dicam, maxime se commendat *abundantem*, quod edd. antiquæ, ut Ald. Basil. Gryph. Plant. exhibent, quod Burmann. Oudendorp. et Ernest. (ed. prior.) reddiderunt, et Grimmius recte interpretatus est. Sed contradicunt MSS. qui dant *abundanti* vel *abundans*. Illud Walther. Observ. pag. 28, servandum censuit, ut *abundanti* scil. *cibo* ablativus sit absolutus, durissima ratione, quum præcedat *Cibi plurimi*, cui succurrere studet ficto anacolutho. Dedi igitur cum Ernest. (ed. altera) et Bipont. Wolfioque, quod Grævio et Oudendorpio dudum placuerat, *abundantis*, cujus facilis mutatio fuit in *abundanti*, et quod vere fuit in Codice, cujus collatio est in ed. Plant. a Mullero mecum communicata. Explico autem locum ita: Inter cœnam usque eo (ita, an cum aliis *usque adeo* legas, ex usu Suetonii promiscuum est) abundantis cibi fuit, ut congestas *super manus* h. e. ante se, ante locum ubi sumserat cibum, reliquias (Gallice, « les restes des mets qui étaient « entassés devant son assiette ») *circumferri* juberet, scil. circum mensam et convivas, ostentandi causa, quantum fauces et venter valerent, *spargique* (quod dicitur de rebus solidis, ut *fundi* de fluidis), sive in unum locum colligi, ad admirationem convivarum, et ut ipse acto labore delectaretur, *ad pedes stantibus*, hoc est, *a* servis, ad lectum sive pedes ministrantibus, dativo, ut sæpius (cf. Oudendorp. ad Cæs. 19), posito pro ablativo cum præpositione *a*, adeoque hoc loco, ne auris offenderetur excipientibus se verbis *ab ad pedes stantibus*. Hæc hactenus. Invitus longior fui h. l. quem difficillimis accenseo, quoniam reliqui interpretes fere omnes ut facillimum silentio prætermiserunt.

3. *Libidinis... pronioris*. Ita Robert. Steph., probavit Casaubon., dedit Ernest., et optime cohæret cum antecedentibus, si retuleris ad *Cibi plurimi*. Sed omnes libri dant *pronior*. Jam *libidinis pronior*, ut genitivus regatur a *pronior*, cujus usus exemplum frustra quæritur in soluta oratione, equidem non defenderim. Waltheri rationem (Observ. l c.) non capio. Unice veram puto emendationem Torrentii, *libidini.... pronior;* ita servatur lectio Codd. conspirans in *pronior*, et dativus exemplis nititur Neron. 40, et Galb. 12.

4. *Icelum.... nunciantem*, etc. De *Icelo*, supra cap. 14. Cf. Plutarch. cap. 7, ubi primum de Neronis morte nuncium eum ad Galbam venisse narrat.

XXIII. Periit tertio et septuagesimo ætatis anno[1], imperii mense septimo[2]. Senatus, ut primum licitum fuit, statuam ei decreverat[3], rostratæ columnæ superstantem, in parte Fori, qua trucidatus est. Sed decretum Vespasianus abolevit, percussores sibi ex Hispania in Judæam summisisse opinatus.

XXIII. 1. *Tertio et septuagesimo ætatis anno.* Ita Tacit. Hist. I, 49, « Hunc exitum habuit Serv. Galba, *tribus et septuaginta* annis quinque Principes prospera fortuna emensus, et alieno imperio felicior, quam suo. » Cf. Aurel. Victor, Epit. c. 6, qui, « Quum *septuagesimum tertium* ætatis annum *ageret*.... cæsus est. » Accuratiores videntur Græci, ut Xiphil. LXIV, 6, ἔζησε δὲ Γάλβας ἔτη δύο καὶ ἑβδομήκοντα, et Zonaras, Γάλβᾳ μὲν ζήσαντι ἔτη δύο καὶ ἑβδομήκοντα, καὶ ἡμέρας τρεῖς καὶ εἴκοσιν.... οὕτως τέλος ἐγένετο. Sed ita etiam non convenit ratio cum anno ejus natali. Vide supra notam ad caput 4, et Reimar. ad Xiphilin. LXIV, 1 et 6.

2. *Imperii mense septimo.* Ita Eutrop. VII, 10; et apud Tacit. Histor. I, 37, Otho in oratione ad milites, « *Septem* a Neronis fine *menses* sunt. » Aurel. Victor, Cæs. 6, « cæsus est *mense* imperii *ac die septimo*, » et Epit. 6, « imperavit *menses septem diesque totidem.* » Cum hoc consentit Joseph. Bell. Jud. IV, 9, 2. Contra Xiphil. l. c. ἦρξε μῆνας ἐννέα καὶ ἡμέρας δεκατρεῖς, et cum eo faciunt Zonaras et Cedrenus. Recte eos conciliat Reim. ad Xiphil. l. c. ita, ut a die 9 Jun. ann. 821, quo Nero exstinctus, usque ad 15 Januar. ann. 822, quo Galba, *menses septem totidemque dies*; contra a die 3 April. ann. 821, quo Galba Imperator nunciatus fuerit a militibus, *novem menses diesque tredecim* fuisse, doceat. Eamdem viam præiverat Oudendorp. ad h. l.

3. *Senatus... statuam ei decreverat*, etc. Alios honores post Othonis mortem ei a populo tributos narrat Tacit. Hist. II, 55: « Populus cum lauru ac floribus Galbæ imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis, juxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens sanguine infecerat. » Cf. quæ idem, III, 7.

OTHO.

C. SUETONII TRANQUILLI

M. SALVIUS* OTHO.

I. Majores Othonis orti sunt oppido Ferentino[1], familia vetere et honorata, atque ex principibus Etruriæ. [2]Avus M. Salvius Otho, patre Equite Romano, matre humili, incertum an ingenua, per gratiam Liviæ Augustæ, in cujus domo creverat, Senator est factus, nec præturæ gradum excessit. Pater L. Otho[3], materno genere præclaro, multarumque et magnarum propinquitatum, tam

* *Salvius.* Memm. aliique, *Silvius* vel *Sylvius.* Eadem varietas Galb. 6 et 17, unde Glandorp. Onomast. pag. 825, totam Othonis familiam ad *Sylvium* nomen retulit, duosque fecit Titianos, alterum *Sylvium Titianum*, fratrem Othonis (pag. 826), alterum *Salvium*, Proconsulem Asiæ sub Nerone (pag. 760), de quo Tacitus, Agricol. cap. 6, qui tamen et ipse frater ille Othonis. *Salvium* nomen, numis lapidibusque confirmatum, nostro et Galbæ locis citatis restituerunt Burmannus et Oudendorpius, quos vide.

I. 1. *Oppido Ferentino.* Tacit. Hist. II, 50, « Origo illi e municipio Ferentino. » Etruriæ intellige oppidum, et ob ea, quæ sequuntur apud Nostrum, et locum Plin. H. N. III, 5 (8), qui *Ferentinum* nominat inter Fesulas et Fescenniam. Vide Cellar. Geogr. Ant. II, 9, p. 725. Aliud est *Ferentinum* Latii in Hernicis, de quo Cellar. pag. 807, et *Forentum* vel *Ferentum* in Apulia, de quo pag. 892.

2. *Avus*, etc. Tacit. l. c. « avus prætorius. »

3. *Pater L. Otho*, etc. Tacitus: « pater consularis. » Consul fuit ann. 786, ex Kal. Juliis, suffectus Galbæ. Vide Galb. 6. Eumdem ordinarium consulatum gessisse puto cum Fausto Sulla ann. 805 (vide Tacit. Annal. XII, 52), quamquam Pighius, Annal. tom. III, p. 585, fratrem Imperatoris, non patrem, hoc anno Consulem fuisse existimat ob Titiani cognomen, quod ei tribuitur a Frontino.

carus, tamque non absimilis facie Tiberio Principi fuit, ut plerique procreatum ex eo crederent. Urbanos honores, proconsulatum Africæ, et extraordinaria imperia, severissime administravit. Ausus etiam est in Illyrico milites quosdam, quod motu Camilli[4] ex pœnitentia præpositos suos, quasi defectionis adversus Claudium auctores, occiderant, capite punire, et quidem ante Principia[5], se coram; quamvis ob id ipsum promotos in ampliorem gradum a Claudio sciret. Quo facto, sicut gloriam auxit, ita gratiam minuit: quam tamen mature recuperavit, detecta Equitis Romani fraude[6], quem, prodentibus servis, necem Claudio parare, compererat. Namque et Senatus honore rarissimo, statua in Palatio posita[7], prosecutus est eum; et Claudius allectum inter patricios[8] collaudans amplissimis verbis, hoc quoque adjecit: « Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem. » Ex Albia Terentia, splen-

4. *Motu Camilli;* Scriboniani. Vide Claud. 13. — De *præpositis* cf. ad Galb. 12.

5. *Ante Principia*. Plutarch. Galb. 12, ἀρχεῖα vocat, addens, ἃ Πριγκίπια καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Sigon. de Ant. Jur. Prov. II, 6: « Erant *Principia* locus in castris post Prætorium et Quæstorium nobilissimus, nempe in quo Legati, Tribuni militum, ac primorum maxime ordinum ductores non aliter, ac Imperator in Prætorio, Quæstor in Quæstorio, tendebant ac jus dicebant, unde *mulctæ plerumque de militibus in Principiis sumtæ leguntur*, etc. » Cf. Lips. de Mil. Rom. V, 4. Idem ad Tacit. Annal. XV, 16, *apud Principia*, seu, quod idem, *apud signa*, plerosque castrorum solemnes actus celebratos fuisse, docet, ut jus dictum, edicta proposita, literas lectas habitasque allocutiones, castigationes et interdum animadversiones institutas, signum pugnæ propositum. Pœnæ ibi sumtæ præter locum nostrum excitat exemplum e Frontino, Stratag. IV, 1, 15.

6. *Detecta Equitis Romani fraude*, etc. Alterum Torrentius duorum illorum vult esse, de quibus Sueton. Claud. cap. 13. Incertum hoc itemque res per se nihili.

7. *Statua in Palatio posita*. Summum hunc honorem fuisse, patet etiam e Tacit. Annal. XV, 72, ubi, « Tigellinum et Nervam ita extollens, ut, super triumphales in Foro imagines, *apud Palatium* quoque *effigies eorum sisteret*. »

8. *Allectum inter patricios;* quod jus Imperatores sibi sumserant inde a Cæsare. Cf. Cæs. 41, et ibi not.



OTHO.



OR



Laguiche del. et dir. Sixdeniers sculp.

tio *Ænobarbo*, *Consulibus;* A. U. 785. Sed Camillo Scribonianum cognomen fuit. Ita Dio, LVIII, 17,

Martial. Epigr. I, 4, 8,

Ibis ab excusso missus in astra sago.

Plura de *sagatione*, quod nomen



Laguiche del.t et dir.t *Sixdeniers sculp.t*

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

dida femina[9], duos tulit filios, L. Titianum[10], et minorem Marcum cognominem sibi. Tulit et filiam, quam vixdum[11] nubilem Druso, Germanici filio, despondit.

II. Otho Imperator IV Kalendas Maias natus est, Camillo Arruntio, Domitio Ænobarbo, Consulibus[1]. A prima adolescentia prodigus ac procax, adeo, ut sæpe flagris objurgaretur[2] a patre. Ferebatur et vagari noctibus solitus, atque invalidum quemque obviorum vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime[3] jactare.

9. *Splendida femina.* Tacit. Hist. II, 50, « Maternum genus (Othoni) *impar, nec tamen indecorum;* » scil. quod equestri genere orta erat Terentia, cui convenit vocab. *splendidus.* Inde etiam patet, præferendam hic Memmiani aliorumque Codd. lectionem *splendida* vulgatæ *splendidissima.* Illam jam commendaverat Lips. ad Tacit. l. c., Torrent. et Casaub. ad nostrum, receperantque Burmann. Oudendorp. Wolfius.

10. *L. Titianum;* cujus crebra mentio apud Tac. Hist. II. *Titianum* appellatum Oudendorpius putat a matris patre *Titio;* sed eum *Terentium*, non *Titium* fuisse, crediderim. Ceterum id verum, illo tempore, quum plures essent liberi, nomina indi iis consuevisse ex matribus. Ita *Petronianus* (Vitell. 6) a Petronia matre, *Vespasianus* a Vespasia (Vesp. 2), *Domitianus* a Domitia sive Domitilla (Vesp. 3), etc. Vide Ernest. ad Tacit. Agric. 6.

11. *Vixdum.* Ita Memm. ut August. 62. Vulg. *nondum.*

II. 1. *Camillo Arruntio, Domitio Ænobarbo, Consulibus;* A. U. 785. Sed Camillo Scribonianum cognomen fuit. Ita Dio, LVIII, 17, et Tacit. Annal. VI, 1, « Cn. Domitius et *Camillus Scribonianus* Consulatum inierant. » Nisi igitur Camillo duplex cognomen fuit, quod vix credibile, error est Suetonii, quod plerisque visum, ex ipsis fastis profectus, ubi ordinarius Consul Camillus suffectusque aliquis Arruntius erant confusi, vel male sedulus librarius seriorem corruptelam e fastis in auctorem intulit. Ego quidem Suetonium, accuratissimum scriptorem, in nomine celeberrimæ gentis vix errare potuisse existimo. Certi aliquid de origine vitii non potest definiri. Vide præter interpretes ad h. l. Pighii Annal. tom. III, p. 560.

2. *Adeo, ut... flagris objurgaretur,* etc. Ita supra, Calig. 20, *ferulis objurgari,* ubi vide Torrent. et Boxhorn. Tacitus, Annal. V, 9, *verbere moneri.* Idem Hist. I, 13, de Othone, « Pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat. » Conf. Plutarch. Galb. 19. Similem Neronis petulantiam Noster descripsit cap. 26.

3. *Ac distento sago..... jactare.* Martial. Epigr. I, 4, 8,

Ibis ab excusso missus in astra sago.

Plura de *sagatione*, quod nomen

Post patris deinde mortem, libertinam aulicam gratiosam[4], quo efficacius coleret, etiam diligere simulavit, quamvis anum ac pæne decrepitam. Per hanc insinuatus Neroni[5], facile summum inter amicos locum tenuit congruentia morum; ut vero quidam tradunt, et consuetudine mutui stupri: ac tantum potentia valuit, ut damnatum repetundis[6] consularem virum, ingens præmium pactus, prius quam plane restitutionem[7] ei impetrasset, non dubitarit[8] in Senatum ad agendas gratias introducere.

III. Omnium autem consiliorum secretorumque particeps, die, quem necandæ matri Nero destinaverat, ad avertendas suspiciones cœnam utrique exquisitissimæ comitatis dedit. Item Poppæam Sabinam, tunc adhuc amicam ejus, abductam marito, demandatamque interim sibi, nuptiarum specie recepit[1]. Nec corrupisse contentus,

datum huic petulantiæ generi, dixit Casaub. ad nost. locum. Gallice *bernement*, qua quondam afflictus contumelia ridiculus ille *Sancho Pança* (*Don Quichotte*, III, 16, fin.).

4. *Libertinam...... gratiosam;* Principi nempe; *en faveur à la cour.*

5. *Per hanc insinuatus Neroni*, etc. Tacit. Hist. I, 13, « gratus Neroni æmulatione luxus. » Annal. XIII, 46, « flagrantissimus in amicitia Neronis. » Cf. Plutarch. l. c. Xiphil. LXI, 11.

6. *Ut damnatum repetundis*, etc. Ursinus ex vetere Cod. legendum censet *de repetundis*, displicuitque omissio præpositionis Vossio, de Construct. cap. 26. At sæpius legitur *damnari crimine*, ut Cic. Verr. IV, 45, et *repetundis* est *repetundarum crimine* (locus Cornel. Nep. Themist. 8, « *hoc crimine* absens *proditionis est damnatus*, » a Schellero in Lexic. excitatus, huc non pertinet, quoniam verbum *damnare* ibi suum regit genitivum *proditionis*, additumque *hoc crimine* est *per hanc accusationem*), unde præpositio *de* in Cod. etiam Ursini ab aliena manu profecta videtur.

7. *Restitutionem;* in Senatum, quo motus fuerat vir consularis ob repetundarum crimen e lege Julia, de qua Noster, Cæs. 43, « Repetundarum convictos etiam ordine senatorio movit. » Vide not. ad illum locum, in primis Lips. ad Tacit. Annal. XIV, 28.

8. *Dubitarit.* Recepimus conjecturam, a Salmasio adscriptam, prorsus Suetonianam, probatam antea a Wolfio.

III. 1. *Item Poppæam Sabinam... recepit.* Consentiunt Xiphil. LXI, 11, et fere Plutarch. l. c. tum ipse Tacit. Hist. I, 13, « *eo* (apud Othonem) Poppæam Sabinam, princi-

adeo dilexit, ut ne rivalem quidem Neronem æquo tulerit animo [2]. Creditur certe non modo missos ad arcessendam non recepisse, sed ipsum etiam exclusisse quondam pro foribus adstantem [3], miscentemque frustra minas et preces, ac depositum reposcentem. Quare, diducto matrimonio, sepositus est per causam legationis in [4] Lusitaniam. Id satis visum, ne pœna acrior mimum omnem divulgaret; qui tamen sic quoque hoc disticho enotuit [5]:

Cur Otho mentito sit, quæritis, exsul honore?
Uxoris mœchus [6] cœperat esse suæ.

Provinciam administravit quæstorius per decem [7] annos, moderatione atque abstinentia singulari [8].

pale scortum, ut apud conscium libidinum, *deposuerat*, donec Octaviam uxorem amoliretur. » Sed Annal. XIII, 45, diverse rem narrat idem, et haud dubie verius, quoniam, ut monuit jam ibi Lipsius, serius hos libros conscripsit, nimirum, « agentem eam in matrimonio Rufii Crispini, Equitis Romani, ex quo filium genuisset, ab Othone pellectam, nec moram fuisse, quin adulterio matrimonium jungeretur, mox laudes formæ elegantiæque uxoris, a novo conjuge sæpius apud Principem prædicatas, ad videndam prius, inde amandam hunc accendisse. » Cf. Neron. 35.

2. *Nec corrupisse contentus..... æquo tulerit animo*. Cf. Plutarch. l. c. Pro *corrupisse*, vulg. vitiose *corripuisse*.

3. *Creditur.... adstantem*. Vide, quæ de Sabina Plutarchus. Vera et ingenio callidæ feminæ maxime congrua Tacit. Annal. l. c.

4. *Quare.... sepositus est.... in Lusitaniam*; tanquam honestum exsilium, de quo Noster uti solet verbo *seponere*. Tacit. Hist. I, 13, « Mox suspectum in eadem Poppæa in provinciam Lusitaniam, specie legationis, seposuit. » Annal. l. c. « Dejicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu, Otho; et postremo, ne in Urbe æmulatus (vel, ut Grotius, *æmulus*) ageret, provinciæ Lusitaniæ præficitur. » Cf. Plutarch. De *Lusitaniæ* et reliquæ Hispaniæ præfecturis vide Lips. ad Tacit. Hist. l. c.

5. *Enotuit*. Al. *innotuit*. Illud præferendum, ut Plin. Epist. II, 10, « *enotuerunt* quidam tui versus, » et Tacit. Hist. III, 34, « quod ubi *enotuit*. »

6. *Uxoris mœchus*, etc. Hic etiam versus probat, veriorem esse narrationem, a Tacito in Annalibus datam.

7. *Per decem annos*; ab ann. 811, ad quem Xiphilin. LXI, 11, de Sabina refert, usque ad mortem Neronis, ann. 821.

8. *Moderatione... singulari*. Ta-

IV. Ut tandem ultionis occasio data est, conatibus Galbæ primus accessit[1]: eodemque momento et ipse spem imperii cepit, magnam quidem ex conditione temporum, sed aliquanto majorem ex affirmatione Seleuci[2] mathematici; qui, quum eum olim superstitem Neroni fore spopondisset, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevi repromittens. Nullo igitur officii aut ambitionis[3] in quemquam genere omisso, quoties cœna Principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat[4]: nec eo minus alium alia via militem[5] demere-

cit. Annal. l. c. « ubi usque ad civilia arma non ex priore infamia, sed integre sancteque egit, procax otii et potestatis temperantior. » Hist. l. c. « comiter administrata provincia. » Cf. Plutarch. l. c.

IV. 1. *Conatibus Galbæ primus accessit*. Tacit. Hist. l. c. « primus in partes transgressus, nec segnis, et, donec bellum fuit, inter præsentes splendidissimus. » Cf. Plutarch. cap. 20.

2. *Ex affirmatione Seleuci*, etc. *Ptolemæum* Tacitus vocat et Plutarchus (Galb. cap. 23, ubi vide). Ille Hist. I, 22: « Multos secreta Poppææ mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant; e quibus Ptolemæus, Othoni in Hispania comes, quum *superfuturum eum Neroni* promisisset, postquam ex eventu fides, conjectura jam et rumore senium Galbæ et juventam Othonis computantium, persuaserat, *fore, ut in imperium adscisceretur.* » Duplex homini nomen fuerit, quod difficillime credo, an confuderit auctor *Seleucum*, Vespasiani mathematicum, quem Tacit. II, 78, memorat, cum *Ptolemæo*, Neronis vel potius Poppææ, an Tacito denique tribuendus potius error, quod Burmann. fecit, quis definierit?

3. *Ambitionis;* captandæ gratiæ. Ita fere nos *prévenances*.

4. *Aureos... cohorti.... dividebat*, etc. Tacit. Histor. I, 24: « Flagrantibus jam militum animis velut faces addiderat Mævius Pudens, e proximis Tigellini. Is mobilissimum quemque ingenio, aut pecuniæ indigum, et in novas cupiditates præcipitem alliciendo, eo paulatim progressus est, ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos numos divideret; quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos præmiis intendebat. » Cf. Plutarch. c. 20. Quibus locis comparatis, alii jam *aureum*, χρυσοῦν Plutarcho, *centum numos* seu *viginti quinque drachmas* valuisse, ostenderunt.

5. *Militem*. Hanc unice veram habeo scripturam, exhibitam jam a Burm. et Ernest. Wolfioque. Oudendorpius, ut puto, religiosius servavit Codd. lectionem plerorumque *militum ;* idem taxavit Bur-

batur. Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit emancipavitque [6]; ut jam vix ullus esset, qui non et sentiret et prædicaret, solum successione [7] imperii dignum.

V. Speraverat autem fore, ut adoptaretur a [1] Galba; idque in dies exspectabat. Sed postquam, Pisone prælato, spe decidit, ad vim conversus est; instigante super animi dolorem etiam magnitudine æris alieni [2]. Neque enim dissimulabat, « nisi Principem, se stare non posse: nihilque referre, ab hoste in acie, an in Foro sub creditoribus, caderet. » Ante paucos dies servo Cæsaris pro impetrata dispensatione [3] decies sestertium expresserat. Hoc subsidium tanti cœpti fuit. Ac primo quinque [4] speculatoribus

manni conjecturam *milites*, huic saltem verborum ordini haud congruam.

6. *Cuidam etiam.... emancipavitque.* Tacit. l. c. « adeo animosus corruptor, ut Cocceio Proculo speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum, *sua pecunia emtum, dono dederit.* » Correctione Torrentii et Guyeti *eique mancipavit* non opus esse, Oudendorp. jam et Ernest. docuerunt.

7. *Successione.* Burmann. revocavit librorum *successionis*, contra usum scriptoris, qui unice observandus.

V. 1. *Speraverat... ut adoptaretur a Galba.* Tacit. H. I, 13: « Spem adoptionis, statim conceptam, acrius in dies rapiebat, faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis, ut similem. » Conf. Plutarch. cap. 21.

2. *Instigante... etiam magnitudine æris alieni.* Plutarch. loc. cit. πεντακισχιλίων μυριάδων ὀφλήμασι βαπτιζόμενον dicit. Tacit. cap. 21: « Interea Othonem, cui, compositis rebus, nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul exstimulabant, luxuria etiam Principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. »

3. *Pro... dispensatione;* h. e. dispensatoris officio, de quo vide ad August. 67.

4. *Ac primo quinque speculatoribus*, etc. Diversus de numero Tacit. cap. 25: « Sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri præfecit, a quo Barbium Proculum, tesserarium speculatorum, et Veturium, optionem eorumdem, perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit, pretio et promissis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium animos. Suscepere *duo manipulares* Imperium populi Rom. transferendum, et transtulerunt. In conscientiam facinoris pauci adsciti. Suspensos ceterorum animos diversis

commissa res est, deinde decem aliis, quos singuli binos produxerant: omnibus dena sestertia repræsentata, et quinquagena promissa. Per hos sollicitati reliqui[5], nec adeo multi; haud dubia fiducia, in ipso negotio plures adfuturos[6].

VI. Tulerat animus[1], post adoptionem statim[2] castra occupare, cœnantemque in Palatio Galbam aggredi: sed obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur invidia; quod ejusdem statione et Caius fuerat occisus, et desertus Nero. Medium quoque tempus religio et Seleucus exemit. Ergo destinata die, præmonitis consciis, ut se in Foro sub æde Saturni ad Milliarium[3] aureum

artibus stimulant, etc.» Cf. Plutarch. cap. 23 et 24; Xiphilin. LXIV, 5.

5. *Per hos sollicitati reliqui*, etc. Zonaras triginta fuisse ait.

6. *Plures adfuturos.* Non displicet plurium Codd. lectio *pluribus adfuturis*, quam e Græco usu, suppleto *ut* aut *quasi* (ὡς cum genitivo) explicandam, notavit jam Casaubonus. Sed quum MS. alter corrupte exhibeat *plures adfuturi*, acquievimus cum plerisque editoribus in faciliori lectione. Conjectura Burmanni *plures affluxuros* non necessaria est.

VI. 1. *Tulerat animus*, etc. Ita Memm. cum pluribus Codd. Al. *Erat.* Oudendorpius Ursini conjecturam *Fuerat* ob præcedens *adfuturos* probat.

2. *Post adoptionem statim*, etc. unde Ernestius, apud Tacit. cap. 26, «adeoque parata apud malos seditio etiam apud integros *dissimulata* (ita lego pro vulg. *dissimulatio*) fuit, ut *postero Iduum die* redeuntem a cœna Othonem rapturi fuerint,» corrigendum existimat *postero statim* (scil. ab adoptione) *die.* Mendum esse in Tacito liquet; minus, an hæc vera sit medela. De tempore adoptionis Pisonis et cædis Galbæ diximus ad Galb. 17, *mediumque tempus* quatuor dierum fuisse ostendimus, non *sex*, ut Ernest. ad hunc locum, nisi is Romano more ipsos adoptionis cædisque dies annumerat. *Exemtum* autem h. e. patrando facinori ereptum (cf. Ernest. Clav. Cic.) Noster dicit hoc tempus et *religione* h. e. religionibus, ostentis, prodigiis, vel quod hi dies publice privatimve Othoni erant religiosi, et a *Seleuco*, de quo diximus ad cap. 4, triste illud et adversum e mathematicis rationibus dicente. Suspicionem enim Fabri, Semestr. III, 23, «religio et *ipse locus* exemit,» satis refutavit Casaubonus.

3. *Ad Milliarium aureum.* Tacit. cap. 27, «Otho.... innixus liberto, per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad *Milliarium aureum* sub ædem Saturni pergit.» *Millia-*

opperirentur, mane Galbam salutavit; utque consuerat, osculo exceptus[4], etiam sacrificanti interfuit[5], audivitque prædicta haruspicis[6]. Deinde liberto, adesse architectos, nunciante[7], quod signum convenerat, quasi venalem domum inspecturus abscessit; proripuitque se postica parte Palatii ad constitutum. Alii, febrem simulasse, aiunt, eamque excusationem proximis mandasse, si quæreretur. Tunc abditus propere muliebri sella[8], in castra contendit:

rium autem *aureum* columna ex auro fuit, ad quam viæ omnes ex Italia desinebant. Cf. Plutarch. c. 24. Plin. H. N. III, 5 (9), *in capite Romani Fori statutum*, Dio, LIV, 8, τὸ χρυσοῦν μίλιον, et ab Augusto ann. 734 factum dicit. Cf. interpr. ad Tacit.; Fabric. ad Dion. l. c.; Donat. Rom. Vet. II, 14; Nardin. de Rom. Vet. V, 6; et quos plures Pitiscus ad locum nost. excitavit.

4. *Osculo exceptus;* quod signum comitatis et amicitiæ Imperatoris. Cf. Tiber. 10, et Neron. 37.

5. *Etiam sacrificanti interfuit.* Verum est, quod Burmannus dicit, *interesse* aliquem rebus et locis, non homini aliquid agenti. Sed et linguæ usus sæpius a primaria significatione ad similem atque affinem descendit, et scriptores omnium ætatum linguarumque subinde a solito propriove alicujus vocis usu recedunt, minus ejus memores, quam qui docte eum excutiunt. Ita, pro *sacrificio ab eo facto interfuit*, vel *sacrificanti adfuit*, brevius, et, quum utrique dicendi modo alieni quid adhæreat, exactius auctor scripsit, *sacrificanti interfuit.* Minus id urserim, quod Wolfius dicit, dativum in hoc genere quasi casum commodi esse. Conjecturam Ernestii *superfuit* pro *adfuit*, ex August. 56, nullo modo ferendam existimo, et quod usus tantum forensis hæc verbi est significatio, et quod ea ipsa a viris doctis taxabatur. Cf. Gell. Noct. Att. I, 22.

6. *Audivitque prædicta haruspicis.* Vide Galb. cap. 19.

7. *Liberto... nunciante;* Onomasto. Tacit. Histor. I, 27: « Nec multo post libertus Onomastus nunciat, *exspectari eum ab architecto et redemtoribus;* quæ significatio coeuntium jam militum et paratæ conjurationis convenerat. Otho, causam digressus requirentibus, quum, emi sibi prædia vetustate suspecta, eoque prius exploranda, finxisset, innixus liberto..... pergit. » Cf. Plutarch. c. 24, quo quidem loco cum Solano existimo, deceptum Plutarchum Latino vocab. *redemtoribus*, improprie πωληταῖς reddidisse. Mox *ad constitutum* est neutrum, sive de loco, sive de die sermo sit, ne quis de ellipsi cogitet. Constitutus autem erat locus, de quo proxime dictum, Milliarium aureum.

8. *Muliebri sella.* Plutarch. cap. 25, τὸ φορεῖον dicit, et *lecticarios* φορειοφόρους, vel, ut vulgo legitur, φορεαφόρους; Tacit. cap. 27, *sellam* et ipse. Est nempe σκιμπόδιον κατάστεγον Dionis, LVII, 15, ubi vide

ac deficientibus lecticariis, quum descendisset, cursumque cepisset, laxato calcio restitit, donec omissa mora succollatus, et a præsente comitatu IMPERATOR consalutatus[9], inter faustas acclamationes strictosque gladios ad Principia devenit, obvio quoque non aliter, ac si conscius et particeps foret, adhærente. Ibi missis, qui Galbam et Pisonem trucidarent[10], ad conciliandos pollicitationibus militum animos nihil magis pro [11] concione testatus est, quam « id demum se habiturum, quod sibi ipsi reliquissent. »

VII. Deinde vergente jam die ingressus [1] Senatum, positaque brevi ratione[2], quasi raptus de publico, et sus-

Fabric. Conf. Lips. Elect. I, 19; Scheffer. de Re Vehic. II, 5.

9. *Et a præsente comitatu Imperator consalutatus*, etc. Tacit. cap. 27, « Ibi tres et viginti speculatores consalutatum Imperatorem, ac paucitate salutantium trepidum, et sellæ festinanter impositum, strictis mucronibus rapiunt. Totidem ferme milites in itinere aggregantur, alii conscientia, plerique miraculo, pars clamore et gaudio, pars silentio, animum ex eventu sumturi. » Conf. Plutarch. cap. 25.

10. *Qui Galbam et Pisonem trucidarent*. De morte Galbæ vide Galb. 19 et 20. Cædem Pisonis describunt Plutarch. cap. 27, et Tacit. cap. 43: « Piso in ædem Vestæ pervasit, exceptusque misericordia publici servi et contubernio ejus abditus, non religione nec cerimoniis, sed latebra imminens exitium differebat; quum advenere, missu Othonis, nominatim in cædem ejus ardentes Sulpicius Florus e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, et Statius Murcus speculator; a quibus protractus Piso in foribus templi trucidatur. »

11. *Pro concione*. Aliam orationem dat Tacit. cap. 37.

VII. 1. *Deinde... ingressus Senatum*, etc. Tacit. cap. 47, « Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit lætitia. Vocat Senatum Prætor urbanus, certant adulationibus ceteri magistratus. Accurrunt Patres; decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes Principum honores, annitentibus cunctis abolere convicia ac probra, quæ promiscue jacta hæsisse animo ejus, nemo sensit, etc. » Conf. Plutarch. cap. 28.

2. *Positaque brevi ratione*. Memm. et plerique Codd. et antiquæ edd. dant *oratione*. Recepit id Ernest., sed *ponere orationem* dici posse pro *habere*, probare frustra conatus est. Burmann. conjecit, « *expositoque* brevi *oratione*, » ut *exposito* ablativus sit absolutus, et simili ac leniore etiam medela Walther. Observ. pag. 29, « *positoque* brevi *oratione*, » interpretatus, *postquam po-*

cipere imperium vi coactus[3], gesturusque communi omnium arbitrio, Palatium petit[4]. Ac super ceteras gratulantium adulantiumque blanditias, ab infima plebe appellatus NERO[5], nullum indicium recusantis dedit : immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primisque epistolis suis ad quosdam provinciarum præsides, Neronis cognomen adjecit. Certe et imagines statuasque ejus reponi passus est, et procuratores atque libertos ad

suerat, id est commemoraverat, dixerat *brevi oratione, quasi*, etc. quem usum verbi *ponere* illustravit exemplis Ciceronis, Orat. 4, « *positum sit* igitur in primis; » pro Cœl. 7, « *posuistis* enim ; » Verr. II, 38, « tantum verbo *posuit;* » laudato etiam Ernest. in Clav. Cicer. Unice placeret mihi hæc ratio, ob librorum maxime auctoritatem, legi jubentium *oratione*, si Suetonius æque uti soleret ablativo illo absoluto, atque Livius et Tacitus, apud quos sexcenties occurrit, et persuaderi mihi posset, illam significationem verbi *ponere* (τιθέναι, ὑποτιθέναι, unde θέσις, ὑπόθεσις) non minus historicæ orationi convenire, quam rhetoricæ. E schola enim petita est philosophorum et rhetorum, neque verba sunt Othonis loco nost. sermonem habentis, sed auctoris adhuc, argumentum referentis. Denique vexat me sequens *quasi*, quod *rationi* magis convenit, quam *orationi*, quum post ablativum *posito* accusativum exspectasses cum infinitivo. Nescio igitur, an verior sententia sit Wolfii, servantis *posita ratione*, simplici verbo pro composito, nisi quis hoc ipsum (*proposita*) legere malit cum Oudendorpio. Locum quidem, a Wolfio comparatum, Calig. 16, nostro non accommodaverim, quum sermo ibi sit de *rationibus* propositis, non de *ratione*. Ibi enim de literis vere aliorum oculis propositis alia verbi vis est et magis propria. Licuit, puto, profiteri dubitationem de virorum doctissimorum sententiis, quamquam melior mihi non suppetit. Muller. conjecit, *postquam brevem orationem*, vel *post habita brevi oratione*.

3. *Quasi... vi coactus*. Cf. Xiphil. LXIV, 8.

4. *Palatium petit*. Tacit. l. c. « Otho, cruento adhuc Foro, per stragem jacentium in Capitolium atque inde in Palatium vectus, concedi corpora sepulturæ cremarique permisit. »

5. *Ac... appellatus Nero*, etc. Cf. Plutarch. Oth. 3. Tacit. Hist. I, 78 : « Ne tum quidem immemor amorum, statuas Poppææ per Senatusconsultum reposuit. Creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse, spe vulgum alliciendi. Et fuere, qui imagines Neronis proponerent; atque etiam Othoni quibusdam diebus populus et miles, tanquam nobilitatem ac decus adstruerent, *Neroni Othoni* acclamavit. Ipse in suspenso tenuit, vetandi metu, vel agnoscendi pudore. » Adde Xiphil. l. c.

eadem officia revocavit. Nec quicquam prius pro potestate subscripsit, quam quingenties sestertium ad peragendam [6] Auream domum. Dicitur ea nocte per quietem pavefactus gemitus maximos edidisse : repertusque a concursantibus humi ante lectum jacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, a quo deturbari expellique se viderat, propitiare tentasse : postridie quoque in augurando tempestate orta graviter prolapsum [7], identidem obmurmurasse :

Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς [8];

VIII. Sub idem vero tempus, Germaniciani exercitus in Vitellii verba jurarant [1]. Quod ut comperit, auctor Se-

6. *Ad peragendam*. Al. *peragendum*, ut Galb. 18 nonnulli *ad ornandum fortunam suam*, de quo usu gerundii cum accusativo vide Heusinger. ad Cic. de Offic. I, 31, 7, et III, 5, 13, et quos ille laudavit; Manut. ad Cat. maj. cap. 2; Perizon. ad Sanct. I, 15, 1.

7. *Prolapsum*. Negligentia scriptoris notanda, non mutanda in *prolapsus* ob præcedens *pavefactus*, contra MSS. et edd. omnes. Ita cap. 12, *fuisse traditur..... consuetum*. Scilicet longior periodus fecit, ut sui immemor finiret eam, ut si a *Tradunt* vel *Dicunt* incepisset, quamquam et *dicitur, traditur, videtur*, etc. sæpissime absolute præponuntur, sequente accusativo cum infinitivo, more Græco, de quo usu vide Duker. ad Flor. II, 6, 45, et Liv. IV, 41, 7. Plurimis exemplis, ab eo collatis, addo Tacit. Hist. IV, 52, « *Titum*... multo apud patrem sermone *orasse dicebatur*. » Variavit igitur loco nostro auctor orationem duplici constructione, quod non Latinæ elegantiæ est, sed Græcæ ἀφελείας : conf. Plato, Charm. in. et Matthiæ Gr. Gr. § 536, pag. 772 seq.

8. *Μακροῖς αὐλοῖς;* Conf. Xiphil. LXIV, 7, qui verba reddit, Τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν; ac proverbium de iis esse dicit, qui quid sibi inutile faciunt : ad quem locum Reimarus Cedrenum comparat, diversa et prorsus falsa narrantem, sed eodem versiculo ita addito : Τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς ᾄδειν καὶ αὐλεῖν. Non meminerunt interpretes loci paralleli Cicer. ad Attic. II, 16. « Cneius quidem noster, jam plane, quid cogitet, nescio. Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι, Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ. » ubi vide Grævium. Versatus est nimio fere labore in prona proverbii interpretatione Turneb. Advers. V, 1, et XVII, 20. Corruptelas nostri loci nihil moror.

VIII. 1. *In Vitellii verba jurarant*.

natui fuit mittendæ legationis [2], quæ doceret, electum jam Principem; quietem et concordiam suaderet. Et tamen per internuncios ac literas, consortem imperii generumque se Vitellio obtulit [3]. Verum haud dubio bello, jamque ducibus et copiis, quas Vitellius præmiserat, appropinquantibus [4], animum fidemque prætorianorum erga se pæne internecione amplissimi ordinis expertus est. Et placuerat [5] per classiarios arma transferri, remittique navibus [6]. Ea quum in castris sub noctem promerentur,

Vide Galb. 16; Vitell. 9; Tacit. Hist. I, 60 seq.

2. *Auctor... fuit mittendæ legationis*, etc. Tacit. c. 74: « Otho, revocatis, quos Galba miserat, legatis, rursus alios ad utrumque Germanicum exercitum et ad legionem Italicam easque, quæ Lugduni agebant, copias *specie Senatus* misit. Legati apud Vitellium remansere, promtius, quam ut retenti viderentur. Prætoriani, quos, per simulationem officii, legatis Otho adjunxerat, remissi, antequam legionibus miscerentur. » Cf. Plutarch. Oth. cap. 4, et ad locum nostrum Baumgart.

3. *Et tamen per internuncios... se... obtulit.* Tacit. cap. 74: « Crebræ interim et muliebribus blanditiis infectæ ab Othone ad Vitellium epistolæ offerebant pecuniam et gratiam, et quemcumque quietis locum prodigæ vitæ legisset. Paria Vitellius ostentabat, primo mollius, stulta utrimque et indecora simulatione; mox, quasi rixantes, stupra et flagitia invicem objectavere, neuter falso. » Vide Xiphil. LXIV, 10.

4. *Jamque ducibus et copiis.... appropinquantibus*, etc. Conf. Plutarch. Oth. c. 5; Tacit. Hist. I, 70.

5. *Et placuerat*, etc. Omittere aliis placuit *Et* contra libros, aliis mutare, ut Lipsio in *Etenim*, Glareano in *Quando*. Oudendorp. conjecit *Ostiam placuerat.* Mihi genuinum videtur, et inducere narrationem, superiora explicantem, pro *Et quidem*, *Etenim*, *Namque*. Ita Tacit. Annal. III, 38, « non accusatores fatiscebant. *Et* Ancharius Priscus, etc. »

6. *Per classiarios.... remittique navibus*. Lux petenda e Tacito, I, 80 seq. et Plutarch. Oth. 3, coll. Xiphil. LXIV, 9, qui accuratius rem narrant, eosque haud satis compararint necesse est Burmannus, magisque adhuc Ernestius, qui ad h. l. disputavit prorsus ἀπροσδιόνυσα. *Arma* illa erant septimæ decimæ cohortis (auctore Tacit. l. c.), quam e colonia Ostiensi in Urbem acciri Otho jusserat, armandæ ejus cura Vario Crispino, Tribuno e Prætorianis, data. Qui quum, aperto armamentario, vehicula cohortis, incipiente nocte, onerari his armis jussisset, miles, ad perniciem Othonis familiam Senatorum armari, temere existimans, raptis armis Urbem ac Palatium petit, et a con-

insidias quidam suspicati, tumultum excitaverunt: ac repente omnes, nullo certo duce, in Palatium cucurrerunt, cædem Senatus flagitantes: repulsisque Tribunorum, qui inhibere tentabant, nonnullis et occisis [7], sicut erant cruenti, ubinam Imperator esset, requirentes, perruperunt in triclinium usque, nec nisi viso destiterunt [8]. Expeditionem autem impigre atque etiam præpropere inchoavit, nulla, ne religionum quidem, cura, sed et motis

vivantium ibi primorum civitatis cæde vix ab ipso Othone retinetur. Omnia ea cum Suetonio consentiunt, nisi quod *navibus per classiarios* (h. e. remiges, classi Ostiensi impositos, ne cum Ernestio de milite classiario cogites, de quo dictum ad Galb. 12) *arma Romam translata* Suetonius, Tacitus autem *vehicula cohortis* iis onerata, dicit. Putabam aliquando, hæc ipsa *vehicula* Taciti, ut sæpius, de *navigiis* intelligenda esse, et per errorem Plutarchum l. c. vertisse τὰ ὅπλα ταῖς ἁμάξαις ἐπιτιθέντος. Sed levior hæc res est, et in qua dissensum scriptorum facile feras. Alia difficultas, quam quærunt in verbo *remitti* (quod Burmann. in *præmitti* mutandum duxit, Ernest. contra usum linguæ explicuit *mitti*, Oudendorp. mutare maluit in *demitti*, id est, secundo fluvio deferri seu devehi Ostiam), mihi nulla videtur, Oudendorpii emendatio etiam falsum præbere sensum. Scilicet, quum redire deberet cohors Ostia Romam, *remittenda* etiam erant arma in Urbem, unde translata fuerant ad tempus simul cum milite in coloniam Ostiensem. Si legas cum Oudend. *demitti*, quod miror placuisse etiam Wolfio, contrarius efficitur sensus, quasi nunc demum Ostiam cohors descenderit, quæ contra inde revocabatur. Ceterum, quam infelices fuerint in explicanda hac historia viri docti, inde etiam patet, quod Solanus ad Plutarch. l. c. *Romæ et in castris urbanis, non Ostiæ* ortam esse hanc seditionem notavit, immemor verborum Taciti, *Urbem ac Palatium petunt.*

7. *Nonnullis et occisis.* Tacit. l. c. « Resistentem seditioni Tribunum et severissimos Centurionum obtruncant. »

8. *Perruperunt.... nec nisi viso destiterunt.* Tacit. cap. 82: « Militum impetus ne foribus quidem Palatii coercitus, quo minus convivium irrumperent, ostendi sibi Othonem expostulantes, vulnerato Julio Martiale, Tribuno, et Vitellio Saturnino, Præfecto legionis, dum ruentibus obsistunt. Undique arma et minæ, modo in Centuriones Tribunosque, modo in Senatum universum, lymphatis cæco pavore animis, et, quia neminem unum destinare iræ poterant, licentiam in omnes poscentibus; donec Otho, contra decus imperii, toro insistens, precibus et lacrimis ægre cohibuit; redieruntque

necdum conditis ancilibus[9], quod antiquitus infaustum habetur; et die, quo cultores Deum matris lamentari et plangere incipiunt[10]; præterea adversissimis[11] auspiciis. Nam et victima Diti patri cæsa litavit; quum tali sacrificio contraria exta potiora sint. Et primo egressu inundationibus Tiberis retardatus, ad vicesimum etiam lapidem ruina ædificiorum præclusam viam offendit[12].

in castra inviti, neque innocentes. »

9. *Sed et motis... ancilibus.* Tacit. cap. 89: « Fuere, qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent. Adspernatus est omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam, et Cæcina, jam Alpes transgressus, exstimulabat. » *Movebantur* ancilia h. e. promebantur e templo Martis ad solemnem Saliorum saltationem Kal. Martiis, duravitque ea solemnitas *triginta dies*, auctore Polybio, Exc. Legat. cap. 23; Otho autem profectus est ante finem mensis Martii, ut mox videbimus, ancilibus adeo nondum conditis. Cf. interpretes ad nostrum et Taciti loc. cit. maxime Grævium, qui allegat Liv. XXXVII, 33; « Stativa deinde ad Hellespontum aliquamdiu habuerunt, quia dies forte, quibus ancilia moventur, religiosi ad iter, inciderant. »

10. *Et die, quo... plangere incipiunt. Dies* hic erat *sanguinis*, quo celebrabant *cultores matris Deum*, seu Galli, sacerdotes Cybeles, memoriam Attidis pueri, IX Kal. April. Conjuncta erant *Hilaria*, quæ usque ad prid. Kal. April. durabant.

11. *Præterea adversissimis auspiciis.* Tacit. Hist. I, 86: « Prodigia insuper terrebant, diversis auctoribus vulgata. In vestibulo Capitolii omissas habenas bigæ, cui Victoria institerat; erupisse cella Junonis majorem humana speciem; statuam D. Julii in insula Tiberini amnis, sereno et immoto die, ab Occidente in Orientem conversam; prolocutum in Etruria bovem; insolitos animalium partus; et plura alia, rudibus seculis etiam in pace observata, quæ nunc tantum in metu audiuntur. » Cf. Plutarch. Oth. c. 4.

12. *Et primo egressu... retardatus... offendit.* Tacit. l. c. « Sed præcipuus et cum præsenti exitio etiam futuri pavor, subita inundatione Tiberis, qui immenso auctu, proruto ponte Sublicio, ac strage obstantis molis refusus, non modo jacentia et plana Urbis loca, sed secura ejusmodi casuum implevit. Rapi e publico plerique, plures in tabernis et cubilibus intercepti. Fames in vulgus, inopia quæstus, et penuria alimentorum. Corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein, remeante flumine, dilapsa. Utque primum vacuus a periculo animus fuit, id ipsum, quod paranti expeditionem Othoni, campus Martius et via Flaminia, iter belli esset, obstructum a fortuitis vel naturalibus causis, in pro-

IX. Simili temeritate, quamvis dubium nemini esset, quin trahi bellum oporteret[1], quando et fame et angustiis locorum urgeretur hostis, quam primum tamen decertare statuit: sive impatiens longioris sollicitudinis, speransque, ante Vitellii adventum profligari plurimum posse; sive impar militum ardori, pugnam deposcentium. Nec ulli[2] pugnæ adfuit, substititque Brixelli[3]. Et tribus quidem, verum mediocribus præliis, apud Alpes[4], circaque Placentiam[5], et ad Castoris, quod loco nomen est, [6]vicit: novissimo maximoque apud Betriacum fraude superatus est[7]; quum, spe colloquii facta, quasi ad conditionem

digium et omen imminentium cladium vertebatur.»

IX. 1. *Quamvis dubium nemini esset, quin trahi bellum oporteret*, etc. Tacit. II, 31, «Otho consultavit, *trahi bellum*, an fortunam experiri placeret. Tum Suetonius Paullinus, dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere, *festinationem hostibus, moram ipsis utilem* disseruit.» Cap. 33, «Accedebat sententiæ Paullini Marius Celsus; idem placere Annio Gallo, paucos ante dies lapsu equi afflicto, missi, qui consilium ejus sciscitarentur, retulerant. Otho pronus ad decertandum; frater ejus Titianus, et Præfectus Prætorii Proculus, imperitia properantes, Fortunam et Deos et numen Othonis adesse consiliis, adfore conatibus, testabantur: neu quis obviam ire sententiæ auderet, in adulationem concesserant.» Cf. et c. 40; Plut. Oth. 8 seq.

2. *Nec ulli*, etc. Inepte vulg. *illi*. Cod. alter *ille*.

3. *Substititque Brixelli*. Tacit. cap. 33, «Postquam pugnari placitum, interesse pugnæ Imperatorem, an seponi melius foret, dubitavere. Paullino et Celso jam non adversantibus, ne Principem objectare periculis viderentur, iidem illi deterioris consilii auctores perpulere, *ut Brixellum concederet, ac dubiis præliorum exemtus, summæ rerum et imperii se ipsum reservaret.*» Conf. Plutarch. Oth. 5. De *Brixello* oppido, Cellar. Geogr. Ant. II, 9, pag. 668.

4. *Apud Alpes*. Conf. Tacit. II, 12—15. Alpes intellige maritimas.

5. *Circaque Placentiam*. Tacit. cap. 18—22; Plutarch. cap. 6.

6. *Et ad Castoris... vicit*. Tacit. cap. 24, «Ad duodecimum a Cremona, *locus Castorum* vocatur.» Oros. VII, 8, «circa locum, quem *Castoris* vocant.» Conf. Oudend. ad locum nostrum.

7. *Apud Betriacum... superatus est*. Tacit. c. 23, *Bedriaci*, additque: «inter Veronam Cremonamque situs est vicus, duabus jam Romanis cladibus notus infaustusque.» Cf. interpr. ad h. l. et Plutarch. cap. 8.

pacis militibus eductis, ex improviso, atque in ipsa consalutatione, dimicandum fuisset[8]. Ac statim moriendi impetum cepit: ut multi, nec frustra, opinantur, magis pudore, ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseveraret[9], quam desperatione ulla, aut diffidentia copiarum[10]: quippe residuis, integrisque etiam nunc, quas secum ad secundos casus deti-

Apud Joseph. Bell. Jud. IV, 9, 9, Φρυγδιακὸν τῆς Γαλατίας, quod tamen Hudson. et Havercamp. mutaverunt in Βηδριακόν. Scribitur etiam a multis *Bebriacum* loco nostro; ita etiam Eutrop. VII, 11, et Oros. l. c. Xiphil. LXIV, 10, regionem, non oppidum indicat. De prælio ipso vide Tacit. cap. 40 — 44; Plutarch. 11 seq.

8. *Quum... dimicandum fuisset.* Tacit. cap. 42: « Attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit, repertis, qui, *descivisse a Vitellio*, ementirentur. Is rumor, ab exploratoribus Vitellii dispersus, an in ipsa Othonis parte, *seu dolo, seu forte* surrexerit, parum compertum. Omisso pugnæ ardore, Othoniani ultro salutavere, et hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris, quæ causa salutandi, metum proditionis fecere. Tum incubuit hostium acies, integris ordinibus, robore et numero præstantior, etc. » Conf. Plutarch. cap. 12. Pro *consalutatione* (quod vocab. de eadem re occurrit Tacit. Annal. XV, 16, et Hist. IV, 72), Memm. aliique vitiose *consultatione*, quod placebat Grævio. In editione Oudendorpii hæsit vitium *consalutione*.

9. *Magis pudore, ne... perseveraret.* Vide egregiam Othonis orationem apud Tacit. cap. 47; Plutarch. cap. 15; Xiphil. cap. 13. Eutrop. VII, 11, « quum tanti se non esse dixisset, ut propter eum civile bellum commoveretur. » Iisdem fere verbis *Napoléon*, rebus desperatis (ann. 1814), *Quum facile posset civile bellum movere, publico se bono consulere malle* ait, et imperium abdicat; quod otii pertæsus, mox recuperatum servare frustra voluit.

10. *Quam desperatione... aut diffidentia copiarum*, etc. Tacit. cap. 44, « Prætorianus miles, non virtute se, sed proditione victum, fremebat. Ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila; superesse cum ipso Othone, militum quod trans Padum fuerit; venire Mœsicas legiones; magnam exercitus partem Bedriaci remansisse; hos certe nondum victos; et, si ita ferret, honestius in acie perituros. » Et 46, « Nec Prætoriani tantum, proprius Othonis miles, sed præmissi e Mœsia, eamdem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas, nunciabant: ut nemo dubitet, potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis et victoribus. »

nuerat, et supervenientibus aliis e Dalmatia, Pannoniaque et Mœsia: ne victis quidem adeo afflictis, ut non in ultionem ignominiæ quidvis discriminis ultro, et vel solæ subirent.

X. Interfuit hoc bello pater meus Suetonius Lenis, ertiæ decimæ legionis Tribunus angusticlavius[1]. Is mox referre crebro solebât, Othonem etiam privatum usque adeo detestatum civilia arma, ut, memorante quodam inter epulas de Cassii Brutique exitu, cohorruerit: nec concursurum cum Galba fuisse[2], nisi confideret, sine bello rem transigi posse: tunc ad despiciendam vitam exemplo manipularis militis[3] concitatum, qui, quum cladem exercitus nunciaret, nec cuiquam fidem faceret, ac nunc mendacii, nunc timoris, quasi fugisset ex acie, argueretur, gladio ante pedes ejus incubuerit. Hoc viso, proclamasse eum, aiebat, « Non amplius se in periculum tales tamque bene meritos conjecturum[4]. » Fratrem igitur, fratrisque filium[5], et singulos amicorum cohortatus, ut

X. 1. *Tribunus angusticlavius.* Tribunatus erat tum militia equestris, ut Suetonius docet ipse in August. cap. 38. Sed interdum etiam non Equites ad hunc gradum fortitudine venere, et propterea in Equitum numerum relati, ut hic Suetonius Lenis. Sed hi usi sunt veteri Equitum insigni, *angusto clavo*, quum ii, qui clara equestri gente essent, *illustres* dicerentur, uterenturque *lato clavo*. Conf. quæ de *Equitibus illustribus* seu *laticlaviis* Lipsius et Ernest. ad Tacit. Annal. II, 4, et Ruben. de Re Vestiar. I, 8 et 14. Vide etiam ad August. cap. 38.

2. *Nec concursurum... fuisse;* h. e. certamen de imperio susceptu-rum fuisse. Ita συνίστασθαί τινι et σύστασις apud Græcos, de quovis certamine et seditione.

3. *Exemplo manipularis militis.* Cf. Xiphil. LXIV, 11, et Plutarch. cap. 15, diverse tamen rem narrantem. Similem fortitudinem Julii Agrestis, Centurionis sub Vitellio, narrat Tacit. Hist. III, 54. Nam eamdem rem cum nostra haud crediderim cum Ernest. ad loc. cit.

4. *Non amplius se... conjecturum.* Tacit. cap. 47, « Hunc, inquit, animum, hanc virtutem vestram ultra periculis objicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto. » Cf. ejus orationem apud Plutarch. et Xiphilin.

5. *Fratrisque filium.* Hunc solum

sibi quisque pro facultate consuleret[6], ab amplexu et osculo suo dimisit omnes, secretoque capto[7], binos codicillos exaravit: ad sororem consolatorios, sed et ad Messalinam Neronis[8], quam matrimonio destinarat, commendans reliquias suas et memoriam. Quicquid deinde epistolarum erat, ne cui periculo aut noxæ apud victorem forent, concremavit[9]. Divisit et pecunias[10] domesticis ex copia præsenti.

XI. Atque ita paratus, intentusque jam morti, tumultu inter moras exorto[1], ut eos, qui discedere et abire

memorant Tacitus, cap. 28, « Mox *Salvium Cocceianum, fratris filium*, prima juventa, trepidum et mœrentem, ultro solatus est, laudando pietatem ejus, castigando formidinem, etc. » et Plutarch. cap. 16. Interemtum hunc Salvium Cocceianum a Domitiano Noster narrat, Domit. 10. — *Fratrem, Salvium Titianum*, nocte juvante, discrimen pugnæ effugisse, Tacitus auctor est, cap. 44, et Vitellium vitæ ejus pepercisse, pietate et ignavia excusati, idem, cap. 60.

6. *Cohortatus, ut sibi quisque... consuleret*, etc. Tacit. cap. 48: « Ut cuique ætas aut dignitas, comiter appellatos, irent propere, neu remanendo iram victoris asperarent, juvenes auctoritate, senes precibus movebat, placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrimas coercens. Dari naves ac vehicula abeuntibus jubet. »

7. *Capto*. Ita jure e Memm. restituerunt Ernest. et Oudendorp. pro vulg. *captato*, quod alienum sensum infert, nisi contra usum linguæ auctorem *captare* dixisse pro *capere* statueris, quod vix admittendum; ubi frequentativo sua significatio singularis perpetua dicendi consuetudine adhæsit.

8. *Sed et ad Messalinam Neronis*; scil. uxorem; vide Neron. 35. Ceterum assentior iis, qui *sed* expunctum mallent, quum hi codicilli ad Messalinam non a binis illis diversi, sed ipsi alteri sint, et Codd. optimi fere *et* omittant.

9. *Quicquid deinde..... concremavit*. Tacitus, loc. cit. « Libellos epistolasque, studio erga se aut in Vitellium contumeliis insignes, abolet. »

10. *Divisit et pecunias*, etc. Tacitus, « Pecunias distribuit, parce, nec ut periturus. » Conf. Plutarch. cap. 17, qui serius tamen id factum memorat, quam scriptores Latini.

XI. 1. *Atque ita paratus... tumultu... exorto*, etc. Tacit. cap. 49, « Post quæ, dimotis omnibus, paulum requievit. Atque illum, supremas jam curas animo volutantem, repens tumultus avertit, nunciata consternatione ac licentia militum: namque abeuntibus exitium minitabantur, atrocissima in Verginium

cœptabant, corripi quasi desertores, detinerique sensit, « Adjiciamus, » inquit, « vitæ et hanc noctem, » his ipsis totidemque verbis : vetuitque, vim cuiquam fieri ; et in serum usque patente cubiculo, si quis adire vellet, potestatem sui præbuit. Post hoc sedata siti gelidæ aquæ potione[2], arripuit duos pugiones, et explorata utriusque acie, quum alterum pulvino subdidisset, foribus adopertis artissimo somno quievit[3]. Et circa lucem demum expergefactus, uno se trajecit ictu infra lævam [4] papillam : irrumpentibusque ad primum gemitum, modo celans, modo detegens plagam, exanimatus est, et celeriter (nam ita præceperat) funeratus[5], tricesimo et octavo

vi, quém clausa domo obsidebant. Increpitis seditionis auctoribus, regressus vacavit adeuntium alloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. » Conf. Plutarch. cap. 16. Pro *cœptabant*, al. male *captabant*.

2. *Post hoc sedata siti... potione.* Tacit. « Vesperascente die, sitim haustu gelidæ aquæ sedavit. » Cf. Plutarch. c. 17.

3. *Arripuit.... et.... quievit.* Tacit. « Tum allatis pugionibus duobus, quum utrumque pertentasset, alterum capiti subdidit : et explorato, jam profectos amicos, noctem quietam, utque affirmatur, non insomnem, egit. » Si Plutarcho fides, « intro vocatis domesticis, pecuniam pro meritis distribuit (vide cap. 10, fin.). Hinc, dimissis omnibus, clausis foribus, arcte dormivit, *ita ut cubicularii foribus adstantes stertentem audiverint.* » Vide, quam caute Tacitus de somno memoret, comparatus cum reliquis. Ceterum, solenni varietate alii nost. loco exhibent *adapertis*. Vindicarunt Ernest. et Oudendorp. *adopertis*, Codicibus reique ratione satis confirmatum.

4. *Et circa lucem... infra lævam papillam.* Tacit. « Luce prima in ferrum pectore incubuit. Ad gemitum morientis ingressi liberti servique et Plotius Firmus, Prætorii Præfectus, unum vulnus invenere. » Conf. Plutarch.

5. *Et celeriter... funeratus.* Tacit. « Funus maturatum : ambitiosis id precibus petierat, ne amputaretur caput, ludibrio futurum. Tulere corpus prætoriæ cohortes, cum laudibus et lacrimis, vulnus manusque ejus exosculantes. » Cf. Plutarch. qui, c. 18, vidisse se dicit *Brixelli* monumentum Othonis mediocre, inscriptum, *Memoriæ Marci Othonis*. Nihili igitur est, ut dudum censuere viri docti, quod loco nost. alii addunt *apud Culiternam*, vel *Culciternam*, vel *Veliternam*, etc. ex quo fuere, qui facerent *ac parvo cultu*.

ætatis anno[6], et nonagesimo et quinto imperii [7] die.

XII. Tanto Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competiit. Fuisse enim traditur et modicæ staturæ, et male pedatus scambusque[1]: munditiarum vero pæne muliebrium, vulso corpore[2], galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo, ut nemo dinosceret[3]: quin et faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum: idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset: sacra etiam Isidis sæpe in lintea religiosaque veste[4] propalam celebrasse. Per quæ factum putem, ut mors ejus, minime congruens vitæ, majori miraculo fuerit. Multi præsentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes jacentis exosculati[5], « fortissimum

6. *Tricesimo et octavo ætatis anno.* Ita et Eutropius, VII, 11, qui sequi solet Suetonium, et interpres ejus Græcus, Pæanius. Verum Tacit. cap. 50, « Hunc vitæ finem habuit *septimo et tricesimo* ætatis anno. » Ita et Aurel. Victor, Epit. c. 7; Plutarch. c. 18; et accuratissime Xiphil. LXIV, 15, τοῦτο τὸ τέλος τῷ Ὄθωνι ἐγένετο, ζήσαντι ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἔτη, ἕνδεκα ἡμερῶν δέοντα. Natus enim die 28 April. ann. 785 (vide cap. 2), periit die 17 April. ann. 822. Assentior autem Oudendorpio, qui, non corrigendum Suetonium censet e Tacitô, ut aliis placuerat, maxime Ryckio ad Tacit. l. c. quod vetat quoque Eutropii et Pæanii auctoritas, sed respiciendum morem Nostri, annum nativitatis mortisque calculo comprehendere soliti. Cf. etiam Reim. ad Xiphil. loc. cit.

7. *Et nonagesimo et quinto imperii die.* Xiphil. loc. cit. ἄρξαντι δὲ ἡμέρας ἐνενήκοντα, assentiente Zonara; Plutarch. ἄρξας δὲ τρεῖς μῆνας· Joseph. B. J. IV, 9, 9, ἡμέρας δύο καὶ τρεῖς μῆνας. Aliorum vide recensum apud Reimar. ad Xiphil. l. c. Quomodo constituendi sint imperii dies e Tacit. Hist. II, 55, ubi auditum Romæ de morte Othonis legimus, quum *Cereales* ludi forte agerentur, idem docet, discedens a Lipsii sententia ad Tacit. loc. cit. et Grævii ad hunc nost.

XII. 1. *Scambusque.* Ita Turneb. Advers. V, 1, legi jussit e libris exhibentibus *cambusque.* Vulg. *calvusque.*

2. *Vulso corpore.* Vide not. ad Cæs. cap. 45.

3. *Dinosceret.* Ita optimi Codd. pro *dignosceret.*

4. *Sacra etiam.... in lintea... veste*, etc. Vide Pitiscum ad hunc locum, de cultu Isidis linteisque vestibus sacerdotum plurimis exponentem.

5. *Multi... exosculati.* Cf. Tacit. et Plutarch. ad cap. 11 citatos.

virum, unicum Imperatorem » prædicantes, ibidem statim nec procul a rogo vim suæ vitæ attulerunt[6]. Multi et absentium, accepto nuncio, præ dolore armis inter se ad internecionem concurrerunt. Denique magna pars hominum, incolumem gravissime detestata, mortuum laudibus tulit[7]: ut vulgo jactatum sit etiam, « Galbam ab eo non tam dominandi, quam Reipublicæ ac libertatis restituendæ causa, interemtum. »


6. *Ibidem statim... vim suæ vitæ attulerunt.* Tacit. c. 49, « Quidam militum juxta rogum interfecere se, non noxa, neque ob metum, sed æmulatione decoris et caritate Principis : ac postea promiscue Bedriaci, Placentiæ, aliisque in castris celebratum id genus mortis. » Cf. Plutarch. cap. 17, cujus verba quum interpretationem exhibeant Taciti, puto egregie defendi posse sententiam eorum, qui apud hunc *non noxa* mutant in *non nexu*, verbis scriptoris Græci οὐδὲν... πεπονθότες χρηστὸν ὑπὸ τοῦ τεθνηκότος, nisi hunc fefellit vocabulum Latinum, et affinitas adjectivi *obnoxius*.

7. *Denique magna pars... mortuum laudibus tulit.* Cf. Plutarch. cap. 18. — De Galba atque Othone Imperatoribus vide CORNEILLE, in tragœdia, cui Othonis nomen est.

VITELLIUS.



VITELLIUS.



Laguiche del. et direx. Sixdeniers sculp.

2. *Fauno*; qui tertio loco post Saturnum regnavit, si fides Justino, XLIII, 1. — De *Vitellia* nihil

Æquis, qui ... *colæ*, *Æquiculani*, vide pag. 782; de *Nuceria* seu *Luceria*, Apuliæ urbe, pag. 882.



Laguiche del.t et direx.t — Sixdeniers sculp.t

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N. E. LEMAIRE.

C. SUETONII TRANQUILLI

A. VITELLIUS.

I. VITELLIORUM originem alii aliam, et quidem diversissimam, tradunt: partim veterem et nobilem, partim vero novam et obscuram, atque etiam sordidam: quod ego per adulatores obtrectatoresque Imperatoris Vitellii evenisse opinarer, nisi aliquanto prius de familiæ conditione variatum esset. Exstat Q. Eulogii[1] ad Q. Vitellium, Divi Augusti Quæstorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno[2], Aboriginum rege, et Vitellia, quæ multis locis pro numine coleretur, ortos, toto Latio imperasse: horum residuam stirpem ex Sabinis transisse Romam, atque inter patricios allectam[3]: indicia stirpis mansisse diu, viam Vitelliam ab Janiculo ad mare usque; item coloniam ejusdem nominis[4], quam gentili copia adversus Æquiculos

I. 1. *Q. Eulogii.* Hæc Casauboni est conjectura, plerisque probata, ut Q. Vitellius Eulogius vel Eclogius libertus fuerit Q. Vitellii. Vulg. *Exstatque elogii*, vel *elogi... libellus*, quod vix cum Latinitate conciliaris. Alii alia suasere, ut Lips. ad Tacit. Annal. III, 57, *Q. Longini*, Muret. Var. Lect. II, 13, *Q. Clodii*.

2. *Fauno;* qui tertio loco post Saturnum regnavit, si fides Justino, XLIII, 1. — De *Vitellia* nihil compertum. Mox al. *imperitasse*.

3. *Transisse... allectam.* Idem legimus de Claudia gente Tiber. c. 1.

4. *Item coloniam ejusdem nominis.* Liv. V, 29, « *Vitellium coloniam* Romanam in suo agro Æqui expugnant. » Vide Sigon. de Ant. Jur. Ital. II, 5, et Cellar. Geogr. Ant. II, 9, pag. 785. Eumdem de *Æquis*, qui iidem *Æquiculi, Æquicolæ, Æquiculani*, vide pag. 782; de *Nuceria* seu *Luceria*, Apuliæ urbe, pag. 882.

tutandam olim depoposcissent : tempore deinde Samnitici belli, præsidio in Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ; eorumque progeniem longo post intervallo repetisse Urbem atque ordinem senatorium.

II. Contra plures auctorem generis libertinum prodiderunt. Cassius Severus[1], nec minus alii, eundem et sutorem veteramentarium : cujus filius, sectionibus et cognituris[2] uberius compendium nactus, ex muliere vulgari[3], Antiochi cujusdam furnariam exercentis[4] filia, Equitem Romanum genuerit. Sed quod discrepat, sit in medio. Ceterum P. Vitellius, domo Nuceria, sive ille stirpis antiquæ, sive pudendis parentibus atque avis, Eques certe Romanus, et rerum Augusti [5]procurator, quatuor filios amplissimæ dignitatis cognomines, ac tantum prænominibus distinctos, reliquit, Aulum, Quintum, Publium, Lucium. AULUS in consulatu obiit, quem cum Domitio, Neronis Cæsaris patre, inierat[6] : prælautus alio-

II. 1. *Cassius Severus.* Vide ad Calig. 16 de hoc oratore notata.

2. *Cognituris.* Ita optimi libri. Al. *consuturis* et *suturis*, inepte. *Cognitores* sunt delatores, *cognituræ* præmia delationum. Vide Gronov. de Pecun. Vet. IV, 3. *Sectiones* autem esse emtionem bonorum hastæ subjectorum, satis notum. Cf. Ernest. Clav. Cicer. sub hanc voc.

3. *Ex muliere vulgari.* Intelligo, quæ vulgo corpus prostituebat, cum Torrentio, Ernestio, aliisque. Citavit ille Ovid. Fast. IV, 865,

Numina, *vulgares*, Veneris celebrate, *puellæ.*

Ita Domit. 22, cum Codd. legendum *vulgarissimas meretrices*, non *vulgatissimas.* Ita denique *vulgaris liberalitas* Cicer. Offic. I, 16, 9, est, *quæ ad omnes pertinet.* Alii *unam ex vulgo*, *ex humili plebe*, interpretantur, quibuscum faciunt Oudend. et Wolfius. At otiosum hoc esse additamentum, quum obscurum patris nomen sordidusque quæstus proxime commemoretur, negari non potest, quamvis obloquatur Wolfius.

4. *Furnariam exercentis;* non *pistoris*, sed ex furnis vulgo locandis quæstum facientis, quomodo recte interpretatur Wolfius.

5. *Et rerum Augusti procurator;* χρημάτων διοικητής. Violentior est crisis Ernestii, ut spurium damnantis vocabulum *rerum.*

6. *In consulatu... quem cum Domitio... inierat;* h. e. quem eodem anno inierat, quo Domitius et Camillus Consules fuerunt, U. C. 785. Cf. Othon. 2. Vitellium suffectum

qui[7], famosusque cœnarum magnificentia. QUINTUS caruit ordine[8], quum auctore Tiberio secerni minus idoneos Senatores removerique placuisset. PUBLIUS, Germanici comes, Cn. Pisonem, inimicum et interfectorem ejus, accusavit condemnavitque[9]: ac post præturæ honorem inter Sejani conscios arreptus[10], et in custodiam fratri datus, scalpro librario venas sibi incidit: nec tam mortis pœnitentia, quam suorum obtestatione, obligari curarique se passus, in eadem custodia morbo periit. LUCIUS ex consulatu[11] Syriæ præpositus, Artabanum Parthorum regem summis artibus, non modo ad collo-

esse Kal. Jul. patet ex inscriptione,

Cn. Domitius Ahenobarbus Cos.
Suf. Kal. Jul. A. Vitellius Cos.

Vide Noris. Ep. Consular. (Græv. Thes. tom. XI, pag. 405), et Burmann. atque Oudendorp. ad hunc locum.

7. *Prælautus alioqui.* Al. *prælatus*, nonnulli etiam *eloquio*, unde Burmann. latere putat nomen viri, cui in consulatu prælatus Vitellius, conjicitque *prælatus Claudio*. Sed salva est lectio, quam cum superioribus editoribus exhibeo. Et *alioqui* h. e. in reliquis *prælautus* fuit, quo sensu Ner. 30 legimus, et famosus præcipue cœnarum magnificentia.

8. *Quintus caruit ordine;* h. e. Senatu motus est. Tacit. Annal. II, 48, « Tiberius prodigos et ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, *Q. Vitellium* movit Senatu, aut sponte cedere passus est. »

9. *Publius... condemnavitque;* h. e. ut condemnaretur, effecit. Cf. Tiber. 8. De re vide Tacit. Annal. III, 10—15, et Plin. H. N. II, 37 (17), ubi ne credas, quæ Harduinus de Germanici cognomine, Vitellio hereditario, fuse disputat; imo vide infra ad cap. 8.

10. *Arreptus.* Supra, Cæs. cap. 23, « et statim Quæstor ejus... aliquot criminibus *arreptus est*. » De re Tacit. Annal. V, 8: « Relatum inde de P. Vitellio et Pomponio Secundo. Illum indices arguebant, claustra ærarii, cui præfectus erat, et militarem pecuniam rebus novis obtulisse... Neque aliud periclitantibus auxilii, quam in fratrum constantia fuit, *qui vades exstitere*. Mox, crebris prolationibus, spem ac metum juxta gravatus Vitellius, petito per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit, vitamque ægritudine animi finivit. » Docet hic locus, quomodo in fratris custodiam venerit P. Vitellius.

11. *Lucius ex consulatu;* quem gessit ann. 787, cum Fabio Persico. Tacit. Annal. VI, 28; Dio, LVIII, 24. Præfectum Syriæ dicit Tacit. Annal. VI, 32, ubi plura de ejus ingenio.

quium suum, sed etiam ad veneranda legionum signa pellexit[12]. Mox cum Claudio Principe, duos insuper ordinarios consulatus[13], censuramque gessit. Curam quoque imperii sustinuit, absente eo, expeditione Britannica[14] : vir innocens, et industrius, sed amore libertinæ perinfamis[15], cujus etiam salivis melle commixtis, ne clam quidem aut raro, sed quotidie ac palam, arterias et fauces pro remedio fovebat. Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorare ut Deum[16] instituit; quum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se[17], deinde pro-

12. *Artabanum... pellexit*. Cf. ad Calig. 14; Dion. LIX, 27, qui hoc ipso loco vix Caligulæ sævitiam humillima adulatione Vitellium narrat evasisse : vide infra.

13. *Duos insuper ordinarios consulatus*, etc. alterum ann. 796, cum Imperatore Claudio (vide Dion. LX, 17 et 21, et ad Claud. 14), et tertium ann. 800, et ipsum cum Claudio (cf. Dion. LX, 29). — *Censuram* L. Vitellii, de qua Tacit. Annal. XII, 4, numis illustravit Patin. Tab. 28. Cf. Spanhem. de Præstantia et Usu Numism. tom. II, Dissert. 12, p. 475. Tacit. Hist. I, 9, « A. Vitellius, *Censoris Vitellii ac ter Consulis* filius. » I, 52, « Vitellio *tres patris consulatus, censuram, collegium Cæsaris*, imponere jampridem Imperatoris dignationem. » Eumdem vide III, 66. Censuræ honor ut omnino reliquos præcellebat, ita illustrior exstitit, ex quo Imperatores sibi addere eum cœperant.

14. *Expeditione Britannica*. Vide Claud. cap. 17.

15. *Sed amore libertinæ perinfamis*, etc. unde *os Vitellii impudicum* Tacit. Annal. XI, 3, secundum Lipsium.

16. *Primus C. Cæsarem adorare... instituit*; i. e. cœpit. Quis enim non præferat Memmiani *adorare* vulgato *adorari?* Cf. Burm. Græv. Oudend. De re Tacit. Annal. VI, 32, « Unde (Oriente) regressus, et formidine C. Cæsaris, familiaritate Claudii, turpe in servitium mutatus, exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur; cesseruntque prima postremis, et bona juventæ senectus flagitiosa obliteravit. » Fecit id, ut vitæ discrimen effugeret. Cf. Dio, LIX, 27, qui et illud refert pudendum adulationis exemplum : Quum Vitellium percontaretur Caius, qui cum Luna sibi rem esse credi volebat, *vidissetne ipsum cum Dea congredi*; quasi attonitus, defixis humi oculis, voce exigua ac tremens, *Solis*, inquit, *Domine*, *vobis Diis licet invicem videre*.

17. *Non aliter.... quam capite velato, circumvertensque se*. Vide Torrent. et Pitiscum ad h. l. et qui a Pitisco laudantur.

cumbens. Claudium, uxoribus libertisque addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere a Messalina[18] petiit, ut sibi pedes præberet excalciandos : detractumque socculum dextrum, inter togam tunicasque gestavit assidue, nonnunquam osculabundus. Narcissi quoque et Pallantis imagines aureas inter Lares[19] coluit. Hujus et illa vox est, « Sæpe facias ; » quum seculares ludos edenti Claudio[20] gratularetur.

III. Decessit paralysi, altero die quam correptus est, duobus filiis superstitibus, quos ex Sextilia[1], probatissima nec ignobili femina, editos Consules vidit[2], et quidem eodem ambos totoque anno, quum majori minor in sex menses successisset. Defunctum Senatus publico funere[3] honoravit : item statua pro Rostris, cum hac inscriptione, PIETATIS IMMOBILIS ERGA [4]PRINCIPEM. Aulus Vitellius L. filius IMPERATOR natus est octavo Kalendas Octobris, vel, ut quidam, septimo Idus Se-

18. *A Messalina ;* cui quanto opere inservierit, docet Tacit. Annal. XI, 3 et 33. Tamen nuptias Claudii et Agrippinæ idem mox conciliavit. Tacit. XII, 5.

19. *Inter Lares.* Hic etiam locus confirmare videtur conjecturam Lipsii ad August. c. 7, *inter cubiculi Lares.* In cubiculo autem erant statuæ, quibus præcipuus cultus exhibebatur.

20. *Seculares ludos edenti Claudio.* Cf. ad Claud. 21. — De formula *Sæpe facias*, in auspiciis sollemni, in secularibus ludis stultissimæ adulationis, vide Brisson. de Formulis, VIII, pag. 721.

III. 1. *Sextilia.* Feminam *antiqui moris* dicit. Tacit. Hist. II, 64. Vide eumdem, II, 89, et III, 67, ubi ejus mortem memorat.

2. *Consules vidit*, etc. A. U. 801. Conf. Pighii Annal. tom. III, pag. 578.

3. *Publico funere.* Vide Tacit. III, 48, et VI, 11. Cf. Guther. de Jur. Man. II, 1, et Kirchmann. de Fun. Rom. pag. 20 seq. Mox vitiose in edit. Wolf. *idem* pro *item*.

4. *Pietatis.... erga Principem.* Scilicet postquam majestas prius populi Romani, mox etiam Deorum in Principes collata fuerat, *pii* erant servi Principum, *impii*, qui majestatem eorum læsisse videbantur. Ita Domit. 10, *impie locutus ;* Tacit. Annal. VI, 47, « Albucilla.... defertur *impietatis in Principem.* » Ita sæpissime Dio ἀσεβεῖν, ἀσεβείας ἔγκλημα, ἀσεβές τι ποιεῖν vel εἰπεῖν, et his contraria. Conf. Fabric. ad eumdem Dion. LVII, 9, et Vales.

ptembris, Druso Cæsare, Norbano Flacco, Consulibus[5]. Genituram ejus, prædictam a mathematicis, ita parentes exhorruerunt, ut pater magno opere semper contenderit, ne qua ei provincia vivo se committeretur; mater et missum ad legiones, et appellatum Imperatorem, pro afflicto statim lamentata sit, Pueritiam primamque adolescentiam Capreis egit inter Tiberiana scorta, et ipse perpetuo Spintriæ cognomine[6] notatus, existimatusque corporis gratia initium et causa incrementorum patri fuisse.

IV. Sequenti quoque ætate omnibus probris contaminatus[1], præcipuum in aula locum tenuit; Caio per aurigandi, Claudio per aleæ studium familiaris; sed aliquanto Neroni acceptior[2], quum propter eadem hæc, tum peculiari merito, quod præsidens certamini Neroneo[3], cupientem inter citharœdos contendere, nec, quamvis flagitantibus cunctis, promittere audentem, ideoque egressum theatro, revocaverat, quasi perseverantis populi legatione suscepta, exorandumque præbuerat[4].

V. Trium itaque Principum indulgentia, non solum honoribus, verum et sacerdotiis amplissimis auctus, pro-

ad Excerpt. Peiresc. inserta Xiphilin. LXVI, 9, aliosque aliis locis.

5. *Druso Cæsare, Norbano Flacco, Consulibus;* A. U. 768. De annis vitæ Vitellii vide ad cap. 18.

6. *Spintriæ cognomine.* Cf. Tiber. 43; et Calig. 16, not. De Vitellio consentit Xiphil. LXIV, 4.

IV. 1. *Omnibus probris contaminatus.* Xiphil. LXV, 2.

2. *Sed.... Neroni acceptior,* etc. Tacit. Hist. II, 71, « namque et Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu et saginæ mancipatus emtusque. »

3. *Certamini Neroneo.* Vide Neron. cap. 12 et 21. Ceterum Muller. in Schedis conjiciebat *Neronem cupientem.*

4. *Exorandumque præbuerat.* Hæc optimorum Codd. et editt. est lectio. Al. *præbuerit,* ut proxime *revocaverit,* quod est contra Latinitatem in re, quam pro certa narrat auctor; al. omittunt copulam *que,* quo distorquetur oratio. Argutantur Ernestius et Oudendorp., ille suadens *exoratum,* vel « quasi.... *exoratum præbuerit,* » hic deleri jubens vocem *præbuerat,* vel

consulatum Africæ[1] post hæc, curamque operum publicorum administravit, et voluntate dispari, et existimatione. In provincia singularem innocentiam [2] præstitit biennio continuato, quum succedenti fratri legatus substitisset[3]. At in urbano officio dona atque ornamenta templorum surripuisse, et commutasse quædam ferebatur, proque auro et argento stannum et aurichalcum supposuisse.

VI. Uxorem habuit Petroniam[1], consularis viri filiam, et ex ea filium Petronianum, captum altero oculo. Hunc, heredem a matre sub conditione institutum, si de potestate patris exisset[2], manu emisit; brevique, ut creditum est, interemit, insimulatum insuper parricidii, et quasi paratum ad scelus venenum ex conscientia [3]hausisset. Duxit mox Galeriam[4] Fundanam prætorio patre: ac de

præbuerit cum *que* in voce proxima.

V. 1. *Proconsulatum Africæ,* etc. Memorat Tacit. Hist. I, 70, et II, 97. Cf. Pigh. Annal. tom. III, pag. 594, qui ad Consules Neronem IV et Cornelium Lentulum Cossum (ann. 813) refert.

2. *In provincia.... præstitit.* Tacit. Hist. II, 97, « *integrum illic ac favorabilem* proconsulatum Vitellius egerat. »

3. *Substitisset.* Aliorum lectio *substitutus esset* ferri nequit. Ita enim Proconsul post fratrem fuisset. Imo remansit, exacto proconsulatus anno, in provincia, et submisit se sponte fratri, ut legatum. Recte autem monent, jungenda *fratri legatus.* Conf. Tiber. 12. Antea mallem *biennio continuo.*

VI. 1. *Uxorem habuit Petroniam ;* filiam P. Petronii Turpiliani, Consulis ann. 814, vel sororem. Vide Reimar. ad Xiphilin. LXV, 4, et Ryck. ad Tacit. Hist. II, 64, ubi Dolabella postea in matrimonium accepisse dicitur hanc Petroniam. — De nomine, filio *Petroniano* a matre indito, vide not. ad Othon. 1, et Pitisc. ad nost. loc.

2. *Si de potestate patris exisset.* De *patria potestate* vide Heinecc. Ant. Rom. I, 9; de *emancipatione,* eumdem, I, 12, 5 seq. cf. II, 9, 2.

3. *Hausisset.* Hoc confirmatur lectione plerorumque *hausisse.* Certe *hauserit* probare noluerim cum Ernest. et Oudend. Illum miror h. l. desiderare tempus, quod alibi contra usum Suetonii temere impugnat, neque hic respiciendum præcedens *quasi,* sed omnis ordo narrationis, et consecutio temporum, legitimæ narrationi consentanea.

4. *Duxit mox Galeriam.* Bene de ea sentit Tacit. Hist. II, 60 et 64, contra Xiphilin. LXV, 4, ubi vide Reimar.

hac quoque liberos utriusque sexus tulit; sed [5]marem titubantia oris prope mutum et elinguem.

VII. A Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem missus est. Adjutum putant T. Vinii[1] suffragio, tunc potentissimi, et cui jam pridem per communem factionis venetæ[2] favorem conciliatus esset : nisi quod Galba præ se tulit, nullos minus metuendos, quam qui de solo victu cogitarent, ac posse provincialibus copiis profundam ejus expleri gulam; ut cuivis evidens sit, contemtu magis, quam gratia, electum. Satis constat, exituro viaticum defuisse, tanta egestate rei familiaris, ut, uxore et liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo[3] abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret; utque ex aure matris detractum unionem pigneraverit[4] ad itineris impensas. Creditorum[5] quidem præstolantium ac detinentium turbam, et in his Sinuessanos Formianosque, quorum publica vectigalia interverterat, non nisi terrore calumniæ amovit; quum libertino cuidam, acerbius debitum reposcenti, injuriarum formulam[6], quasi calce ab

5. *Marem;* quem, auctore Tacit. Hist. II, 59, « *Germanicum* appellavit, cinxitque cunctis fortunæ principalis insignibus. » Interfectus est post patrem. Vide infra cap. 18, et Tacit. Hist. IV, 80.

VII. 1. *T. Vinii.* Vide Galb. 14, et quæ ibi notavimus.

2. *Factionis venetæ.* Ita e Memm. Oudend. et Wolf. pro *suæ*, quos sequi me jubet et linguæ ratio, qua *factionem suam* pro *eam, cui favebant,* dici posse, recte negat Oudendorpius, et locus Xiphil. LXV, 5, ubi multi risisse dicuntur Vitellium Imperatorem, quod veneto indutus habitu ipse aliquando abstergendis equis operam in Circo præstiterit. Cf. Noster, cap. 14. De aurigarum factionibus diximus ad Calig. cap. 55.

3. *Meritorio cœnaculo;* quod nos, *un logement à loyer. Cœnaculum* autem frequens jurisconsult. de superiore ædium parte, quo scalis ascenderetur : hanc tenebant distincta fere habitatione tenuiores.

4. *Pigneraverit.* Legendum puto *pignerarit*, quam formam optimi libri alias exhibent, et MS. alter vitiose *pigneravit.* Antea mallem *ablocarit.*

5. *Creditorum*, etc. Cf. Xiphil. LXV, 2 et 5. Vide infra, cap. 14.

6. *Injuriarum formulam.* Conf. Heinecc. Ant. Rom. IV, 4.

eo percussus, intendisset, nec aliter, quam extortis quinquaginta sestertiis, remisisset. Advenientem male animatus erga Principem exercitus, pronusque ad res novas, libens ac supinis manibus excepit, velut dono Deum oblatum, ter Consulis filium, ætate integra, facili ac prodigo animo. Quam veterem de se persuasionem Vitellius recentibus etiam experimentis auxerat, tota via caligatorum quoque militum [7] obvios exosculans, perque stabula [8] ac deversoria mulionibus ac viatoribus præter modum comis; ut mane singulos, jamne jentassent, sciscitaretur, seque fecisse, ructu quoque ostenderet.

VIII. Castra vero ingressus nihil cuiquam poscenti negavit : atque etiam ultro ignominiosis notas, reis sordes, damnatis supplicia demsit [1]. Quare, vixdum mense transacto [2], neque diei, neque temporis habita ratione [3], ac jam vespere, subito a militibus e cubiculo raptus, ita ut erat, in veste domestica [4], Imperator est consalutatus [5], cir-

7. *Caligatorum quoque militum*, etc. Unice vera hæc est lectio. Vulg. *quosque*. *Caligati*, h. e. manipulares opponuntur *ducibus*, sive iis, qui gradum aliquem militiæ habebant. Supra August. 25, « ac sæpe *etiam caligatis* tribuit. » De ambitione Vitellii cf. Tacit. Hist. I, 52.

8. *Perque stabula;* i. e. cauponas, πανδοχεῖα.

VIII. 1. *Castra vero.... demsit.* Tacit. Histor. I, 52: « Sub ipsas superioris anni (821) Kalend. Decembres A. Vitellius, inferiorem Germaniam ingressus, hiberna legionum cum cura adierat. Redditi plerisque ordines, remissa ignominia, allevatæ notæ; plura ambitione, quædam judicio; in quibus sordem et avaritiam Fonteii Capitonis, adimendis assignandisque militiæ ordinibus, integre mutaverat. »

2. *Vixdum mense transacto;* initio mensis Januarii ann. 822. Cf. Tacit. I, 56 seq.

3. *Neque diei, neque temporis habita ratione;* an dies faustus, et *tempus* sive hora diei auspicata esset. Vide Neron. 8.

4. *In veste domestica.* Conf. August. 73, et ibi not.

5. *Imperator est consalutatus.* Tacit. Hist. I, 57: « Proxima legionis primæ hiberna erant, et promtissimus e legatis Fabius Valens. Is die postero coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus, Imperatorem Vitellium consalutavit. Secutæ ingenti certamine ejusdem provinciæ legiones; et superior exercitus, speciosis Senatus populique Romani

cumlatusque per celeberrimos vicos, strictum Divi Julii gladium tenens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum sibi a quodam : nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini : quum quidem [6], consternatis, et quasi omine adverso anxiis omnibus, « Bono, » inquit, « animo estote; nobis alluxit; » nullo sermone alio apud milites usus. Consentiente deinde etiam superioris provinciæ [7] exercitu, qui prius a Galba ad Senatum defecerat, cognomen *Germanici*, delatum ab universis, cupide recepit [8] : *Augusti* distulit : *Cæsaris* in perpetuum recusavit.

IX. Ac subinde cæde Galbæ annunciata [1], compositis Germanicis rebus, partitus est copias [2], quas adversus

nominibus relictis, III Non. Januar. Vitellio accessit. » Cf. Galb. 16.

6. *Quum quidem*, etc. Male al. novam periodum incipiunt ita : *Tum quidem*, etc.

7. *Superioris provinciæ exercitu*. Vide Galb. 16; Plutarch. Galb. 22; Tacit. I, 55.

8. *Cognomen Germanici.... cupide recepit*, etc. Tacit. Histor. I, 62, « Nomen *Germanici* Vitellio statim additum; *Cæsarem* se appellari etiam victor prohibuit. » Idem, II, 62, « Præmisit in Urbem edictum, quo vocabulum *Augusti* differret, *Cæsaris* non reciperet, quum de potestate nihil detraheret. » Auctore tamen eodem, III, 58, in summa desperatione « *et Cæsarem se dici voluit*, adspernatus antea; sed tunc, superstitione nominis, et quia in metu consilia prudentium et vulgi rumor juxta audiuntur. » Cf. Plutarch. Galb. 22, et vide Reimar. ad Xiphil. LXV, 1.

IX. 1. *Cæde Galbæ annunciata*. Tacit. Hist. I, 64, « Nuncium de cæde Galbæ et imperio Othonis Fabius Valens in civitate Leucorum accepit. Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus; bellum volvebat. »

2. *Partitus est copias*, etc. Tacit. Histor. I, 61 : « Adjuncto Britannico exercitu, ingens viribus opibusque Vitellius, duos duces, duo itinera bello destinavit. Fabius Valens allicere, vel, si abnuerent, vastare Gallias, et Cottianis Alpibus Italiam irrumpere; Cæcina propiore transitu, Peninis jugis degredi jussus. Valenti inferioris exercitus delecti, cum aquila quintæ legionis et cohortibus alisque, ad XL millia armatorum data. XXX millia Cæcina e superiore Germania ducebat, quorum robur legio una, prima et vicesima, fuit. Addita utrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius suas quoque copias supplevit, tota mole belli secuturus. »

Othonem præmitteret, quasque ipse perduceret. Præmisso agmine[3], lætum evenit auspicium; siquidem a parte dextra repente aquila advolavit[4], lustratisque signis, ingressus viam sensim antecessit. At contra, ipso movente, statuæ equestres, quum plurifariam ei ponerentur, fractis repente cruribus pariter corruerunt: et laurea, quam religiosissime circumdederat, in profluentem excidit. Mox Viennæ pro tribunali jura reddenti gallinaceus[5] supra humerum, ac deinde in capite adstitit. Quibus ostentis par respondit exitus: nam confirmatum per legatos suos imperium, per se[6] retinere non potuit.

X. De Betriacensi victoria[1] et Othonis exitu, quum adhuc in Gallia esset, audiit: nihilque cunctatus, quicquid prætorianarum cohortium fuit[2], ut pessimi exempli, uno exauctoravit edicto, jussas Tribunis tradere arma. Centum autem atque viginti[3], quorum libellos Othoni datos inve-

3. *Præmisso agmine*. Ita edidimus e Memm. aliisque optimæ notæ Codd. pro *agmini*. Sequitur enim *At contra, ipso movente*, etc.

4. *Repente aquila advolavit*, etc. Tacit. Histor. I, 62, « Lætum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipso profectionis die, aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viæ, prævolavit; longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea quies interritæ alitis fuit, ut haud dubium magnæ et prosperæ rei omen acciperetur. » — *Lustratis signis*, circumitis. Vide Pitiscum.

5. *Gallinaceus*, etc. Interpretationem ostenti dat auctor, cap. 18.

6. *Per se*; αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ. Vide Cæs. 58.

X. 1. *Betriacensi victoria*. Cf. ad Othon. 9. De re Tacitus, II, 57, « paucorum dierum iter progressus, prosperas apud Betriacum res, ac morte Othonis concidisse bellum, accepit, etc. »

2. *Quicquid prætorianarum cohortium fuit*, etc. Tacit. II, 67, « Proximus Vitellio e prætoriis cohortibus metus erat. Separati primum, deinde, addito honestæ missionis lenimento, arma ad Tribunos suos deferebant; donec motum a Vespasiano bellum crebresceret; tum, resumta militia, robur Flavianarum partium fuere. »

3. *Centum autem atque viginti*, etc. Tacit. Histor. I, 44, « Plures quam CXX libellos præmia exposcentium, ob aliquam notabilem illa die (cædis Galbæ) operam, Vitellius postea invenit; omnesque conquiri et interfici jussit, non ho-

nerat, exposcentium præmia ob editam in cæde Galbæ operam, conquiri, et supplicio affici imperavit: egregie prorsus atque magnifice, et ut summi Principis spem ostenderet, nisi cetera magis ex natura, et priore vita sua, quam ex imperii majestate gessisset. Namque itinere inchoato[4], per medias civitates ritu triumphantium vectus est: perque flumina delicatissimis navigiis, et variarum coronarum genere redimitis, inter profusissimos opsoniorum apparatus, nulla familiæ aut militis disciplina, rapinas ac petulantiam[5] omnium in jocum vertens, qui non contenti epulo ubique publice præbito, quoscunque libuisset, in libertatem asserebant, verbera et plagas, sæpe vulnera, nonnunquam necem, repræsentantes[6] adversantibus. Utque campos, in quibus pugnatum est, [7]adiit,

nore Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultionem.» Cf. Plutarch. Galb. c. 27. Idem accidit post Julii Cæsaris cædem. Vide Appian. Bell. Civ. II, 119.

4. *Namque itinere inchoato*, etc. Sæpius Tacitus de hoc Vitellii itinere, luxuriæ licentiæque pleno; ut II, 62, «Epularum fœda et inexplebilis libido; ex Urbe atque Italia irritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus; exhausti conviviorum apparatibus principes civitatum; vastabantur ipsæ civitates; degenerabat a labore ac virtute miles, adsuetudine voluptatum et contemtu ducis;» cap. 68, «Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quam disciplinæ et castris, propiora;» cap. 71, «Quanto magis propinquabat (Urbi), tanto corruptius iter, immixtis histrionibus et spadonum gregibus, et cetero Neronianæ aulæ ingenio;» cap. 87, «Vitellius contemtior in dies segniorque, ad omnes municipiorum villarumque amœnitates resistens, gravi Urbem agmine petebat, etc.»

5. *Rapinas ac petulantiam*, etc. Vide Tacit. II, 56 et 87.

6. *Repræsentantes.* Supra, Claud. 34, *tormenta repræsentare* de pœnis, quas mora nulla Claudius exigebat.

7. *Utque campos.... adiit*, etc. Tacit. Histor. II, 70, «Inde Vitellius Cremonam flexit, et, spectato munere Cæcinæ, insistere Betriacensibus campis, ac vestigia recentis victoriæ lustrare oculis concupivit. Fœdum atque atrox spectaculum.... Et erant, quos varia fors rerum, lacrimæque et misericordia subiret. At non Vitellius flexit oculos, nec tot millia insepultorum civium exhorruit. Lætus ultro, et tam propinquæ sortis ignarus, in-

abhorrentes quosdam cadaverum tabem, detestabili voce confirmare ausus est : « Optime olere occisum hostem, et melius civem. » Nec eo secius ad leniendam gravitatem odoris plurimum meri propalam hausit, passimque divisit. Pari vanitate atque insolentia lapidem, *Memoriæ Othonis* inscriptum[8], intuens, « dignum eo Mausoleo » ait : pugionemque, quo is se occiderat, in Agrippinensem coloniam misit, Marti dedicandum. In Apennini quidem jugis etiam pervigilium egit.

XI. Urbem denique ad classicum introiit[1] paludatus, ferroque succinctus, inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis. Magis deinde ac magis omni divino humanoque jure neglecto, Alliensi die[2] pontificatum maximum cepit : comitia in decem annos ordinavit[3], seque perpetuum Consulem. Et ne cui

staurabat sacrum Diis loci. » Conf. Xiphil. LXV, 1.

8. *Lapidem, Memoriæ Othonis inscriptum;* hoc est monumentum, quod Brixelli se vidisse ait Plutarch. Othon. 18.

XI. 1. *Urbem... ad classicum introiit,* etc. Contra Tacit. Hist. II, 89, « Ipse Vitellius, a ponte Milvio, insigni equo, paludatus accinctusque, Senatum et Populum ante se agens, quo minus ut captam Urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumta prætexta et composito agmine incessit. » Vide nost. Taciti not. t. III, p. 240. Ed.

2. *Alliensi die;* XV Kal. Sextil. (a. 18 Jul.), quo fusi fuerant Romani ad flumen Alliam, de qua clade vide Liv. V, 37 seq. De *die atra Alliensi* vide Rosin. Ant. Rom. IV, 2, pag. 285, quem miror cum aliis, qui de institutis Romanorum scripserunt, diem Alliensem ponere XVII Kal. Sextil. quum etiam Liv. VI, 1, « Tum de diebus religiosis agitari cœptum, diemque a. d. XV Kal. Sext. duplici clade insignem (quo die ad Cremeram Fabii cæsi, quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis fœde pugnatum), a posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque rei nulli publice privatimque agendæ fecerunt. » De re nostra Tacit. Hist. II, 91 : « Apud civitatem, cuncta interpretantem, funesti ominis loco acceptum est, quod, maximum pontificatum adeptus, Vitellius de cerimoniis publicis XV Kal. August. edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus : adeo omnis humani divinique juris expers, pari libertorum amicorumque socordia, velut inter temulentos agebat. »

3. *Comitia... ordinavit.* De consulatibus, cum maxima licentia ab eo datis, vide Tacit. Histor. II, 71.

dubium foret, quod exemplar regendæ Reipublicæ eligeret, medio Martio campo, adhibita publicorum sacerdotum frequentia, inferias Neroni dedit[4]: ac sollemni convivio citharœdum placentem palam admonuit, ut aliquid et de Dominico[5] diceret; inchoantique Neroniana cantica, primus exsultans etiam plausit.

XII. Talibus principiis, magnam imperii partem non nisi consilio et arbitrio vilissimi cujusque histrionum et aurigarum[1] administravit, et maxime Asiatici[2] liberti. Hunc adolescentulum, mutua libidine constupratum, mox tædio profugum, quum Puteolis poscam vendentem reprehendisset[3], conjecit in compedes, statimque sol-

Idem, III, 55, « festinare comitia, quibus Consules in multos annos destinabat. » — Veterem inscriptionem, in qua *A. Vitellius L. F. Imperator. Cs. Perp.*, attulit Casaubonus. Cf. Pighius, Annal. tom. III, pag. 609.

4. *Inferias Neroni dedit.* Tacit. Histor. II, 95, « Lætum fœdissimo cuique, apud bonos invidiæ fuit, quod, exstructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset. Cæsæ publice victimæ cremalæque; facem Augustales subdidere. » Conf. Xiphilin. LXV, 7 (ex Excerpt. Peiresc.), ubi Reimar.

5. *De Dominico.* Ita optimi Codd., et receperunt fere omnes, qui recentius in edendo Suetonio sunt versati, pro vulg. *de Domitio*, quod nomen, Neroni ipsi post adoptionem odiosum (vide Neron. 7 et 41), vix credas usurpasse fœdum Neronis admiratorem. Contra *Dominicum carmen* est canticum Neronis; et *de Dominico*, id est, de collectione canticorum Neronianorum, cf. ad Neron. 38. *Domini* appellationem primum quidem Domitianum publice assumsisse, superioribus tamen Principibus per assentationem datam, monuerunt jam interpretes.

XII. 1. *Consilio.... histrionum et aurigarum.* Tacit. Histor. II, 87, « Aggregabantur e plebe flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. »

2. *Et maxime Asiatici liberti.* Tacit. cap. 95, « Nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii, Asiaticus, Polycletos, Patrobios, et vetera odiorum nomina æquabat. » De ejus morte idem, IV, 11, « Asiaticus (is libertus) malam potentiam servili supplicio expiavit. »

3. *Reprehendisset.* Hæc lectio lectissimorum librorum, ut Calig. 45, « veluti profugos ac *reprehensos*. » Vulg. *deprehendisset*, quæ est emendatio eorum, qui propriam verbi

vit[4], et rursus in deliciis habuit: iterum deinde, ob nimiam contumaciam et ferocitatem gravatus, circumforaneo lanistæ vendidit, dilatumque ad finem muneris[5] repente surripuit, et provincia demum accepta manumisit: ac primo imperii die aureis donavit anulis[6] super cœnam, quum mane, rogantibus pro eo cunctis, detestatus esset severissime talem equestris ordinis maculam.

XIII. Sed vel præcipue luxuriæ sævitiæque [1]deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula, et prandia, et cœnas, comissationesque; facile omnibus sufficiens, vomitandi consuetudine. Indicebat autem aliud alii eadem die: nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummum constiterunt[2]. Famosissima super ceteras fuit cœna data ei adventicia a fratre, in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium, apposita traduntur[3]. Hanc quo-

reprehendere (pro ἀναλαβεῖν, h. e. πάλιν λαβεῖν) significationem non ceperunt.

4. *Solvit.* Ita cum Steph. Casaub. aliisque edidimus. Libri plerique *coluit*.

5. *Dilatumque,* reservatum *ad finem muneris.*

6. *Ac.... aureis donavit anulis*, etc. Tacit. Histor. II, 58, « Postulante exercitu, ut libertum suum, Asiaticum, equestri dignitate donaret, inhonestam adulationem compescit. Dein, mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur; honoravitque Asiaticum anulis, fœdum mancipium et malis artibus ambitiosum. »

XIII. 1. *Sed.... præcipue luxuriæ sævitiæque deditus*, etc. Eutrop. VII, 12, « Cum multo dedecore imperavit, et gravi sævitia notabilis, præcipue ingluvie et voracitate, quippe quum de die sæpe quarto vel quinto feratur epulatus. » Tacit. Histor. II, 95, « Nemo in illa aula probitate, aut industria certavit. Unum ad potentiam iter, prodigis epulis et sumtu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. Ipse abunde ratus, si præsentibus frueretur, nec in longius consultans, novies millies Sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. » Cf. Xiphil. LXV, 2, 3, 4, ubi Reimar. et Lips. ad Tacit. loc. cit.

2. *Indicebat autem.... nec.... minus.... constiterunt.* Vide Xiphilin. cap. 4, ubi Vales. et Reimar.

3. *Famosissima... fuit cœna... in qua... traduntur.* Hæc ita sua fecit Eutrop. VII, 12, « Notissima certe

que exsuperavit ipse dedicatione patinæ[4], quam ob immensam magnitudinem *clypeum Minervæ* Πολιούχου dictitabat. In hac scarorum jocinora, phasianorum et pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, a Parthia usque[5] fretoque Hispanico per navarchos ac triremes petitarum, commiscuit. Ut autem homo non profundæ modo, sed intempestivæ quoque ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem unquam, aut itinere ullo temperavit, quin inter altaria ibidem statim viscus et farra, pæne rapta e foco, manderet, circaque viarum popinas fumantia opsonia, vel pridiana, atque semesa.

XIV. Pronus vero ad cujusque, et quacunque de causa, necem atque supplicium, nobiles viros, condiscipulos et æquales suos, omnibus blanditiis tantum non ad societatem imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit: etiam unum veneno, manu sua porrecto in aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre poposcerat. Tum feneratorum et stipulatorum[1], publicanorumque, qui unquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix ulli pepercit. Ex quibus quendam in ipsa salutatione

cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit, in qua, super ceteros sumtus, duo millia piscium, septem avium millia apposita traduntur. »

4. *Dedicatione patinæ*. Cf. Xiphil. c. 3. Plin. Hist. Nat. XXXV, 12 (46): « Vitellius in principatu suo decies HS. condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat, quoniam eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent, quam murrhina. Propter hanc Mucianus altero consulatu suo in concione exprobravit *patinarum paludes* Vitellii memoriæ. » Vide interpretes ad loca citata. De materia patinæ, argenteâ vel fictili, quum dissentiant Xiphilinus et Plinius, frustra laboraris.

5. *A Parthia usque*. Ita optimi libri. Al. « a *Carpathio* usque, etc. » Oudend. conjicit « a *Carteia* usque, » quod probavit Wolfius. Si stat *a Parthia*, extremi orbis Romani fines ab auctore nominantur, et *petitarum* non ad murænas solum, sed aves etiam referendum, quæ patinam compleverunt.

XIV. 1. *Et stipulatorum*. De *stipulatione*, quæ omnibus pactis et contractibus, adeoque etiam de pecunia mutuo data, subjici solebat, vide Brisson. de Form. VI,

supplicio traditum, statimque revocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici jussit, « velle se, » dicens, « pascere oculos[2] : » alterius pœnæ duos filios adjecit, deprecari pro patre conatos. Sed et Equitem Romanum proclamantem, quum raperetur ad pœnam, « Heres meus es, » exhibere testamenti tabulas coegit : utque legit, coheredem sibi libertum ejus ascriptum, jugulari cum liberto imperavit. Quosdam et de plebe ob id ipsum, quod venetæ factioni clare maledixerant[3], interemit; contemtu sui, et nova spe id ausos, opinatus. Nullis tamen infensior, quam vernaculis[4] et mathematicis[5], ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat; exacerbatus, quod post edictum suum, quo jubebat, intra Kalendas Octobris Urbe Italiaque mathematici excederent, statim libellus propositus est[6], « et Chaldæos edicere, bonum factum, ne Vi-

pag. 559 seq. Heinecc. Ant. Rom. III, tit. 16—20, pag. 93 seq. De re Xiphil. LXV, 5.

2. *Velle se... pascere oculos*. De morte Junii Blæsi hoc narrat Tacit. Histor. III, 39, « Trepidanti inter scelus metumque, ne dilata Blæsi mors maturam perniciem, palam jussa atrocem invidiam ferret, placuit veneno grassari. Addidit facinori fidem nobili gaudio, Blæsum visendo. Quin et audita est sævissima Vitellii vox, qua *se* (ipsa enim verba referam) *pavisse oculos, spectata inimici morte*, jactavit. »

3. *Quod venetæ factioni.... maledixerant*. Cf. ad cap. 7. Mox *nova spe* est *spe novarum rerum*. De usu verborum *opinari*, *sentire*, *existimare*, pro *opinionem*, *sententiam præ se ferre*, *dicere*, sæpius diximus.

4. *Vernaculis;* scurris, quos atrocius odisse oportebat Vitellium, quo uberiorem eorum dicteriis materiem suppeditabat vitæ morumque fœditate. Ita Martial. Epigr. I, 42, 1,

Urbanus tibi, Cæcili, videris.
Non es, crede mihi. Quid ergo? *verna es.*

Idem, X, 3, 1,

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis, etc.

Meræ igitur hallucinationes sunt conjecturæ interpretum *oraculis*, *veraculis* aut *vericulis*, *divinaculis*, vel quod jungunt *vernaculis mathematicis*.

5. *Et mathematicis*. Tacit. Hist. II, 62, « Pulsi Italia mathematici. » Conf. Xiphil. LXV, 1; Zonaras, Annal. II, pag. 142.

6. *Propositus est*. Al. *est propositus*. Ernest. legendum judicat *propositus erat* vel *esset*. Mox *et* hoc est *etiam* deleri jusserunt Guyet. et Burmann. *Edicere* scripsimus pro *dicere* cum altero Cod. probantibus Guyeto, Burmanno, Oudend.,

tellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem usquam esset.» Suspectus et in morte matris 7 fuit, quasi ægræ præberi cibum prohibuisset; vaticinante Catta muliere 8, cui velut oraculo acquiescebat, « ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset.» Alii tradunt 9, ipsam tædio præsentium, et imminentium metu, venenum a filio impetrasse, haud sane difficulter.

XV. Octavo imperii mense desciverunt ab eo exercitus Mœsiarum atque Pannoniæ; item ex transmarinis Judaicus et Syriacus 1: ac pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba jurarunt. Ad retinendum ergo ceterorum hominum studium ac favorem, nihil non publice privatimque, nullo adhibito modo, largitus est. Dilectum 2 quoque

Wolfio. Sequitur enim edicti formula *bonum factum*, de qua vide ad Cæs. cap. 80.

7. *In morte matris.* Alii vitiose *in mortem.* Memorat mortem Sextiliæ Tacit. Histor. III, 67, « Erat illi et fessa ætate parens, quæ tamen, paucis ante diebus, *opportuna morte* excidium domus prævenit, nihil principatu filii assecuta, nisi luctum et bonam famam.» Sæpius monui, Tacitum, ut accuratum historicum, nihil unquam vulgi dare rumoribus, incertissimis et tamen creberrimis de illustrium hominum morte, ejusque causis. Mox in editione Wolfii per typothetæ errorem *ægre* pro *ægræ* legitur, nisi vere secutus est doctus editor quosdam Codices, qui idem exhibent scripturæ compendio. Ita vitiose nonnulli Cæs. cap. 74, *ægre* pro *æger.*

8. *Catta muliere;* h. e. de Cattis, Germanorum natione. Colere enim solebant mulieres vaticinas Germani veteres. Cf. Tacit. German. 8, ubi interpr.

9. *Alii tradunt*, etc. Omisimus *Et* ante *alii* cum Ernest. et Oudendorpio.

XV. 1. *Desciverunt ab eo exercitus... et Syriacus.* Vide Tacit. Hist. II, 73 seq. de Judaico et Syriaco; cap. 85 seq. de Illyrico, Mœsiæ denique et Pannoniæ exercitibus. Cf. Vespas. 6.

2. *Dilectum quoque*, etc. Tacit. Hist. III, 58: « Hortantibus libertis (nam amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus), vocari tribus jubet. Dantes nomina sacramento adigit: superfluente multitudine, curam dilectus in Consules partitur. Servorum numerum et pondus argenti Senatoribus indicit.» Verba *justæque militiæ* interpretationis loco addidit auctor, et sunt *veteranorum commoda* vel *commoda emeritorum*, ut August. 24,

ea conditione in Urbe egit, ut voluntariis non modo missionem post victoriam, sed etiam veteranorum justæque militiæ commoda polliceretur. Urgenti deinde terra marique hosti, hinc fratrem cum classe ac tironibus et gladiatorum manu opposuit[3]; hinc et Betriacenses copias et duces[4]. Atque ubique aut superatus[5], aut proditus, salutem sibi et millies sestertium a Flavio Sabino, Vespasiani fratre, pepigit[6]: statimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites, « cedere se imperio[7], quod invitus rece-

quæ tribuit Vitellius *voluntariis* sive *extraordinario militi*, cui opponitur *justus*. Lipsius præter necessitatem emendabat « *justaque* militiæ commoda. »

3. *Hinc fratrem... opposuit.* Vide Xiphil. LXV, 16. Tacit. Histor. III, 57, « Vitellius Claudium Julianum (is nuper classem Misenensem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit. *Data in auxilium urbana cohors et gladiatores*, quibus Julianus præerat. Ut collata utrimque castra, haud magna cunctatione Juliano in partes Vespasiani transgresso, Tarracinam occupavere, mœnibus situque magis, quam ipsorum ingenio tutam. Quæ ubi Vitellio cognita, parte copiarum Narniæ cum Præfectis Prætorii relicta, *L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus* ingruenti per Campaniam bello opposuit. » Falso igitur Suetonium Lucio Vitellio *classem et gladiatorum manum* tribuere, monuit jam Reimar. ad Xiphil. l. c.

4. *Betriacenses copias et duces;* Cæcinam et Valentem. Tacit. Hist. II, 99.

5. *Aut superatus;* apud Cremonam ab Antonio Primo. Tacit. Hist. III, 22 seq. — *Aut proditus;* a Lucilio Basso, classis Ravennatis Præfecto (Tacit. ibid. III, 12), Cæcina (cap. 13), classe Misenensi et Claudio Juliano (III, 57), totoque exercitu in subjectis Narniæ campis (III, 63).

6. *Salutem sibi... pepigit.* Tacit. Histor. III, 65: « Sæpe domi congressi, postremo in æde Apollinis, ut fama fuit, pepigere. Verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum. Vultus procul visentibus notabantur, Vitellii projectus et degener; Sabinus non insultans et miseranti propior. » Jam antea, auctore eodem, cap. 63, Antonius Primus ac Varus, crebris nunciis, *salutem et pecuniam et secreta Campaniæ* obtulerant Vitellio, *si*, *positis armis*, *seque ac liberos suos Vespasiano permisisset.*

7. *Cedere se imperio*, etc. Vide Tacit. III, 68 seq. « In sua concione Vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca et præsenti mœstitiæ congruentia locutus, *cedere se pacis et Reipubl. causa;* retinerent tantum memoriam sui, fratremque et conjugem et innoxiam liberorum ætatem mi-

pisset, » professus, cunctis reclamantibus, rem distulit; ac nocte interposita, primo diluculo sordidatus [8] descendit ad Rostra, multisque cum lacrimis eadem illa, verum e libello, testatus est. Rursus interpellante milite ac populo, et, ne deficeret, hortante, omnemque operam suam certatim pollicente, animum resumsit; Sabinumque et reliquos Flavianos, nihil jam metuentes, vi subita in Capitolium compulit [9], succensoque templo Jovis [10] Optimi Maximi oppressit; quum et prælium, et incendium e Tiberiana prospiceret [11] domo inter epulas. Non multo post

serarentur » (cap. 68). Fluctuantem inter diversa consilia Vitellium egregie describit Xiphil. LXV, 16. Suetonii narratio, quamquam reliquis brevior, accuratissima videtur; discrepat enim passim a Tacito, maxime in temporis ordine, quo singula acciderunt.

8. *Sordidatus*, etc. Tacit. c. 65, « *pullo amictu* Palatio degreditur, mœsta circum familia. » Conf. Xiphil. loc. cit.

9. *Animum resumsit; Sabinumque.... compulit.* Invaserunt Sabinum circa lacum Fundani milites Vitelliani, inscio invitoque Vitellio, cui nullum prorsus consilium, nulla auctoritas. « Sabinus, re trepida (ita pergit Tacit. c. 69), quod tutissimum e præsentibus, arcem Capitolii insedit milite et quibusdam Senatorum Equitumque. » Ipse Vitellius (cap. 70) culpam in militem conferebat, « cujus nimio ardori imparem esse *modestiam suam*. » Pro *metuentes*, vulg. *metuens*, quod jure repudiarunt Burmann., Oudend., Ernestius.

10. *Succensoque templo Jovis*, etc. quum Vitelliani obsessum ibi Sabinum cum suis oppugnarent. Tacit. cap. 70: « Ambigitur, ignem tectis oppugnatores injecerint, an obsessi, quæ crebrior fama est, quo nitentes ac progressos depellerent. Inde lapsus ignis in porticus appositas ædibus; mox sustinentes fastigium aquilæ vetere ligno traxerunt flammam alueruntque. Sic Capitolium, clausis foribus, indefensum et indireptum, conflagravit. » Cf. Xiphil. LXV, 17. — *Oppressit*. Singulos, qui periere, nominat Tacit. cap. 73. Sabini corpus confossum collaceratumque, et capite truncum, in Gemonias traxere Vitelliani.

11. *Prospiceret*. Nullum interpretem offendit hoc tempus, quum desiderares potius *prospexisset*, ob sequentia *Non multo post.... juravit*, nec ipse de mutatione cogito, sed id modo monendum existimo, auctorem h. l. non successionem temporis in variis, quæ egit Vitellius, spectare, sed in describendo hominis animo versari, tam dispari intra brevissimum temporis intervallum, ut *quum prospiceret* sit *idem ille, qui modo... prospiciebat, non multo post... juravit*. Scriptor Græcus participium aoristi posuisset.

pœnitens facti, et in alios culpam conferens, vocata concione juravit, coegitque jurare ceteros, « nihil sibi antiquius quiete publica fore. » Tunc solutum a latere pugionem, Consuli primum, deinde, illo recusante, magistratibus, ac mox Senatoribus singulis porrigens[12], nullo recipiente, quasi in æde Concordiæ positurus, abscessit. Sed quibusdam acclamantibus, « ipsum esse Concordiam, » rediit : nec solum retinere se ferrum affirmavit, verum etiam Concordiæ recipere cognomen.

XVI. Suasitque Senatui, ut legatos cum virginibus Vestalibus[1] mitterent, pacem, aut certe tempus ad consultandum, petituros. Postridie responsa opperienti nunciatum est per exploratorem, hostem appropinquare.

Ceterum omnis difficultas tollitur, si totum hoc comma, *quum..... epulas*, superioribus annectitur, atque ita etiam interpunxi.

12. *Tunc.... pugionem.... porrigens*, etc. Post orationem statim, quam in Foro habuit, hoc factum est secundum Tacit. cap. 68, qui, « simul filium protendens, modo singulis, modo universis commendans, postremo fletu præpediente, adsistenti Consuli (Cæcilius Simplex erat) exsolutum a latere pugionem, velut jus necis vitæque civium, reddebat. Adspernante Consule, reclamantibus, qui in concione adstiterant, ut in æde Concordiæ positurus insignia imperii, domumque fratris petiturus, discessit, etc. » Conf. Xiphil. cap. 16. Hanc quidem rem, vereor, ne alieno loco narraverit Suetonius, quum veri longe similior ratio sit Taciti et Xiphilini. Iidem nihil prorsus de *cognomine Concordiæ:* quo tamen silentio temere utaris ad fidem rei negandam auctori nostro.

XVI. 1. *Ut legatos cum virginibus Vestalibus*, etc. Conf. Xiphil. cap. 18. Tacit. Hist. III, 80: « Mox, vocato Senatu, deliguntur legati ad exercitus, ut prætexto Reipubl. concordiam pacemque suaderent. Varia legatorum sors fuit. Qui Petilio Cereali occurrerant, extremum discrimen adiere, adspernante milite conditiones pacis.... Æquioribus animis accepti sunt, qui ad Antonium venerant, non quia modestior miles, sed duci plus auctoritatis. » De *virginibus Vestalibus*, ad deprecandum missis, vide ad Cæsar. cap. 1. Tacitus, cap. 81, « Obviæ fuere et virgines Vestales cum epistolis Vitellii ad Antonium scriptis. Eximi supremo certamini unum diem, postulabat; si moram interjecissent, facilius omnia conventura. Virgines cum honore dimissæ; Vitellio rescriptum, Sabini cæde et incendio Capitolii diremta belli commercia. »

Continuo igitur abstrusus gestatoria sella [2], duobus solis comitibus, pistore et coquo, Aventinum et paternam domum clam petiit, ut inde in Campaniam fugeret. Mox, levi rumore et incerto, tanquam pax impetrata esset, referri se in Palatium passus est : ubi quum deserta omnia reperisset, dilabentibus etiam, qui simul erant, zona se aureorum plena circumdedit; confugitque in cellulam janitoris, religato pro foribus cane, lectoque et culcita objectis.

XVII. Irruperant jam [1] agminis antecessores, ac nemine obvio rimabantur, ut fit, singula. Ab his extractus e latebra, sciscitantes, « quis esset » (nam ignorabatur), et « ubi esse Vitellium sciret, » mendacio elusit : deinde agnitus, rogare non destitit, quasi quædam de salute Vespasiani dicturus, ut custodiretur interim vel in carcere : donec religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in Forum tractus [2] est, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viæ

2. *Continuo... abstrusus gestatoria sella*, etc. Tacit. c. 85 : « Vitellius, capta Urbe, per aversam Palatii partem, *Aventinum in domum uxoris sellula defertur,* ut, si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. Dein, mobilitate ingenii, et quæ natura pavoris est, quum omnia metuenti præsentia maxime displicerent, *in Palatium regreditur,* vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum, aut occursum ejus declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci ; tentat clausa ; inhorrescit vacuis ; fessusque misero errore, et *pudenda latebra* semet occultans, ab Julio Placido, Tribuno cohortis, protrahitur. » Cf. Xiphil. cap. 20. Aurel. Victor, Cæs. 8, « *e tugurio,* quo se abdiderat, *janitoris* » productum dicit, rectius sane et Suetonio atque veritati convenientius, quam quæ Xiphilinus de *οἰκήματι σκοτεινῷ, ἐν ᾧ ἐτρέφοντο κύνες*, ex male intellecto scriptore Latino. Vide Casaub. ad loc. nost. et Reimar. ad Xiphil.

XVII. 1. *Irruperant jam*, etc. Vulg. *Irruperant autem jam*, etc.

2. *Donec religatis... manibus... tractus est.* Tacit. l. c. « Vinctæ pone tergum manus; laniata veste, fœdum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrimante. Deformitas exitus misericordiam abstulerat. » Cf. Xiphilin. l. c. Aurel. Victor, Cæs. 8, et Epit. 8; Eutrop. VII, 12; Joseph. Bell. Jud. IV, 11, 4.

Sacræ spatium, reducto coma capite[3], ceu noxii [4]solent, atque etiam mento mucrone gladii subrecto[5], ut visendam præberet faciem, neve summitteret; quibusdam stercore et cœno incessentibus[6], aliis *incendiarium* et *patinarium* vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante (erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinolentia, venter obesus, alterum femur subdebile[7], impulsu olim quadrigæ, quum auriganti Caio ministratorem exhiberet), tandem apud Gemonias minu-

3. *Reducto coma capite.* Apte comparat Casaub. locum Plin. Panegyr. 34, « Nihil tamen gratius, nihil seculo dignius, quam quod contigit desuper intueri delatorum *supina ora retortasque cervices.* » Loco nost. alii, « *reducta* coma *a* capite, » quod quum commodum sensum non præberet, erant, qui mallent *a fronte*, *facie*, vel tale quid, nullo in scriptore vel libro aliquo ejusmodi mutationis dicam vel corruptelæ vestigio. Ernestius, quod saltem probabilius, suspectum censebat vocab. *coma*. Sed lectio bene se habet, confirmata etiam ab Eutropio, qui exscribere solitus Nostrum, loc. cit. *erecto coma capite*. Hæc enim, ut Torrent. jam monuit ad nost. locum, genuina est lectio, corrupta in libris in *erecta coma et capite*.

4. *Ceu noxii solent;* scil. trahi, ne quis admittendam Casauboni conjecturam censeat « ceu *noxiis solet.* » Aurel. Victor, Cæsar. 8, et Epit. 8; *parricidarum more*.

5. *Atque etiam mento... subrecto.* Junge cum Oudendorp. et Wolfio *mento subrecto* vel *suberecto* per mucronem. Al. vitiose *subjecto*. Ita apud Victor. Epit. l. c. « Ac ne homo impudens, in extremis saltem, malorum, quæ gesserat, rubore faciem demitteret, *subjecto* (lege *subrecto*) in mentum gladio, seminudus... trahitur. » Tacit. l. c. « Vitellium, infestis mucronibus coactum, modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque Rostra, aut Galbæ occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini jacuerat, propulere. Vox una non degeneris animi excepta, quum Tribuno insultanti, se tamen Imperatorem ejus fuisse, respondit. » Conf. Xiphil. cap. 21, qui discedit paullum a Tacito in iis, quæ de milite Germano narrat, a Suetonio prætermissa.

6. *Quibusdam.... incessentibus.* Eutrop. l. c. « stercore in vultum et pectus ab omnibus obviis appetitus. » Victor, Epit. l. c. « multis cœno, fimo, et ceteris turpioribus dictu purgamentis vultum ejus incessentibus. » Oros. VII, 8, « passim cunctis fimum in os ejus conjectantibus. »

7. *Femur subdebile.* Infra Vespas. 7, *debili crure*. Cf. ad August. 43. Mox ante *exhiberet* addunt alii *se*. Vide Oudendorp.

tissimis ictibus excarnificatus atque confectus est, et inde unco tractus in Tiberim[8].

XVIII. Periit[1] cum fratre et filio[2], anno vitæ septimo et quinquagesimo[3]: nec fefellit conjectura eorum, qui augurio[4], quod factum ei Viennæ ostendimus, non aliud portendi prædixerant, quam venturum in alicujus Gallicani hominis potestatem: siquidem ab Antonio Primo, adversarum partium duce, oppressus est, cui Tolosæ nato cognomen in pueritia *Becco*[5] fuerat. Id valet gallinacei rostrum.

8. *Tandem apud Gemonias... et inde.... tractus in Tiberim*. Tacit. l. c. « postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini jacuerat, propulere.... Ac deinde ingestis vulneribus concidit. Et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem. » Eutrop. « postremo jugulatus et in Tiberim dejectus, etiam communi caruit sepultura. » Victor, Cæs. l. c. « injecto laqueo parricidarum more ad scalas Gemonias perque eas pertractus, simul ictibus, quantum quisque valuerat, confosso corpore, in Tiberim dejicitur. » Oros. « apud Gemonias scalas minutissimorum ictuum crebris compunctionibus excarnificatus, atque inde unco tractus, et in Tiberim mersus, etiam communi caruit sepultura. » Xiphil. 21, ubi Reimar.

XVIII. 1. *Periit;* post imperium vel annuum, vel octo mensium (diversi enim scriptores), sive a seditione legionum, quæ mense Januario ann. 822 Imperatorem eum salutavere, sive a morte Othonis, quæ mense Aprili ejusdem anni accidit, computes illud. Vitellium enim periisse constat sub finem Decembris.

2. *Cum fratre et filio*. De *fratre* vide Tacit. Hist. IV, 2, « Dein L. Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in principatu ejus vigilantior, nec perinde prosperis socius, quam adversis abstractus, » et Xiphil. cap. 22; de *filio* Tacit. Hist. IV, 80, « Iisdem diebus Mucianus Vitellii filium interfici jubet, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset, » et eumdem Xiphil. l. c. De filia Vitellii cf. ad Vespas. 14.

3. *Anno vitæ septimo et quinquagesimo*. Ita etiam Tacit. Hist. III, 86, « septimum et quinquagesimum ætatis annum explebat. » Adde Eutrop. VII, 12, et Victor. Cæs. 8. Sed Xiphil. l. c. τέσσαρα ἔτη καὶ πεντήκοντα vitæ ejus tribuit, quibus Zonaras addit ἡμέρας ἐννέα καὶ ὀγδοήκοντα, idque rectius, si vere natus est mense Septembri ann. 768, uti Noster perhibet, cap. 3, et periit Decembri exeunte ann. 822. Verissime Reimar. ad Xiphil. l. c. novum hoc documentum dicit, Suetonium ex diversis auctoribus nativitatis et vitæ tempora petiisse, nec tamen de conciliandis rationibus laborasse, unde secum pugnantem sæpius deprehendimus.

4. *Augurio*, etc. Vide cap. 9.

5. *Becco*. Gallice nos adhuc *bec*. De *Antonio Primo* cf. Tacit. Hist. II, 86; et Reimar. ad Xiphil. 65, 9.

VESPASIANUS.

C. SUETONII TRANQUILLI

TITUS FLAVIUS VESPASIANUS.

I. Rebellione trium Principum et cæde incertum diu et quasi vagum imperium suscepit firmavitque tandem gens Flavia : obscura illa quidem, ac sine ullis majorum imaginibus, sed tamen Reipublicæ nequaquam pœnitenda; constet licet, Domitianum cupiditatis[1] ac sævitiæ merito pœnas luisse. Titus Flavius Petro[2], municeps Reatinus, bello civili Pompeianarum partium Centurio an [3]Evocatus, profugit ex Pharsalica acie, domumque se contulit : ubi deinde, venia et missione impetrata, coactiones argenta-

I. 1. *Cupiditatis.* Quomodo intelligenda sit, docet locus Domit. 9, ubi jungitur cum *avaritia*, et opponitur *abstinentia*. Cf. ad Cæs. cap. 54, init.

2. *Petro.* Male alii *Petronius*, quod non cognomen est, sed nomen. — De *Reate*, oppido Sabinorum, vide Cellar. Geogr. Ant. II, 9, pag. 778.

3. *Centurio an Evocatus.* Alii, sine dubio ex ignorantia, quid valeret vocab. *Evocatus*, dederunt « Centurio, *incertum sponte*, an *evocatus*. » Optimi Codd. omiserunt ineptum glossema, vel in margine tantum servarunt. *Evocati*, de quibus vide ad Galb. 10, iisdem honoribus insignibusque utebantur, et omnino eadem dignitate erant, qua Centuriones, ut adeo, quo nomine locum illum in militia tenuisset Flavius, seriori scriptori incertum esse posset.

rias factitavit[4]. Hujus filius, cognomine Sabinus[5], expers militiæ (etsi quidam eum primipilarem; nonnulli, quum adhuc ordines duceret, sacramento solutum per causam valetudinis, tradunt), publicum quadragesimæ in Asia egit[6]; manebantque imagines a civitatibus ei positæ sub hoc titulo, ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. Postea fenus apud Helvetios exercuit, ibique diem obiit, superstitibus uxore Vespasia Polla, et duobus ex ea liberis: quorum major Sabinus ad præfecturam Urbis[7], minor Vespasianus ad

4. *Coactiones argentarias factitavit.* Cf. interpr. ad Horat. Sat. I, 6, 86, ubi patrem suum *coactorem* fuisse dicit. Argentarios auctionibus præfuisse, vidimus Neron. 5. Habebant illi, qui rerum sub hasta venditarum mercedem sibi *cogerent*, seu colligerent (*des caissiers*).

5. *Cognomine Sabinus;* a matre Sabina. Cf. ad Othon. 1, et Vitell. 6; ad Tacit. Agric. 6, ubi de more filiis nomina imponendi dictum. Ed. nost. tom. IV, pag. 98. Ed.

6. *Publicum quadragesimæ... egit.* Quod alii exhibuerunt *publicanum*, id factum ob verbum *egit*, quoniam *Principem, mimum agere*, etc. sæpe dicitur, vel quod *publicum* h. e. vectigal non ceperunt. Ita apud Tacit. Annal. XIII, 51, sunt *leges cujusque publici*, ubi vide interpr. Ad eumdem locum Lipsius agit de *portorio quadragesimæ et quinquagesimæ*, quod sub Nerone abolitum postea rediit. Denique *egit* publicum h. e. procuravit nomine societatis publicanorum, optime explicuit Oudend., qui quum inscriptionem protulerit, in qua *Jucundus Aug. Lib. Actor XXXX. Gal.* hoc est Quadragesimæ Galliarum, acta res est, et abstinendum ab omni conjectura, qualis *exegit* aliquando in mentem mihi venit. Mox *manebantque*, quamquam incertum relinquat, quod tempus sit intelligendum, tamen cum Ernestio mutandum nego, quum ab omnibus libris confirmetur, et id ipsum Suetonius dicere videatur, fuisse per aliquod tempus tales imagines Sabini, atque ita in commentariis, quibus utatur, se invenire, nescire tamen, an adhuc suo tempore exstent. Mutandum autem censuerunt Lips. ad Tacit. l. c. in *mantantque* vel *monebantque*, Casaub. in *manent hodieque*, quod probavit Oudendorpius, ego, ut modo dixi, sententiæ Suetonii prorsus contrarium existimo. Ceterum statuam cum titulo, ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ, quam dat Boissard. in Topogr. Urb. part. III, tom. I, fol. 51, citatus ab Oberlin. ad Tacit. l. c. quidni censeas ad Sabinum nostrum referendam, sicut fragmentum veteris lapidis, quod Casaub. commemorat, eamdem inscriptionem ferens, addito AN., quod nihil aliud est, quam ἀνέστησαν vel ἀνέθηκαν, deperdito nomine eorum, qui posuerunt?

7. *Quorum... Sabinus ad præfe-*

principatum usque processit. Polla, Nursiæ honesto genere orta, patrem habuit Vespasium Pollionem, ter Tribunum militum, Præfectumque castrorum[8]; fratrem Senatorem prætoriæ dignitatis. Locus etiam nunc ad sextum milliarium a Nursia Spoletium[9] euntibus in monte summo appellatur Vespasiæ; ubi Vespasiorum complura monumenta exstant, magnum indicium splendoris familiæ et vetustatis. Non negaverim, jactatum a quibusdam, Petronis patrem e regione Transpadana fuisse mancipem operarum[10], quæ ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare soleant[11]; subsedisse autem in oppido Reatino, uxore ibidem ducta. Ipse ne vestigium quidem de hoc, quamvis satis curiose inquirerem, inveni.

II. Vespasianus natus est in Sabinis ultra Reate, vico modico, cui nomen est Phalacrine[1], quintodecimo Kalendas Decembris, vesperi, Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino, Consulibus[2], quinquennio ante, quam Augustus

cturam Urbis, etc. sub Nerone, motusque dignitate a Galba, iterum sub Othone. Tacit. Hist. I, 46, « Urbi Flavium Sabinum præfecere (milites), judicium Neronis secuti, sub quo eamdem curam obtinuerat; plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. » Ipsi Othoni, quod ejus nomine factum a militibus, tribuit Plutarch. Oth. 5. Commemoratur iterum ut Præfectus Urbis a Tacit. II, 63.

8. *Præfectumque castrorum*. Vide Lips. Excurs. ad Tacit. Annal. I, 20. Edit. nost. t. IV, p. 335. Ed.

9. *Spoletium*. Ita optimi libri. Vulg. *Spoletum*, ex seriori scribendi consuetudine. Vide Cluver. Ital. Ant. cap. 6, pag. 632, et Burmann. ad hunc locum.

10. *Fuisse mancipem operarum*, etc. hoc est, qui conducebat operas illas, et majori mercede, quam ipse dederat, possessoribus agrorum elocabat. De voc. *manceps* vide Cicer. nost. Indic. Latin.

11. *Soleant*. Ita Memm. aliique Codd. Vulg. *solerent*, quod unice verum censet Ernest. ob præcedentia *jactatum*, *fuisse*, quæ imperfectum requirere dicit. Sed bene se habet *soleant*, si idem mos fuit operis illis tempore adhuc Suetonii. Imo imperfectum ex correctione videtur, ut Budæi *solent*.

II. 1. *Cui nomen est Phalacrine*; vel *Falacrine* et *Phalacrinum*. Vide Cluver. Ital. Ant. pag. 687; Wesseling. ad Antonin. Itiner. p. 307; Cellar. Geogr. Ant. II, 9, pag. 779.

2. *Q. Sulpicio... Consulibus*; A. U. 762. Augustus excessit ann. 767.

excederet: educatus sub paterna avia Tertulla, in prædiis Cosanis[3]. Quare Princeps quoque et locum incunabulorum assidue frequentavit, manente villa, qualis fuerat olim, ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret: et aviæ memoriam tanto opere dilexit, ut sollemnibus ac festis diebus[4] pocillo quoque ejus argenteo potare perseveraverit. Sumta virili toga, latum clavum, quamquam fratre adepto, diu aversatus est[5]; nec, ut tandem appeteret, compelli, nisi a matre, potuit. Ea demum extudit, magis convicio, quam precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem[6] fratris appellat. Tribunus militum[7] in Thracia meruit. Quæstor Cretam et Cyrenas provinciam[8] sorte cepit. Ædilitatis ac

3. *In prædiis Cosanis;* in Etruria. Vide Cellar. p. 719; Tzschuck. ad Mel. II, 4, 9. Scribitur *Cosa* et *Cossa* (unde loc. nost. alii *Consanis*), Gr. Κόσσα et Κόσσαι, et sic Virgil. Æneid. X, 168, « Quique urbem liquere *Cosas*, » ubi vide Servium. Cf. Oudendorp. ad nost. loc.

4. *Sollemnibus ac festis diebus;* h. e. privatim vel publice sollemnibus.

5. *Latum clavum... diu aversatus est.* Cf. interpr. ad Tacit. Ann. XI, 4, et XVI, 17; Ruben. de Re Vestiar. I, 14. Nimirum frater beneficio Principis acceperat latum clavum, quamvis e gente senatoria non ortus. Senatorum enim filiis simul cum toga virili lati clavi honorem concesserat Augustus. Vide ad August. 38.

6. *Anteambulonem.* Cf. Martial. Epigr. II, 18, 5, et X, 74, 3; Lips. Elect. I, 13.

7. *Tribunus militum*, etc. Ita, auctore Glareano, Codd. nonnulli; comprobarunt Torrent., Dukerus, Oudend., et recepit ante nos Wolfius. Supra, Tiber. 9, « *stipendia prima* expeditione Cantabrica *Tribunus mil. fecit;* » Tit. 4, « *Tribunus mil.* et in Germania et in Britannia *meruit;* » Vit. Horat. 1, « Bello Philippensi... *Tribunus mil. meruit.* » Al. loco nostro *Tribunatum*, ubi pro *meruit*, *nactus est.* Sed latum clavum adepti militiam a tribunatu incipere solebant. Vide Aug. 38. Al. *Tribunatu*, ablativo absoluto, quem Ernest. defendit, sed h. l. conjunctum cum *meruit* stare posse, jure negat Bremius. Originem vitii vere ostendit Oudendorp. ex scripturæ compendio *Trib. mil.*, male reddito a librariis.

8. *Cretam et Cyrenas provinciam;* non *provincias.* Una enim erat provincia sub eodem Proconsule, quamquam e diversis terris composita. Vide Gronov. ad hunc locum, et Lips. ad Tacit. Annal. III, 70.

mox præturæ candidatus, illam non sine repulsa sextoque loco vix adeptus est: hanc prima statim petitione, et in primis[9]. Prætor, infensum Senatui Caium[10] ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios pro victoria ejus Germanica depoposcit, pœnæque conjuratorum[11] ad-

9. *Ædilitatis.... candidatus, illam.... adeptus est: hanc.... in primis*. Recepimus emendationem Dukeri, quam Wolfius, Bremius, et quis non probaret? Vulg. « Ædilitatis ac mox præturæ candidatus, *etiam* non sine repulsa, sextoque loco vix adeptus est. *Ac* prima statim petitione et in primis Prætor, *infensus* Senatui, etc. » quæ manifeste corrupta esse, et verbum *adeptus est* requirere accusativum *illam*, eoque invento, respondere debere *hanc*, luce est clarius, idque ipsum egregiæ emendationis est documentum, quod tanta est facilitate, ut inspectam quilibet ipse divinare eam debuisse sibi videatur, quod accidere etiam solet in orationibus carminibusque singularis elegantiæ, ut, suo ingenio prærepta esse omnes existiment. Parum aberat a vero Ernestius, qui in Excursu ad h. l. ita corrigebat: « Quæstor.... sorte cepit; ædilitatis *mox ac* præturæ candidatus. *Et* illam non sine repulsa sextoque loco vix adeptus est; *at* prima statim petitione et in primis Prætor, *infensus* Senatui, etc. » Dukerum fere secutus est Oudend., nisi quod transpositis verbis, *illam non sine repulsa, sextoque vix adeptus est loco*, plurium Codd. fide, et, ex meo sensu, suaviori ad aurem ordine. Quem Burmannus movit scrupulum, *Ædilem Cerealem* esse debuisse Vespasianum, si sextus ædilitatis locus ei obvenisset, quum tamen *viarum verrendarum* curam impositam ei cap. 5 doceat, satis removisse videntur iidem viri docti, dum, locum electionis non ipsam muneris partem constituisse, sed recens electos de hac sortitos esse, ostenderunt. Quod ad annos denique attinet, quibus Vespasianus hos magistratus gessit, ædilitas pertinet ad ann. 791 (conf. Dion. LIX, 12), ut adeo repulsam superiori anno tulerit; prætura autem ad ann. 792 (unde *mox præturæ candidatus* apud Nostrum), quo anno Caius Germanici belli ludibrium egit, et detecta est Gætulici conjuratio (vide ad Claud. 9), quamquam Oudend. qui egregie in constituendis his temporibus versatus est, anno 793 eam tribuit.

10. *Infensum Senatui Caium*. Ita legendum esse pro vulg. « *infensus* Senatui, Caium, » monuerunt Lips. et Pighius (Annal. tom. III, p. 569), comprobantibus post alios Dukero et Oudend. ad h. l. Vide Calig. 48 et 49; Claud. 9. Ea ipsa, quæ fecisse Vespasianum auctor narrat, non tam odium ejus in Senatum, sed permulcendæ Caii in ordinem, ad quem ipse ut Prætor pertinebat, iræ studium ostendunt, etiam cum humilitate animi conjunctum.

11. *Pœnæque conjuratorum;* Lepidi et Gætulici. Vide Claud. 9.

dendum censuit, ut insepulti projicerentur. Egit et gratias ei apud amplissimum ordinem, quod se honore cœnæ dignatus esset.

III. Inter hæc Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statilii Capellæ, Equitis Romani, Sabratensis ex Africa[1], delicatam[2] olim, Latinæque conditionis[3], sed mox ingenuam et civem Romanam recuperatorio judicio[4] pronunciatam, patre asserente Flavio Liberali, Ferenti genito, nec quicquam amplius quam quæstorio scriba. Ex hac liberos tulit Titum, et Domitianum, et Domitillam[5]. Uxori ac filiæ superstes fuit, atque utramque adhuc privatus amisit. Post uxoris excessum, Cænidem[6], Antoniæ[7] libertam et a manu[8], dilectam quondam sibi, revocavit in contuber-

III. 1. *Sabratensis ex Africa*. Plin. Hist. Nat. V, 3 (4), « *Sabrata* contingens Syrtim minorem. » Sed Torrent. conjicit *Tabracensis* ex eodem Plin. cap. 2 (3), « Oppidum *Tabraca* civium Romanorum. » Vide Drakenb. ad Sil. Ital. III, 256.

2. *Delicatam;* amicam, concubinam, et ita restituit Turneb. Advers. XXII, 16. Al. *deligatam* et *delegatam*. Torrent. conjicit *libertam delegatam olim*, vel *Statilio... delegatam,* omisso vocab. *libertam*.

3. *Latinæque conditionis;* h. e. libertam per manumissionem minus justam, qua ad *Latinas Junianas* pertinebat, de quibus vide Heinecc. Ant. Rom. I, 5, 12. Ceterum hæc ipsa verba ostendunt, supervacuum esse, de quo modo diximus, Torrentii additamentum *libertam*.

4. *Recuperatorio judicio;* quod habitum in provincia Africa, non Romæ, vere disputat Ernest. De *recuperatoribus* vide quos citavimus ad Neron. 17; Heinecc. Ant. IV, 6, 39; Sigon. de Judiciis, I, 24.

5. *Et Domitillam;* a Domitiano Imperatore postea inter Divas relatam, nisi hæc *Diva Domitilla* mater est Vespasiani. Aliam, filiam sine dubio ejus, de qua Suetonius hoc loco, nuptam Flavio Clementi, quem Domitianus interfecit (vide Domit. 15), memorat Xiphil. LXVII, 14, eamque falso Philostrat. Apoll. VIII, 25, ἀδελφὴν Domitiani dicit; errorem enim, quales plurimi aliis et huic maxime scriptori, esse puto Philostrati, non corrigendum cum Oleario ἀδελφιδῆν, quamquam ἀδελφούς et ἀδελφάς latiori sæpe sensu dici; notum est. Vide de variis feminis, quibus Domitillæ nomen, Reimar. ad Xiphil. l. c. et quos ille excitavit.

6. *Cænidem*, etc. mortuam ann. 824. Ejus elogium vide apud Xiphil. LXVI, 14. Cf. etiam Domit. 12.

7. *Antoniæ;* matris Claudii. Vide Claud. cap. 1.

8. *Et a manu;* h. e. librariam. Corrupta hæc verba in libris sunt

nium[9], habuitque etiam Imperator pæne justæ uxoris loco.

IV. Claudio Principe, Narcissi gratia Legatus [1] legionis in Germaniam missus est: inde in Britanniam [2] translatus, tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, superque viginti oppida, et insulam Vectem, Britanniæ proximam, in ditionem redegit[3], partim Auli Plautii Legati consularis, partim Claudii ipsius ductu. Quare triumphalia ornamenta[4], et in brevi spatio[5] duplex sacerdotium

in *adamavit*, aliique inepto huic verbo, sequente *dilectam*, annexuerunt adhuc genuina *et a manu*. Vide Torrent. et Oudendorp.

9. *In contubernium*; quod opponitur justo matrimonio.

IV. 1. *Legatus legionis*. Conf. ad Tiber. 19. — *In Germaniam missus est*. De Vespasiano Silius Ital. III, 599, « Compescet ripis Rhenum. » Cf. Joseph. Bell. Jud. III, 1, 2.

2. *Inde in Britanniam translatus*, etc. E Nostro Eutrop. VII, 13, « privata vita illustris, ut qui a Claudio in Germaniam, deinde in Britanniam missus, *tricies et bis* cum hoste conflixerit, » ubi æque atque loco nost. a nonnullis omittitur præpositio *in* ante *Britanniam*. De *Claudii* expeditione in Britanniam dictum ad Claud. 17; ibidem de *A. Plautio*. Cf. Dio, LX, 29, qui de *Vespasiano* cap. 20. Tacit. Agric. 13 et 14, « Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque, et *assumto in partem rerum Vespasiano*, quod initium venturæ mox fortunæ fuit. Domitæ gentes, capti reges, et *monstratus fatis Vespasianus*. » Idem, Hist. III, 44, « Britanniam *inclitus erga Vespasianum favor*, *quod illic secundæ legioni a Claudio præpositus et bello clarus egerat*, non sine motu adjunxit ceterarum, etc. » A. U. 796.

3. *Duas validissimas... in ditionem redegit*. Eadem Eutrop. l. c. nisi quod *imperio Romano adjecerit* pro *in ditionem redegit*, ut aliquid certe mutasse videretur. Ceterum h. l. *in ditionem* exhibuimus Codicis Memm. aliorumque auctoritate, cum Burm., Oudend. et aliis. Vulg. *in deditionem*, quod quidem omnino damnandum negavimus ad Cæs. 34, in quo stat sententia, sed h. l. minus valet, quoniam de expugnatis regionibus sermo, et Eutropius *in ditionem redegit* quamquam diversis verbis reddidit. — *Vectem* (Eutrop. *Vectam*) Plin. H. N. IV, 16 (30), *inter Hiberniam ac Britanniam* ponit. Sed diversa illa est à nostra, Galliæ obversa, ut Harduin. etiam monuit; huic hodie nomen *Wight*.

4. *Triumphalia ornamenta*. Vide ad August. 38. *Senex triumphalis* Vespasianus dicitur in oratione apud Tacit. Hist. IV, 8.

5. *In brevi spatio*. De præpositione *in* vide Cort. ad Sallust. Bell. Jug. cap. 87.

accepit : præterea consulatum[6], quem gessit per duos novissimos anni menses : medium tempus, ad proconsulatum usque, in otio secessuque egit, Agrippinam timens, potentem adhuc apud filium, et defuncti quoque Narcissi[7] amicos perosam. Exin sortitus Africam[8], integerrime nec sine magna dignatione[9] administravit; nisi quod Adrumeti, seditione quadam, rapa in eum jacta sunt. Rediit certe nihilo opulentior, ut qui, prope labefacta jam fide, omnia prædia fratri obligarit[10], necessarioque ad mangonicos quæstus sustinendæ dignitatis causa descenderit : propter quod vulgo Mulio vocabatur[11]. Convictus quoque dicitur

6. *Præterea consulatum;* A. U. 804, unde Consul erat designatus mense Octobri ejusdem anni. Vide Domit. 1, et cf. Pigh. Annal. tom. III, pag. 584.

7. *Defuncti... Narcissi;* quem Agrippina ad mortem adegit ann. 807. Conf. Tacit. Annal. XIII, 1; Dio, LX, 34.

8. *Exin sortitus Africam;* A. U. 816, C. Memmio Regulo, L. Verginio Rufo Coss., cui anno saltem tribuit ejus proconsulatum Pighius, tom. III, p. 597.

9. *Integerrime nec sine magna dignatione*, etc. Contra Tacit. Hist. II, 97, *famosum invisumque* illic proconsulatum Vespasianum egisse dicit, sed Vitellium *integrum ac favorabilem*. Tam diversa de præsidibus subditorum sunt judicia, ut in historiam etiam prorsus contraria transeant. Nempe Vespasianus, integer alias et probus, in provincia abstinentiam, qua Imperator etiam caruit, parum probasse videtur : homines omnia perdere malunt, quam pecuniam. Silius Ital. III, 599, de Vespasiano, *reget impiger Afros*. Sed poetarum laudes nihil faciunt ad historiam.

10. *Ut qui... omnia prædia fratri obligarit*. Tacit. Hist. III, 65, « Flavius Sabinus, ætate prior, privatis utriusque rebus, auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat. Et credebatur affectam ejus fidem præjuvisse, *domo agrisque pignori acceptis*. » Ceterum *obligarit* omnino præferendum al. *obligaret*, *obligarat*, et *obligavit*. Unice enim convenit usui Suetonii. Alia res erat Vitell. 6 in *hausisset*, ubi res erat incerta, et ut incerta ab auctore commemorata. Ibi *hauserit* non magis stare poterat, quam h. l. *obligarat* vel *obligasset*.

11. *Propter quod... Mulio vocabatur*. Ita *Ventidius Mulio* dicitur a Cic. ad Div. X, 18, h. e. qui victum comparandis mulis farreque in castra convehendo adolescens sibi comparaverat, ut interpretatur Manutius, idemque a Plinio, Hist. Nat. VII, 43 (44), *mulio castrensis suffarraneus*. Gellius, XV, 4, fusius narrat, eum « victum sibi ægre quæsivisse, eumque sordide



VESPASIANUS.

 OR 

Legrande del.t et direx.t Sardeners sculp.t

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

de eversione Hierosolymorum ex-
ponit, Hist. V, 13: « Pluribus per-
suasio inerat, antiquis sacerdotum
literis contineri, eo ipso tempore

Oros. VII, 9, (non Eutropius, ut
Lips. ad Tacit.), « *Exstinctisque Ro-
manis præsidiis*, Legatum quoque



[illegible] del.t et direx.t — [illegible] sculp.t

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

ducenta sestertia expressisse juveni, cui latum clavum adversus patris voluntatem impetrarat, eoque nomine graviter increpitus. Peregrinatione Achaica inter comites Neronis, quum, cantante eo, aut discederet sæpius, aut præsens obdormisceret [12], gravissimam contraxit offensam: prohibitusque non contubernio modo, sed etiam publica salutatione [13], secessit in parvam ac deviam civitatem, quoad latenti etiamque extrema metuenti provincia cum exercitu oblata est. Percrebruerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur [14]. Id de Imperatore Romano, quantum postea eventu paruit, prædictum, Judæi ad se trahentes, rebellarunt: cæsoque Præposito [15], Legatum in-

invenisse *comparandis mulis et vehiculis*, quæ magistratibus, qui sortiti provincias forent, præbenda publice conduxisset. »

12. *Aut præsens obdormisceret*, etc. Tacit. Annal. XVI, 5, « Ferebantque Vespasianum, tanquam somno conniveret, a Phœbo liberto increpitum, ægreque meliorum precibus obtectum, mox imminentem perniciem majore fato effugisse; » quod tamen Romæ factum secundum Tacitum. Fuisse quidem in Achaia cum Nerone Vespasianum, quum iter in Orientem institueret, auctor etiam Joseph. Bell. Jud. III, 1, 3.

13. *Sed etiam publica salutatione*. Ita Thrasea a Nerone *occursu prohibitus* Tacit. Annal. XVI, 24, ubi vide Lips.

14. *Percrebruerat.... opinio.... ut... potirentur*. Idem Tacitus, ubi de eversione Hierosolymorum exponit, Hist. V, 13: « Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerat. Sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. » Josephi, Bell. Jud. VI, 5, 4, quamquam contumaciam miramur, qui Imperatori Romano, quam Messiæ, quem Christiani credebant, talem honorem tribuere maluit, in interpretationem illius oraculi, ut ab hoc loco alienam, non descendimus.

15. *Cæsoque Præposito; Gessio Floro*, cujus sævitia bellum Judaicum incendit. Tacit. Hist. V, 10, « Duravit tamen patientia Judæis usque ad Gessium Florum, Procuratorem. Sub eo bellum ortum: et comprimere cœptantem Cestium Gallum, Syriæ Legatum, varia prælia ac sæpius adversa excepere. » Oros. VII, 9, (non Eutropius, ut Lips. ad Tacit.), « *Exstinctisque Romanis præsidiis*, Legatum quoque

super Syriæ[16] consularem suppetias ferentem, rapta aquila, fugaverunt. Ad hunc motum comprimendum quum exercitu ampliore, et non instrenuo duce, cui tamen tuto tanta res committeretur, opus esset, ipse potissimum delectus est, ut et industriæ expertæ[17], nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis ac nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus[18] decem, atque inter Legatos majore filio assumto, ut primum provinciam attigit, proximas[19] quoque convertit in se, correcta statim castrorum disciplina, unoque et altero prælio tam constanter inito, ut in oppugnatione castelli[20] lapidis ictum genu, scutoque sagittas aliquot exceperit.

Syriæ suppetias ferentem, rapta aquila et cæsis copiis, fugaverunt.» Inde viri docti, in primis Lips. ad Tacit. l. c. emendandum censuerunt apud Nostrum *Gessiumque Præpositum*, vel *cæsoque præsidio*, quod non necessarium sine libris. Maxima difficultas in re ipsa. Non enim *occisus* est Florus, si Josepho fides, qui Vit. cap. 6, ὁ δ' ἐπελθὼν καὶ συμβαλὼν μάχῃ ἐνικήθη, πολλῶν τῶν μετ' αὐτοῦ πεσόντων, quo loco quanto opere abusi fuerint viri docti, alii satis ostenderunt. *Cæsus* autem *Præpositus* vere est occisus, non fugatus. Alia enim res est, ubi de uno homine sermo, et ubi de toto exercitu, qui ubi *cæsus* dicitur, fuga fuit cum plurium cæde. Vide quæ Oudend. et Wolfius contra Ernestium notaverunt. Est igitur dissensus Nostri a Josepho, quales plurimi in historicis, nulla correctione eliminandi.

16. *Legatum... Syriæ; Cestium Gallum*. Cf. Tacit. l. c.

17. *Industriæ expertæ*. Al. *industriæ expertus*, quod edidit Casaub et probavit præter alios Perizon. ad Sanct. Minerv. pag. 169; neque improbandum *industria expertus*, quod et ipsum sunt qui exhibeant. Corrupta est lectio Memm. *industria experti*.

18. *Alis, cohortibus;* hoc est, copiis equestribus et pedestribus sociorum. Vide Joseph. Bell. Jud. III, 1, 3, et cap. 4, 2; Tacit. Hist. I, 10. Apud hunc, Hist. II, 76, eodem modo *alarum, cohortium robora*, h. e. copiæ sociorum, distinguuntur a *legionibus*.

19. *Proximas;* subintell. *provincias*. Libri nonnulli addunt *civitates*.

20. *In oppugnatione castelli;* cui nomen *Jotapata*. Cf. Joseph. III, 6, ubi § 22, plantam pedis sagitta leviter vulneratam dicit. Ernestius tamen de diversis rebus et temporibus sermonem esse existimat ob dissensum utriusque scriptoris in nonnullis, quæ sane leviora mibi videntur.

V. Post Neronem Galbamque, Othone atque Vitellio de principatu certantibus, in spem imperii venit, jam pridem sibi per hæc ostenta conceptam [1]. In suburbano Flaviorum quercus antiqua, quæ erat Marti sacra [2], per tres Vespasiæ partus, singulos repente ramos a frutice [3] dedit, haud dubia signa futuri cujusque fati: primum, exilem et cito arefactum; ideoque puella nata non perannavit: secundum, prævalidum ac prolixum, et qui magnam felicitatem portenderet: tertium vero, instar arboris. Quare patrem Sabinum ferunt, haruspicio insuper confirmatum, renunciasse matri, « nepotem ei Cæsarem genitum: » nec illam quicquam aliud, quam cachinnasse, mirantem, « quod adhuc se mentis compote deliraret jam filius suus. » Mox, quum Ædilem [4] eum C. Cæsar, succensens curam verren-

1. V. *In spem imperii venit, jam pridem sibi.... conceptam*. Supra, Tiber. cap. 14, « *magna nec incerta spe futurorum, quam* et ostentis et prædictionibus ab initio ætatis *conceperat*, » quo loco jure usi sunt Oudend. et Wolf. contra Ernestium conjicientem *concitam*, vel *concitatam*, vel *commotam*. Ceterum Tacit. Hist. I, 10, « Occulta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium, *post fortunam credidimus*. »

2. *Quæ erat Marti sacra*. Vulg. *sacrata*. MS. alter, *quercus antiqua erat, Marti sacra*. Ita interpungendum post *sacra*. Auctore Torrentio, Codex nescio quis delet verba *quæ erat*.

3. *A frutice*. Innumeras hoc vocabulum peperit emendationes. Lips. *ramos et frutices*, vel *ramos an frutices;* Guiet. *a fomite;* Burmann. *a radice;* alii alia. Acquiesco in interpretatione Oudendorpii, « ab ea parte, qua frutex, qui e radice annosæ quercus circum trunci infima pullularat, ex ipsa arbore enatus erat, dedit arbor singulos ramos. » Eadem fere sententia Grimmii, qui sub calcem Disputationis super loco Galb. 22, de nostro quoque egit. *Fruticem* dicit esse surculos, circa stipitem arboris excrescentes, et verissime addit, si in Codice aliquo *a radice*, quod Ernestio mire placebat, inveniretur, id pro glossemate potius esse habendum.

4. *Mox, quum Ædilem*, etc. De ædilitate Vespasiani dictum ad cap. 2. Rem, de qua Noster, narrat Dio, LIX, 12. Burmanno displicet vocab. *desertum*, ut luto, cui comparatur Respublica, minus conveniens, et conjicit *deformatam*, vel *dejectam*, vel *despectam*. Addit Oudend. quamvis improbans mutationem, *defectam*. Si cogitandum esset de emendatione, ob Dionis le-

dis viis non adhibitam, luto jussisset oppleri, congesto per milites in prætextæ sinum, non defuerunt, qui interpretarentur, quandoque proculcatam desertamque Rempublicam civili aliqua perturbatione in tutelam ejus, ac velut in gremium, deventuram. Prandente eo quondam, canis[5] extrarius e trivio manum humanam intulit, mensæque subjecit. Cœnante rursus, bos arator[6], decusso jugo, triclinium irrupit, ac fugatis ministris, quasi repente defessus, procidit ad ipsos accumbentis pedes, cervicemque summisit. Arbor quoque cupressus[7] in agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit. At in Achaia somniavit[8], initium sibi suisque felicitatis futurum, simul ac dens Neroni exemtus esset : evenitque, ut sequenti die progressus in atrium medicus dentem ei ostenderet, tantum quod exemtum. Apud Judæam Carmeli Dei oraculum[9] consulentem ita confirmavere sortes,

ctionem suaderem *perturbatam despectamque*. Sed nota res est, in comparationibus non singula vocabula urgenda esse. Sæpissime miscet Cicero in dilectu vocabulorum duo membra comparationis, ut comparato addatur, quod comparanti conveniebat, vel contra. Ita h. l. *desertam* egregie respondet iis, quæ sequuntur, *in tutelam ejus... deventuram.*

5. *Prandente eo... canis*, etc. Cf. Xiphil. LXVI, 1.

6. *Cœnante.... bos arator*, etc. Xiphil. loc. cit.

7. *Arbor quoque cupressus*, etc. Tacit. Hist. II, 78, « Recursabant animo vetera omina. Cupressus arbor in agris ejus, conspicua altitudine, repente prociderat; ac postera die, eodem vestigio resurgens, procera et latior (lætior) virebat: grande id prosperumque, consensu haruspicum; et summa claritudo juveni admodum Vespasiano promissa. » Cf. Xiphil. apud quem levis denuo dissensus, quod Suetonius *sine ulla vi tempestatis*, ipse *ὑπὸ σφοδροῦ πνεύματος* concidisse arborem, dicunt, Tacitus simpliciter *repente.*

8. *At in Achaia somniavit*, etc. Cf. Xiphil. l. c. — *Atrium* est ædis Neronis, e cujus cubiculo veniebat medicus. — Pro *tantum quod*, plerique libri *recenter* e glossemate.

9. *Carmeli Dei oraculum*, etc. Tacit. Hist. II, 78 : « Est Judæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem Deumque, nec simulacrum Deo aut templum situm tradidere majores, aram tantum et re-

ut, quicquid cogitaret volveretque animo, quamlibet magnum, id esse proventurum [10], pollicerentur. Et unus ex nobilibus captivis, Josephus [11], quum conjiceretur in vincula, constantissime asseveravit, fore, ut ab eodem brevi solveretur, verum jam Imperatore. Nunciabantur et ex Urbe præsagia, Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut tensam Jovis Optimi Maximi e sacrario in domum Vespasiani, et inde in Circum deduceret [12]: ac non multo post, comitia secundi consulatus ineunte Gal-

verentiam. Illic sacrificanti Vespasiano, quum spes occultas versaret animo, Basilides sacerdos, inspectis identidem extis, Quicquid est, inquit, Vespasiane, quod paras, seu domum exstruere, seu prolatare agros, sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum.» Oros. VII, 9, hoc oraculum cum superiori (cap. 4) de terræ dominis e Judæa profecturis confundit, seductosque dicit Judæos ad rebellionem *quibusdam in Carmelo monte sortibus*, hoc est, oraculis. Hoc enim sensu *sors* et *sortes* a Nostro et h. l. et aliis dicuntur. Curt. III, 1, 16, *editam esse oraculo sortem*, et « cupido incessit animo *sortis ejus implendæ.* » Idem, VI, 9, 18, *qualis sors edita esset Jovis Ammonis oraculo.* De *Carmelo monte et Deo* varia disputarunt viri docti ad loc. nost. et ad Tacitum, et singularibus libellis, inter quos eminet, quem edidit *Caspar de Mendoza*, Antwerp. 1698, quum vel verum Deum putarent, quæ opinio hæret Carmelitis monachis, vel fictum aliquem gentilium. Maxime mihi arridet, quod Bosius in Epistola super h. l. cultum Dei Carmeli fuisse superstitiosum Judæorum, ad imitationem sacrorum in templo Hierosolymitano institutum, et corrupto tempore reipubl. Judaicæ sancte observatum. Ita conciliari posset cum reliquis scriptoribus error Orosii, si tali scriptori ulla esset auctoritas.

10. *Id esse proventurum;* successurum, προχωρήσειν. Vide Lexic. Xenoph. sub hoc vocab. et quæ de voc. Lat. notat Oudendorpius ad hunc locum.

11. *Josephus;* scriptor ille Judæus. Cf. Xiphil. l. c. et ipsum Josephum, Bell. Jud. III, 8, 9; Reimar. ad Xiphil. ubi plura de hoc Josephi oraculo vel commento. Varie enim de eo, uti assolet, a recentioribus est judicatum.

12. *Neronem... monitum... ut tensam... deduceret.* Vide Xiphil. l. c. *Inde* ante *in Circum* abest a vulgatis, sed ex optimis Codd. restituendum jam censuerat Casaubon. et Gruterus. Exempla dat Oudend. Ernestius suadet, *et in Circum inde duceret*, repudiato semel verbo *deducere* in hac oratione, Aug. 43, ubi vide nos. Recte etiam Oudendorp. monet, tensas *duxisse* tracto fune promoventes, *deduxisse* ho-

ba, statuam Divi Julii ad Orientem sponte [13] conversam: acieque Betriacensi, priusquam committeretur, duas aquilas in conspectu omnium conflixisse [14]; victaque altera, supervenisse tertiam ab solis exortu, ac victricem abegisse.

VI. Nec tamen quicquam ante tentavit, promtissimis

noris et officii causa prosequentes.

13. *Comitia... sponte conversam.* Et verba, et tempus prodigii difficultates pepererunt. Sub Othone, bellum Vitellio movente, id accidisse, narrant Tacit. Hist. I, 86, « statuam D. Julii in insula Tiberini amnis, sereno et immoto die, ab Occidente in Orientem conversam, » et Plutarch. Othon. 4. Sed levius hoc videtur, quum ad eumdem annum (822) et secundus Galbæ consulatus, et Othonis imperium, et Vitellii Vespasianique motus pertineant, et Tacitus errare potuerit in tempore prodigii, eoque auctore Plutarchus, quamquam is diserte ad Vespasianum refert cum Suetonio. Talis quidem dissensus scriptorum, qualem sæpissime deprehendimus, nulla mutationis instituendæ erit auctoritas. Restat igitur altera dubitatio, an dici possit *comitia inire*, quod plerique negant, at ipse puto esse *comitia auspicari*, quemadmodum *bellum*, *prælium*, *militiam*, *inire* et *auspicari* promiscue dicuntur; quod si minus alicui placuerit, suadeo *instituente* vel *obeunte*, quamquam non opus esse mutatione existimo. Plurimæ tamen exstiterunt. Ut enim lectionem Codicis taceam, ab Ursino prolatam *in Comitio secundum consulatum ineunte*, Burmann. suasit « non multo post comitia secundi consulatus, ineunte *Capitolium* Galba, » vel « post comitia *secundum cons.* ineunte Galba, » vel « non multo post, comitia secundi cons. *habente* Galba, » vel « *Senatum habente*, » quæ violenta fere sunt et contorta; Oudend. « non multo post *initia* secundi consulatus, *intereunte* Galba, » quod miror in mentem venisse viro doctissimo, quum talem usum participii præsentis de re futura incertique temporis Latinitas nullo modo ferat, neque ad rem faciat significatio mortis Galbæ. Ceterum verba *comitia.... Galba* Wolfio etiam glossema sapere videntur, cui meum judicium opponere nolo. In plerisque denique *statua... conversa*, quod jure repudiavit Ernestius, quoniam accusativi cum infinitivo juncti et præcedunt, et, quod gravissimum est, sequuntur.

14. *Duas aquilas.... conflixisse*, etc. Diversum est, quod Tacit. Hist. II, 50: « Die, quo Bedriaci certabatur, avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri loco consedisse incolæ memorant, nec deinde cœtu hominum, aut circumvolitantium alitum, territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret; tum ablatam ex oculis; et tempora reputantibus, initium finemque miraculi cum Othonis exi-

atque etiam instantibus suis, quam sollicitatus quorundam et ignotorum et absentium fortuito favore. Mœsiaci exercitus[1] bina e tribus legionibus millia, missa auxilio Othoni, postquam ingressis iter nunciatum est, victum eum, ac vim vitæ suæ attulisse, nihilo secius Aquileiam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent. Ibi per occasionem ac licentiam omni rapinarum genere grassati, quum timerent, ne sibi reversis reddenda ratio, ac subeunda pœna esset, consilium inierunt eligendi creandique Imperatoris: « Neque enim deteriores esse aut Hispaniensi exercitu, qui Galbam, aut prætoriano, qui Othonem, aut Germaniciano[2], qui Vitellium fecissent. » Propositis itaque nominibus Legatorum consularium, quot ubique tunc erant, quum ceteros, alium alia de causa, improbarent, et quidam e legione tertia[3], quæ sub exitu Neronis translata ex Syria in Mœsiam fuerat, Vespasianum laudibus ferrent; assensere cuncti, nomenque ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt. Et tunc quidem com-

tu competisse. » Xiphil. LXIV, 10.

VI. 1. *Mœsiaci exercitus*, etc. Tacit. Hist. II, 46, « præmissi e Mœsia, eamdem obstinationem *adventantis exercitus*, *legiones Aquileiam ingressas*, nunciabant. » Cap. 85, « *Tertia* legio exemplum ceteris Mœsiæ legionibus præbuit. *Octava* erat ac *septima Claudiana*, imbutæ favore Othonis, quamvis prælio non interfuissent. Aquileiam progressæ, proturbatis, qui de Othone nunciabant, laceratisque vexillis, nomen Vitellii præferentibus, rapta postremo pecunia et inter se divisa, hostiliter egerant. Unde metus, et ex metu consilium: posse imputari Vespasiano, quæ apud Vitellium excusanda erant. Ita *tres Mœsiæ legiones* per epistolas alliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant. » Ex his locis recte colligere videtur Lipsius ad Tacit. II, 46, hallucinatum Suetonium, de *duobus millibus* narrantem, quod *tres legiones* fecerunt, et confudisse, quod idem Tacit. II, 11, « Læta interim Othoni principia belli, motis ad imperium ejus e Dalmatia Pannoniaque exercitibus: fuere quatuor legiones; e quibus *bina millia* præmissa; ipsæ modicis intervallis sequebantur. » Cf. etiam Xiphil. LXV, 9.

2. *Germaniciano*. Vide ad Galb. cap. 20.

3. *E legione tertia*, etc. Tacit. Hist. II, 74, « Tertiam legionem, quod e Syria in Mœsiam transisset, suam numerabat. »

pressa res est, revocatis ad officium numeris[4] parumper. Ceterum, divulgato facto, Tiberius Alexander[5], Præfectus Ægypti, primus in verba Vespasiani legiones adegit Kalendis Juliis: qui principatus dies in posterum observatus est. Judaicus deinde exercitus quinto Idus Julias apud ipsum juravit[6]. Plurimum cœptis contulerunt jactatum exemplar epistolæ, veræ, sive falsæ, defuncti[7] Othonis ad Vespasianum, extrema obtestatione ultionem mandantis, et, ut Reipublicæ subveniret, optantis: simul rumor dissipatus[8], destinasse victorem Vitellium permutare hi-

4. *Numeris;* id est, cohortibus, vel potius, numeris militum, quot sub uno Tribuno erant, Græc. ἀριθμοῖς. Conf. Sozomen. Histor. Eccl. I, 8; Torrent. ad hunc locum; Turneb. Advers. XXIV, 36; Ernest. Clav. Ciceron. sub hoc vocab. Alii inepta tautologia *ad officium muneris.*

5. *Ceterum... Tiberius Alexander,* etc. Tacit. II, 74, « Præfectus Ægypti, Tiberius Alexander, consilia sociaverat. » Cap. 79, « Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriæ cœptum, festinante Tiberio Alexandro, qui Kal. Jul. sacramento ejus legiones adegit. » Hunc Tiberium Alexandrum filium fuisse Alexandri, Alabarchæ Alexandriæ, et a Judaica religione descivisse, narrat Joseph. Ant. Jud. XX, 5, 2.

6. *Judaicus... exercitus quinto Idus Julias... juravit.* Tacit. l. c. pergit: « isque (nempe Kal. Jul.) primus principatus dies in posterum celebratus, quamvis Judaicus exercitus *V Non. Jul.* apud ipsum jurasset, eo ardore, ut ne Titus quidem filius exspectaretur, Syria remeans, et consiliorum inter Mucianum ac patrem nuncius. » Veriorem Taciti de die rationem esse, omnes consentiunt, et demonstravit Pagius, Crit. Baron. ad A. C. 79; Ernestius etiam in textum recepit *Nonas.* Sed error videtur Suetonii esse, non librariorum, profectus fortasse ex iis, quæ Tacitus dixit, c. 81, « *Ante Idus Jul.* Syria omnis in eodem sacramento fuit. » Ceterum de re ipsa conf. Joseph. Bell. Jud. IV, 10, 4.

7. *Defuncti.* Addidit hoc vocabulum ad tempus accuratius designandum. Est nempe *illo tempore jam defuncti.* Obierat Otho mense Aprili. Cf. ad Othon. 11. — Pro *optantis,* pauci *hortantis,* quod melius sibi visum recepere Burmann. et Ernestius.

8. *Simul rumor dissipatus,* etc. Tacit. Hist. II, 80: « Nihil æque provinciam exercitumque accendit, quam quod asseverabat Mucianus, statuisse Vitellium, ut Germanicas legiones in Syriam ad militiam opulentam quietamque transferret; contra Syriacis legionibus Germanica hiberna, cælo ac laboribus dura, mutarentur. Quippe et provinciales sueto militum contuber-

berna legionum, et Germanicas transferre in Orientem ad securiorem molliorem que militiam : præterea ex præsidibus provinciarum Licinius Mucianus[9], et e regibus Vologesus Parthus; ille, deposita simultate, quam in id tempus ex æmulatione non obscure gerebat, Syriacum promisit exercitum[10]; hic quadraginta millia sagittariorum[11].

VII. Suscepto igitur civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmissis, interim Alexandriam transiit, ut claustra Ægypti obtineret[1]. Hic quum de firmitate imperii

nio gaudebant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti, et militibus vetustate stipendiorum nota et familiaria castra in modum Penatium diligebantur. » Nostro loco Ernest. cum libris aliquot suadet *melioremque militiam*, pro *molliorem*. Jure id improbant Oudendorp. et Wolfius. Opponuntur Taciti *hiberna*, *cælo ac laboribus dura*.

9. *Præterea.... Licinius Mucianus;* de quo vide Tacit. Hist. I, 10, et II, 4 et 5, ubi post comparationem Vespasiani et Muciani ita pergit: « Ceterum hic Syriæ, ille Judææ præpositus, vicinis provinciarum administrationibus, invidia discordes, exitu demum Neronis, positis odiis, in medium consuluere, primum per amicos; dein præcipua concordiæ fides Titus prava certamina communi utilitate aboleverat, natura atque arte compositus alliciendis etiam Muciani moribus. » Orationem, qua dubitantem Vespasianum ad capessendum imperium Mucianus incendit, lege apud Tacit. Hist. II, 76 seq.

10. *Ille.... Syriacum promisit exercitum.* Tacit. cap. 76: « Tibi e Judæa et Syria et Ægypto *novem legiones integræ*, nulla acie exhaustæ, non discordia corruptæ, sed firmatus usu miles, et belli domitor externi; classium, alarum, cohortium robora; et fidissimi reges; et tua ante omnes experientia. »

11. *Hic quadraginta millia sagittariorum.* Tacit. Hist. IV, 51: « Aderant legati regis Vologesi, quadraginta Parthorum equitum (hippotoxotarum) millia offerentes. Magnificum lætumque, tantis sociorum auxiliis ambiri, neque indigere. Gratiæ Vologeso actæ, mandatumque, ut legatos ad Senatum mitteret, et pacem esse sciret.» Aliis *Vologæsus* pro *Vologesus* scribitur.

VII. 1. *Ut claustra Ægypti obtineret.* Tacit. Hist. II, 82: « Titum instare Judææ, Vespasianum obtinere *claustra Ægypti* placuit. Sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen, ac nihil arduum fatis. » Eumdem vide III, 48, et conf. Xiphil. LXV, 9. Unicum autem intellige Vespasiani consilium, ut « Urbem externæ opis indigam fame urgeret » (Ta-

capturus auspicium, ædem Serapidis [2], summotis omnibus, solus intrasset, ac, propitiato multum Deo, tandem se convertisset [3], verbenas coronasque et panificia, ut illic assolet, Basilides libertus [4] obtulisse ei visus est: quem neque admissum a quoquam, et jam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abesse, constabat. Ac statim advenere literæ, fusas apud Cremonam Vi-

cit. III, 48), et victor commeatu adjutæ gratiam sibi pararet: conf. eumdem Tacit. IV, 52.

2. *Ædem Serapidis*, etc. De hoc Deo ejusque cultu lege quæ Tacit. IV, 83.

3. *Ac... tandem se convertisset.* Hoc interpretes de adorationis ritu vel de abitu de templo capiunt; melius Ernest. de ritu ominis vel auspicii capiundi, cui assentitur Oudendorpius.

4. *Basilides libertus*, etc. Diverse rem narrat Tacit. IV, 82: « Altior inde (post miraculum, de quo Suetonius proxime) Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus imperii consuleret. Arceri templo cunctos jubet: atque ingressus intentusque numini, respexit pone tergum *e primoribus Ægyptiorum nomine Basiliden*; quem procul Alexandria plurium dierum itinere et ægro corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur sacerdotes, num illo die Basilides templum inisset? percunctatur obvios, num in urbe visus sit? denique, missis equitibus, explorat, illo temporis momento octoginta millibus passuum abfuisse. Tunc divinam speciem et vim responsi ex nomine *Basilidis* interpretatus est. » Qui accuratius locos comparaverit, dissensum scriptorum invenerit necesse est nulla emendatione conciliandum, neque mirandum iis, qui turbulentis temporibus, ut nostris, rumorum et narrationis diversitatem cognoverint, qualem in interpretando etiam Suetonio subinde demonstravimus, et exemplis illustravit Walther. Observ. pag. 29. Vanæ igitur emendationes Heinsii *liberatus* vel *liberandus* (a nervorum nempe valetudine), Oudendorpii *liberius* (nimirum quia contra vetitum Vespasiani ingressus erat), Torrentii denique et Burmanni sententia, qui ejiciendum vocab. *libertus* censuerunt. Utrius autem scriptoris verior narratio sit, quis dixerit, quum dubitatio supersit de veritate utriusque? Ernestii, Suetonianam præferentis, quoniam notum hominem, *libertum* adeo, offerri Vespasiano necesse fuerit ad intelligendum augurium, nulla est ratio, quum *primorem* etiam *Basiliden* notissimum ei fuisse Tacitus perhibeat. Nescio, an plus tribuendum commento Cannegieteri (de mut. Rom. nom. sub Princ. Ratione, pag. 70) de servis et libertis Deorum, qualem Basiliden, eumdem gentis suæ primorem, fuisse putat. Difficiles hæ sunt nugæ, et improbus in iis labor, a quo abstinere satius est, quum nihil efficiat. Ceterum, hæc omnia

tellii copias, ipsum in Urbe interemtum, nunciantes. Auctoritas et quasi majestas quædam, ut scilicet[5] inopinato et adhuc novo Principi, deerat : hæc quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus[6], item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini[7], demonstratam a Serapide per quietem : restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Quum vix fides esset, rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet; extremo, hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit[8], nec eventus defuit. Per idem tempus Tegeæ in Arcadia, instinctu vaticinantium, effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in iis assimilis Vespasiano imago.

VIII. Talis tantaque cum fama in Urbem [1]reversus,

e rumoribus in historias venisse, inde quoque patere videtur, quod apud Tacit. II, 73, Carmeli etiam montis sacerdos *Basilides* dicitur.

5. *Ut scilicet.* Jejuna geminatio particularum, cui medetur Codex Torrentii, qui, salva auctoritate viri, dat *ut solet.*

6. *E plebe quidam luminibus orbatus*, etc. Tacit. Hist. IV, 81 : « Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit, precabaturque Principem, ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius *manum æger,* eodem Deo auctore, ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. » De alterius valetudine cum Tacito consentit Xiphil. LXVI, 8.

7. *Valetudini.* Vulg. *valetudinis.* Conf. Oudendorp.

8. *Palam... utrumque tentavit,* etc. Tacit. l. c. « Vespasianus, cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quicquam ultra incredibile; læto ipse vultu, erecta, quæ adstabat, multitudine, jussa exsequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium. » De miraculo quærere non vacat. Cf. interpr. ad loc. nost. et Reimar. ad Xiphil.

VIII. 1. *In Urbem reversus.* Paravit iter λήξαντος τοῦ χειμῶνος (ann. 823), ut Joseph. Bell. Jud. IV, 11, 5. Adventus in Italiam, quem describit idem, VII, 4, 1, exeunti demum æstati tribuendus, ut ostendit Reimar. ad Xiphil. LXVI, 9. De itinere vide Joseph. VII, 2, 1.

acto de Judæis triumpho[2], consulatus octo veteri[3] addidit. Suscepit et censuram[4]: ac per totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemque Rempublicam stabilire primo, deinde et ornare. Milites, pars victoriæ fiducia, pars ignominiæ dolore[5], ad omnem licentiam audaciamque processerant. Sed et provinciæ, civitatesque liberæ, nec non et regna quædam tumultuosius inter se agebant. Quare Vitellianorum quidem et exauctoravit plurimos, et coercuit: participibus autem victoriæ adeo nihil extra ordinem indulsit, ut etiam legitima præmia non nisi sero[6] persolverit. Ac, ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum, fragrantem unguento, quum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit, « Maluissem, allium aboluisses; » literasque revocavit. Classiarios[7] vero, qui ab Ostia et Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes,

2. *Acto de Judæis triumpho.* Vide Joseph. VII, 5, 4 seq. unde patet, post demum reditum, ann. 824, actum esse; is enim cum patre triumphavit; cf. Tit. 6, et Reimar. ad Xiphil. LXVI, 7.

3. *Consulatus octo veteri addidit; veteri,* de quo dictum ad cap. 4. Secundum, tertium et quartum continuavit annis 823, 824, et 825; post unius anni intervallum quintum, sextum, septimum et octavum, annis 827 usque ad 830, et denuo interjecto anno; nonum ann. 832 gessit.

4. *Suscepit et censuram*; secundo consulatu, collega Tito. Vide Tit. 6. Lustrum condidit quinto consulatu. Cf. Censorin. cap. 18; Plin. Hist. Nat. VII, 49 (50).

5. *Pars ignominiæ dolore.* Pertinet ad devictos Vitellianos, ut *victoriæ fiducia* ad milites Vespasiani, ut recte monuit Ernestius, idque patet etiam ex sequentibus, ubi exponit auctor, quid de Vitellianis, et de suis militibus statuerit Vespasianus. Transit deinde ad civitates hactenus liberas, et regna, quæ tumultuosius agebant. Mox de ornata Urbe agit.

6. *Non nisi sero.* Omittunt multi *non nisi*, probante Oudendorpio.

7. *Classiarios*; hoc est, cohortes remigum, quæ Puteolis et Ostiæ ad arcendos incendiorum casus erant collocatæ (vide Claud. cap. 25), et eumdem ad usum Romam per vices commeabant. Non confundendos illos existimo cum *legione classica*, de qua dictum supra, Galb. cap. 12.

« constitui aliquid sibi calciarii[8] nomine, » quasi parum esset sine responso abegisse, jussit posthæc excalciatos cursitare : et ex eo ita cursitant. Achaiam[9], Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, libertate ademta, item Thraciam, Ciliciam[10], et Commagenen[11], ditionis regiæ usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit. Cappadociæ propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit[12], consularemque rectorem imposuit pro Equite Romano. Deformis Urbs veteribus incendiis ac ruinis erat : vacuas areas occupare, et ædificare, si possessores cessarent, cuicunque permisit. Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis[13] manus primus admovit,

8. *Calciarii.* Ita *clavarium* flagitant milites apud Tacit. Hist. III, 50, ubi vide interpr.

9. *Achaiam*, etc. Nempe datam a Nerone libertatem ademit. Conf. Philostr. V, 14.

10. *Item, Thraciam, Ciliciam.* Corrigunt *Tracheam Ciliciam* (Κιλικίαν τραχεῖαν), auctore Turneb. Advers. XXIV, 36, quoniam *Thraciam* jam sub Claudio Imperatore provinciam factam, Eusebius narrat in Chronico. Eadem varietas in Eutrop. VII, 9. Nam pro *Thraciam*, *Ciliciam*, nunc legunt *Ciliciam Tracheam*. Confirmat Aurel. Vict. Epit. 9, qui : « Syria seu Palæstina, nec non *Cilicia Trachea*, et Commagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, provinciis accessere. » Sed quum distinguat auctor, *quæ liberæ ante hoc tempus fuerant*, et *quæ ditionis regiæ*, provincias, et in sex diversas provincias distinctam a Vespasiano Thraciam, probaverit Scaliger, cum Oudendorp. aliquam Thraciæ partem, sub regulo hactenus constitutam, nunc ad provinciæ jus eamdemque cum reliquis ejusdem regionis sortem redactam, intelligere malo.

11. *Et Commagenen*, de qua provincia modo regulis, modo Antiochis subjecta, diximus ad Calig. cap. 16. Cf. tamen Oudendorp. ad hunc locum.

12. *Cappadociæ... legiones addidit;* unde de priori tempore Tacit. Hist. II, 81, « sed inermes Legati regebant, nondum additis Cappadociæ legionibus. » Vide Dion. LV, 23. — *Pro Equite Romano;* quem Tiberius imposuerat, quum Cappadociam provinciam fecisset. Cf. Dio, LVII, 17, ad ann. 770, ubi Fabric.

13. *Ipse... ruderibus purgandis*, etc. Cf. Xiphil. LXVI, 10. Ab his longissime recedit Tacit. Hist. IV, 53, qui, absente Vespasiano, fundamenta Capitolii jacta narrat. Ita enim l. c. « Curam restituendi Capitolii *in L. Vestinum* confert, equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres... *Undecimo Kal. Julias* serena luce spatium

ac suo collo quædam extulit: æream umque tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus; instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum[14], quo continebantur pæne ab exordio Urbis Senatusconsulta, plebiscita, de societate, et fœdere, ac privilegio, cuicunque concessis.

IX. Fecit et nova opera, templum Pacis[1] Foro proximum; Divique Claudii[2] in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum: item Amphitheatrum[3] Urbe media, ut destinasse compererat Augustum. Amplissimos ordines[4], et exhaustos cæde varia, et contaminatos veteri negligentia, purgavit, supplevitque, recenso Senatu et Equite; summotis indignissimis, et honestissimo quoque Italicorum ac provincialium allecto. Atque, uti notum esset, utrumque ordinem non tam libertate[5] inter se, quam dignitate differre, de

omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque, etc.» Conciliare studuit scriptores Phil. a Turre ad Monum. veteris Antii, p. I, cap. 7, cui quæ regessit Reimar. ad Xiphil. l. c. verissima sunt. Cf. Ernest. ad Tacit. loc. cit. Nos, ut in re incerta, judicio abstinemus, quod pro eo plerumque ferri solet, in quo interpretando cura forte versatur, cupidius, quam verius.

14. *Ac vetustissimum.* Quod sequitur in vulg. *confecit,* optimorum Codd. auctoritate et Oudend. ejecerunt. Mox vitiose multi *concessit.*

IX. 1. *Templum Pacis*, etc. Cf. Xiphil. LXVI, 19; Joseph. Bell. Jud. VII, 5, 7. Locupletissimus de hoc templo ejusque historia Reimarus ad Xiphil. l. c.

2. *Divique Claudii.* Vide Claud. 45, et Donat. de Urbe Roma, III, 12.

3. *Item Amphitheatrum;* quod inceptum a Vespasiano dedicavit Titus. Cf. Tit. 7, et Xiphil. LXVI, 25. Ad ann. 833, vel 834. Vide Reimar. ad loc. cit. et Donat. III, 7, ubi situm loci accuratissime indagat.

4. *Amplissimos ordines;* h. e. utrumque, senatorium et equestrem. Nam hunc etiam sæpius *amplissimorum ordinum* nomine contineri, exemplis demonstravit Gronov. ad Gell. Noct. Att. IV, 1, init. contra Lipsium, corrigentem hoc loco, «ut destinasse compererat Augustum *amplissimum. Ordines*, etc.» Ceterum Aurel. Victor, Epit. 9, «Mille gentes compositæ, quum ducentas ægerrime reperisset, exstinctis sævitia tyrannorum plerisque.»

5. *Non tam libertate;* quæ om-

jurgio quodam Senatoris Equitisque Romani ita pronunciavit: « Non oportere maledici Senatoribus, remaledici civile fasque esse. »

X. Litium series ubique majorem in modum excreverant, manentibus antiquis, intercapedine [1] jurisdictionis; accedentibus novis, ex conditione tumultuque temporum. Sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur, quique judicia centumviralia [2], quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad brevissimum numerum.

XI. Libido atque luxuria, coercente nullo, invaluerat. Auctor Senatui fuit decernendi, ut, quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur [1]: neve filiorum familiarum feneratoribus exigendi crediti jus unquam esset [2], hoc est, ne post patrum quidem mortem [3].

nibus civibus communis eademque est, unde postea *civile*, h. e. civi permissum vel ex jure civis remaledici Senatoribus dicitur, qui priores contra dignitatem personæ ordinisque sui civi maledixissent.

X. 1. *Intercapedine jurisdictionis;* h. e. omissa ob turbas civiles jurisdictione.

2. *Judicia centumviralia;* id est, causas a Centumvirorum judicio dijudicandas, quæ quales fuerint, docet Cic. de Orat. I, 38. Cf. ad August. 36. — Pro *dijudicarent*, aliquot MSS. *judicarent*.

XI. 1. *Auctor Senatui fuit... ut... ancilla haberetur.* Nempe retulit, quod temporum licentia observari desierat, *Senatusconsultum Claudianum*, de quo Tacit. Annal. XII, 53, « Refertur ad Patres *de pœna feminarum, quæ servis conjungerentur*, statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsæ in servitute, sin consensisset, pro libertis haberentur, » ubi vide Lips. et reliquos interpr. Conf. Bachii Hist. Jurispr. Rom. pag. 351 et 360.

2. *Neve filiorum familiarum.... jus unquam esset.* De hac re etiam ante cautum fuerat *lege Lætoria* de circumscriptionibus adolescentum, et Senatusconsulto Macedoniano, facto ann. 800, Imperatore Claudio. Tacit. Annal. XI, 13, « Lege lata sævitiam creditorum coercuit, *ne in mortem parentum pecunias filiisfamiliarum fenori darent.* » Cf. ibi Lipsium, et Bach. l. c. pag. 349. Id renovatum a Vespasiano.

3. *Hoc est... mortem.* Hæc verba semper pro glossa habui vocabuli *unquam*, priusquam Burmannum et Oudendorp. idem judicare scirem. Lipsius etiam ad Tacit. l. c., ubi excitat hæc verba, suo sine dubio judicio omisit saltem vocabula *hoc est*. Cf. Oudendorp. ad August. 32.

XII. Ceteris in rebus[1] statim ab initio principatus usque ad exitum civilis et clemens, mediocritatem pristinam neque dissimulavit unquam, ac frequenter etiam præ se tulit. Quin et conantes quosdam originem Flavii generis ad conditores Reatinos comitemque Herculis, cujus monumentum exstat via Salaria, referre irrisit ultro. Adeoque nihil ornamentorum extrinsecus cupide appetivit, ut triumphi die, fatigatus tarditate et tædio pompæ, non reticuerit, « merito se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum majoribus suis, aut speratum unquam sibi, tam inepte senex concupisset. » Ac ne tribuniciam quidem potestatem, et Patris patriæ appellationem, nisi sero recepit. Nam consuetudinem scrutandi salutantes, manente adhuc bello civili, omiserat[2].

XIII. Amicorum libertatem, causidicorum figuras[1], ac philosophorum contumaciam lenissime[2] tulit. Licinium Mucianum[3], notæ impudicitiæ, sed meritorum fiducia minus sui reverentem, nunquam, nisi clam, et hactenus

XII. 1. *Ceteris in rebus*, etc. Ab his verbis, quæ novum argumentum incipiunt, caput exorsus sum cum Pitisco. In reliquis editt. superiori annectuntur. Ceterum cf. Xiphil. LXVI, 10.

2. *Nam consuetudinem... omiserat.* Vide Claud. 35, et quem ibi citavimus, Dion. LX, 3. Cf. omnino Xiphil. LXVI, 10.

XIII. 1. *Causidicorum figuras*, etc. Eutrop. VII, 13, « *Convicia* a causidicis et philosophis in se dicta leniter tulit. » Aurel. Victor, Epit. 9, causidicorum *obliqua dicta* interpretatur. *Figurata dicere* Spartianus, Sever. 14. Macrob. Saturn. VII, 3, « Scomma pæne dixerim *morsum figuratum*, quia sæpe fraude vel urbanitate tegitur, ut *aliud sonet, aliud intelligas.* » Vide Quintilian. Inst. IX, 2, 65 seq.

2. *Lenissime.* Eutrop. l. c. *leniter tulit.* Al. loco nostro *levissime.* Cf. Xiphil. LXVI, 11, qui *philosophos* tamen, Stoicos maxime et Cynicos, Muciani consilio Urbe eum ejecisse narrat, cap. 13.

3. *Licinium Mucianum*; de quo dictum ad cap. 6. Tacit. Hist. I, 10: « Luxuria, industria, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus mixtus. Nimiæ voluptates, quum vacaret; quoties expedierat, magnæ virtutes; palam laudes; secreta male audiebant. » Idem IV, 4, jactasse eum narrat, « in manu sua fuisse imperium, donatumque Vespasiano. » Conf. Xiphilin. LXVI, 2.

retaxare sustinuit, ut apud communem aliquem amicum querens, adderet clausulæ[4]: «Ego tamen vir sum[5].» Salvium Liberalem, in defensione divitis rei ausum dicere, «Quid ad Cæsarem, si Hipparchus sestertium millies habet?» et ipse laudavit. Demetrium Cynicum[6], in itinere obvium sibi post damnationem[7], ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit *Canem* appellare.

XIV. Offensarum inimicitiarumque minime memor executorve, Vitellii hostis sui filiam splendidissime maritavit[1], dotavitque etiam et instruxit. Trepidum eum interdicta aula sub Nerone, quærentemque, quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio admissionis simul expellens, «abire Morboniam» jusserat[2]. In hunc postea depre-

4. *Clausulæ;* scil. querelarum, nisi corrigendum cum Dukero *clausulam*, quod probaverunt Ernest. et Oudendorp.

5. *Ego tamen vir sum;* non femina, ut Mucianus, muliebria passus. Notæ enim erat *impudicitiæ*. Cf. ad Cæs. 49. Aurel. Victor, Epit. 9, «Nosti me virum esse.»

6. *Demetrium Cynicum;* qui cum Apollonio Romam venerat Corintho. Vide de eo Reimar. ad Xiphil. LXVI, 13.

7. *Post damnationem.* Ita Memm. et boni Codd. omnes. Al. *post dominationem*, quod vix credas Suetonium dixisse pro *post susceptum imperium*, et si vel maxime ferret Latinitas, addi non opus erat, ubi de *Principe* Vespasiano continuus sermo. *Damnatum* dicit Sueton. quem Vespasianus consentiente senatu relegaverat in insulas, quod Principem aspernaretur. Vide Xiphil. l. c. qui non ipsum Vespasianum *Canem* coram dixisse scribit, sed jussisse per alium convicium ei ingeri. Hæc autem quum ad historiam nihili sint, sæpius negligimus.

XIV. 1. *Vitellii... filiam splendidissime maritavit*, etc. Aurel. Victor, Epit. 9, «Hujus inter cetera bona illud singulare fuit inimicitias oblivisci, adeo, ut Vitellii hostis sui filiam locupletissime dotatam, splendidissimo conjungeret viro.» Desponsata fuerat a patre Vitellio *Valerio Asiatico*, Belgicæ provinciæ Legato, ut narrat Tacit. I, 59, qui Asiaticum ut Consulem designatum iterum memorat IV, 4. An huic marito eam dederit Vespasianus, incertum; e genere equestri maritum fuisse e Victore apparet.—*Dotavitque... et instruxit.* Illud ad pecuniam, dotis loco datam, hoc ad supellectilem et *instrumentum* domesticum pertinet.

2. *Abire Morboniam jusserat.* Cf.

cantem haud ultra verba excanduit, et quidem totidem fere atque eadem. Nam, ut suspicione aliqua vel metu ad perniciem cujusquam compelleretur, tantum abfuit, ut, monentibus amicis, cavendum esse Metium Pomposianum[3], quod vulgo crederetur genesin[4] habere imperatoriam, insuper Consulem fecerit, spondens, quandoque beneficii memorem futurum.

XV. Non temere quis punitus insons reperietur, nisi absente eo[1] et ignaro, aut certe invito atque decepto. Helvidio Prisco[2], qui et reversum[3] se ex Syria solus privato nomine *Vespasianum* salutaverat, et in [4]prætura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmise-

Xiphil. LXVI, 11, qui *quemdam* istum *ex officio admissionis* Phœbum nominat. Ceterum, comparato Xiphil., persuasum fere habeo, nostro etiam loco pro *Morboniam* vel *Morboviam*, quod Marcil. et alii in *Macariam* (ex Græco εἰς Μακαρίαν) mutandum censuerunt, ut nullius interpretationis vocabulo, legendum esse εἰς κόρακας. Quantopere Græca corrupta semper sint in scriptoribus Latinis, maxime Nostro, quum literis Latinis plerumque redderentur, satis notum. Quid si *Morboniam* ortum est ex interpretatione margini adscripta, *Corvorum escam* vel *Corvis escam?* Fingere enim nomen *Corviniam* non audeo.

3. *Metium Pomposianum*. *Pompusianum* Memm. aliique Codd. scribunt, et Μέτιον Πομπουσιανόν etiam Xiphil. LXVII, 12, ubi vide. Cf. Aurel. Victor, Epit. 9. Relegavit hunc postea et interfecit Domitianus; vide Domit. cap. 10.

4. *Genesin*. *Genituram* Latine dixit August. 94 fin. et Calig. 57.

XV. 1. *Nisi absente eo;* h. e. ante adventum ex Ægypto, quo tempore Domitianus et Mucianus Romæ omnem licentiam et crudelitatem exercebant. Lege Tacit. lib. IV, et Xiphil. LXVI, 2. *Reperietur* est ex conjectura Salmasii, adscripta Codici, qui habet *reperiretur*. Vulg. *reperitur*. Eadem varietas est Cæs. 75, in verbis « nec ulli perisse nisi in prælio *reperientur,* » ubi al. *reperirentur* ex corruptela, et vulg. *reperiuntur*.

2. *Helvidio Prisco*, etc. Vide de vita moribusque hujus viri Tacit. Hist. IV, 5. Conf. omnino Xiphilin. LXVI, 12.

3. *Reversum*. Vitiose al. *reversus*. Verba *privato nomine* frustra a nonnullis urgentur, jure defensa a Dukero, qui servasse quidem Principem etiam Vespasianum privatum hoc nomen dicit, salutandum tamen fuisse *Principis* vel *Imperatoris* appellatione.

4. *In prætura;* quam gessit ann. 823. Vide Tacit. Hist. IV, 35.

rat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis pæne in ordinem redactus[5]. Hunc quoque, quamvis relegatum primo, deinde et interfici jussum, magni æstimavit servare quoquo modo, missis, qui percussores revocarent; et servasset, nisi, jam perisse, falso renunciatum esset. Ceterum neque cæde cujusquam unquam lætatus, justis suppliciis illacrimavit etiam et ingemuit.

XVI. Sola est, in qua merito culpetur, pecuniæ cupiditas. Non enim contentus, omissa sub Galba vectigalia revocasse[1], nova et gravia addidisse, auxisse tributa provinciis, nonnullis et duplicasse; negotiationes quoque, vel privato pudendas, propalam exercuit, coemendo quædam tantum, ut pluris postea distraheret. Ne candidatis quidem honores, reisve, tam innoxiis, quam nocentibus, absolutiones venditare cunctatus est[2]. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo « pro spongiis » dicebatur « uti, » quod quasi et siccos madefaceret, et exprimeret humentes. Quidam natura cupidissimum tradunt, idque exprobratum ei a sene bubulco, qui, negata sibi gratuita libertate[3], quam imperium adeptum suppliciter orabat, proclamaverit, « Vulpem pilum mutare, non mores. » Sunt

5. *Pæne in ordinem redactus;* privatis ab eo assimilatus.

XVI. 1. *Omissa... vectigalia revocasse*. Cf. Xiphil. LXVI, 8. *Omittere vectigalia* dicit etiam Tacit. Annal. XIII, 50, ubi vide Ernestium, jure reprehendentem, qui illo vel nostro loco verbum *remittere* substituere voluerunt. Prorsus respondent Xiphilini τέλη ἐκλελειμμένα. Cf. Duker. ad locum nostr.

2. *Ne candidatis quidem... cunctatus est*. Cænidi pellici, de qua dictum ad cap. 3, hoc tribuit Xiphil. LXVI, 14.

3. *Qui, negata sibi gratuita libertate,* etc. Non dubito, servum fuisse Vespasiani. Flagitabat is libertatem seu manumissionem sine pretio, quod e peculio solvere pro ea solebant, *gratuitam* adeo. Ita Tacit. Annal. XIV, 42, *negata libertate, cui pretium pepigerat*, ubi vide Lips. cf. Brisson. de Form. VI, pag. 559.

contra, qui opinentur, ad manubias et rapinas necessitate compulsum, summa ærarii fiscique inopia[4]: de qua testificatus sit initio statim principatus, professus, « quadringenties millies[5] opus esse, ut Respublica stare posset. » Quod et verisimilius videtur, quando et male partis optime usus est.

XVII. In omne hominum genus liberalissimus[1], explevit censum Senatorum[2]: consulares inopes quingenis sestertiis annuis sustentavit: plurimas per totum orbem civitates, terræ motu aut incendio afflictas, restituit in melius.

XVIII. Ingenia et artes vel maxime fovit: primus e fisco Latinis Græcisque rhetoribus annua centena constituit: præstantes poetas, nec non et artifices, Coæ [1]Vene-

4. *Summa ærarii fiscique inopia.* Vide Xiphil. LXVI, 10. Aurel. Victor, Epit. 9, et Cæs. 9, « Infirmus tamen, uti quidam prave putant, adversus pecuniam, quum satis constet, ærarii inopia et clade urbium novas eum neque postea habitas vectigalium pensiones exquisivisse. »

5. *Quadringenties millies*, etc. Correxere *quadragies*, divitias et impensas Romanorum ex nostris temporibus æstimare soliti. Certe non favet locus Tacit. Hist. IV, 47, « Ceterum verane pauperie, an uti videretur, actum in Senatu, ut *sexcenties* Sestertium a privatis mutuum acciperetur. »

XVII. 1. *In omne hominum genus liberalissimus.* Haud placuit cum Salmas. aliisque hæc verba superiori cap. annectere, novumque incipere ab *Explevit*, etc. quum *omne genus hominum* proxime memoretur, morisque sit Nostro, universæ sententiæ singula exempla subjicere.

2. *Explevit censum Senatorum.* Ita edidimus cum Oudendorp. pro *Senatorium*. De re vide ad August. cap. 41.

XVIII. 1. *Coæ Veneris.* Vulg. « et artifices *coemit*, *item*, etc. » Lips. conjiciebat « artifices *scenæ*, » vel « artifices *comicos*. » Quam edidimus, Grævius protulit emendationem e corrupto vocabulo Cod. Memm. *coeueneris*, vel *coeuenerit*, eaque commendatur quum mira inventoris sagacitate, tum loco Plinii, H. N. XXXVI, 5 (Franz. 4, § 8), « Ignoratur artifex ejus quoque Veneris, quam Vespasianus Imperator in operibus Pacis suæ dicavit, antiquorum dignam fama. » Apellis enim Venerem Coam, de qua Plin. XXXV, 10 (9, § 15), intelligi non posse, satis ostendit Oudend. Statua igitur fuit Veneris, itaque jungenda *Coæ Veneris.... refectorem*, quod patet etiam ex inserta particula *item*. Eumdem autem Veneris

ris, item Colossi[2] refectorem, insigni congiario magnaque mercede donavit: mechanico quoque, grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit; operam remisit, præfatus; « Sineret, se plebeculam pascere[3]. »

XIX. Ludis, per quos scena Marcelliani theatri[1] restituta dedicabatur, vetera quoque acroamata revocaverat. Apollinari tragœdo[2] quadringenta, Terpno Diodoroque citharœdis[3] ducena, nonnullis centena, quibus minimum, quadragena sestertia super plurimas coronas aureas dedit. Sed et convivabatur assidue[4], ac sæpius recta et dapsile, ut macellarios adjuvaret. Dabat sicut Saturnalibus viris apophoreta[5], ita per Kalendas Martias feminis : et tamen ne sic quidem pristinæ cupiditatis infamia caruit. Alexandrini[6] *Cybiosacten* eum vocare perseveraverunt, cogno-

et Colossi refectorem fuisse nego. Ita enim scripsisset auctor *eumdemque*. Alias conjecturas vide apud Burmann. et Oudendorp.

2. *Item Colossi;* quem Nero in vestibulo domus Aureæ constituerat; vide Neron. 32. De re nostra Xiphil. LXVI, 15, ubi cf. Reimar.

3. *Sineret, se plebeculam pascere.* Inventio enim machinarum victum eripit operariis, quod multi patriæ etiam nostræ incolæ sunt experti. Al. male addunt *pane*.

XIX. 1. *Marcelliani theatri.* Cf. ad August. 29. *Acroamata* sunt scenici et musici. Vide ad August. 74.

2. *Apollinari tragœdo*, etc. Al. *Apellari*, unde fuere, qui suaderent *Apelli*, ex Calig. 33. Hunc vix credas Vespasiani tempore adhuc placuisse. *Quadringenta*, et mox *ducena* et *centena* legendum esse (confunduntur enim ea in libris) docuit Ernestius, quoniam prius de uno, mox de duobus pluribusque sermo. Conf. Oudendorp.

3. *Terpno Diodoroque citharœdis.* Vide Neron. 20; Xiphil. LXIII, 8 et 20.

4. *Sed et convivabatur assidue;* sæpissime. Conf. Xiphil. LXVI, 10. De *recta* cœna (al. h. l. *recte* vitiose) vide August. 74. De adverbio *dapsile* conf. Perizon. ad Sanctii Min. II, 7, 6.

5. *Apophoreta.* Vide Calig. 55.— *Kalendis Martiis* Matronalia celebrabantur. Cf. Pitisc. ad h. l. Rosin. Ant. Rom. IV, 7, pag. 257.

6. *Alexandrini*, etc. De conviciis eorum in Vespasianum vide Xiphil. LXVI, 8. Plura ibi de dicacitate Ægyptiorum, maxime Alexandrinorum, Reimarus. — *Cybiosacten;* ταριχέμπορον, salsamentarium. Vide Casaub. ad h. l. et ad Strabon. XVII, 1, 11, ubi de rege ejusdem cognominis exponitur. *Turpissimæ*

mine unius e regibus suis turpissimarum sordium. Sed et in funere Favor archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, « quanti funus et pompa constaret? » ut audiit, « sestertio centies, » exclamavit, « Centum sibi sestertia[7] darent, ac se vel in Tiberim projicerent. »

XX. Statura fuit quadrata[1], compactis firmisque membris, vultu veluti nitentis. De quo quidam urbanorum non infacete : siquidem petenti, « ut et in se aliquid diceret : » « Dicam, » inquit, « quum ventrem exonerare desieris. » Valetudine prosperrima usus est, quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces ceteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricaret[2], inediamque unius diei per singulos menses interponeret.

XXI. Ordinem vitæ fere hunc tenuit. In principatu maturius semper, ac de nocte evigilabat[1] : dein perlectis epistolis, officiorumque omnium[2] breviariis, amicos admit-

sordes Nostri, h. e. avaritia, respondent ἀνελευθερία Strabonis. Vide ad Neron. cap. 30.

7. *Centum sibi sestertia;* hoc est, vel centesimam summæ in funus impensæ partem. Miri fuerunt in interpretando h. l. interpretes. Ceterum, quum *centies HS.* in funus impenderent Romani, minus dubitandum cap. 16 de *quadringenties millies*, ubi sermo de totius Reipublicæ necessitate.

XX. 1. *Statura fuit quadrata.* Cels. II, 1, « Corpus habilissimum *quadratum* est, neque gracile, neque obesum, etc. » Inde τετράγωνος Græcis etiam dicitur metaphorice vir, in quo omnia quadrant, h. e. in quo sensuum affectuumque summa est æquabilitas et constantia.

2. *Sibimet ad numerum... defricaret.* Cels. II, 14 : « Neque audiendi sunt, qui *numero* finiunt, quoties aliquis perfricandus sit. Id enim ex viribus hominis colligendum est. Ut si quis perinfirmus est, potest satis esse quinquagies; si robustior, potest ducenties esse faciendum; inter utrumque deinde, prout vires sunt. » — *Sphæristerium* locus erat balinei, ubi variis exercitiis, pilæ maxime lusu, unde nomen, corpus post balneum agitabant. Cf. Plin. Epist. II, 17, 12, et V, 6, 27, « Apodyterio superpositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit. »

XXI. 1. *Evigilabat.* Libri *vigilabat*, sed non audiendi contra loci sententiam. Vide ad August. 78.

2. *Officiorumque omnium ;* h. e.

tebat; ac dum salutabatur, et calciabat ipse sese, et amiciebat: postque decisa, quæcunque obvenissent, negotia, gestationi, et inde quieti vacabat, accubante aliqua pallacarum, quas in locum defunctæ Cænidis plurimas constituerat: a secreto[3] in balineum tricliniumque transibat. Nec ullo tempore facilior, aut indulgentior traditur; eaque momenta domestici ad aliquid petendum magno opere captabant.

XXII. Et super cœnam autem, et semper alias communissimus[1], multa joco transigebat: erat enim dicacitatis plurimæ, et sic scurrilis ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis[2] abstineret. Et tamen nonnulla ejus facetissima exstant: in quibus et hæc. Mestrium Florum Consularem, admonitus ab eo, *plaustra* potius, quam [3]*plostra* dicenda, postero die *Flaurum* salutavit. Expugnatus autem a quadam, quasi amore sui deperiret, quum perdu-

ministrorum (*les officiers du palais*). Aurel. Victor, Epit. 9, « Vigilare (leg. *Evigilare*) de nocte, publicisque actibus absolutis caros admittere, dum salutatur, calceamenta sumens et regium vestitum. Post autem negotiis, quæcumque advenissent, auditis, exerceri vectatione, deinde requiescere; postremo ubi lavisset, remissiore animo convivium curabat. »

3. *A secreto;* a quiete, quam cum pallaca egerat.

XXII. 1. *Communissimus*. Cf. Xiphil. LXVI, 11. Alii *comissimus*, sueta depravatione (vide Claud. 21). Pro *semper alias*, MS. alter *super aleas*, quod placuit Casaubono, et recepit Burmann.

2. *Prætextatis... verbis. Impudica et prætextata verba* junguntur a Macrob. Saturn. II, 1; *pura et honesta verba* opponit *prætextatis* Gell. Noct. Att. IX, 10; et *prætextati mores* dicuntur Juvenal. Sat. II, 170. Absonæ plerorumque de origine dictionis sunt sententiæ. *Prætextata* verba puto esse, qualia sunt *prætextatorum* h. e. puerorum, qui togam virilem nondum induerunt, alieni adhuc a severitate virili.

3. *Plostra*. Nimirum scribebant *plaustra*, *Claudius*, *claustrum*, etc. et pronunciabant *plostra*, *Clodius*, *clostrum*, quod, ut multa alia, e quotidiano vulgarique sermone in Gallicam linguam transiit. Sed illis jam temporibus, ut nostris, fuisse videmus, qui disputarent, scripturamne sermo, an sermonem scriptura sequi deberet. Inde in libris quoque in scribendis his vocabulis diversitas. Risit putidum talem hominem Vespasianus.

ctæ[4] pro concubitu sestertia quadringenta donasset; admonente dispensatore, quemadmodum summam rationibus vellet inferri; « Vespasiano, » inquit, « adamato. »

XXIII. Utebatur et versibus Græcis tempestive satis, ut de quodam proceræ staturæ, improbiusque nato[1]:

Μακρὰ βιβάς[2], κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος·

et de Cerulo liberto[3], qui dives admodum ob subterfugien-

4. *Perductæ;* ad stuprum, ut Tiber. 45. Al. *productæ*. Casaub. et Burmann. legi voluerunt *perducta*, ut femina Vespasiano illam pecuniam dederit quasi *μίσθωμα τῆς συνουσίας*, quod sano sensui non minus, quam legitimæ verborum structuræ repugnare, satis disputarunt Dukerus, Ernest. in Excursu, et Oudendorp. Mox *quadringenta* cum Oudendorp. edidimus e Memm. aliisque pro *quadraginta*, et *inferri* pro *referri*, jubente Codd. auctoritate sermonisque Latini ratione. Verba denique *Vespasiano adamato*, in quibus pariter hallucinatur Burmannus, non dativos esse puto cum viris doctis, quos supra laudavi, sed ablativos, Gr. Οὐεσπασιανοῦ ἐρασθέντος, scil. summa hæc expensa est.

XXIII. 1. *Improbiusque nato;* h. e. cui *natura* (sensu obscœno) improba sive magna erat. Hic sensus unice verus. Vide Volf. Vanæ autem sunt emendationes *irato*, *pedato*, *vasato*, *mutoniato*, *nasato*.

2. *Μακρὰ βιβάς*, etc. Versus Homeri, Iliad. VII, 213, de Ajace.

3. *Et de Cerulo liberto*, etc. Corrigit Ernest. *libertino*, quoniam non credibile videatur, Vespasiani libertum fuisse Cerulum. Walther. Observ. pag. 30, totum discrimen, quod statuunt inter *libertinum* et *libertum* respectu domini, acute quidem impugnat, ita tamen, ut usum dicendi, a scriptoribus alias accuratissime observatum, evertisse disputatione non videatur. Ego quidem Vespasiani libertum fuisse persuasum mihi habeo, cujus defuncti bona ex parte ad fiscum Vespasiani redibant, ut patroni. Nam quod Ernest. objicit, nullum ibi jus fisci fuisse, quum pecunia ea ad Vespasianum ut patronum, non ut Imperatorem, pervenisset, id in argutatione de *fisci* significatione versatur, ad quem pertinuisse credo, quæ privato etiam nomine Princeps accipiebat. Jam quum Cerulus ingenuum se tulisset (vera enim lectio est *ferre*, non aliorum *efferre*), Lachetis sumto nomine, Vespasianus, mortui bona, ut liberti Ceruli, quamvis Laches vivus fuisset, ad se perventura, artemque illam parum profuturam homini dicebat, accommodato versu Menandri (Collect. Clerici, pag. 248), ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ, ita ut Lachetis Cerulique nomina adderet. Ipsa joci festivitas et comitas, propiorem cum Principe consuetudinem Cerulo fuisse, in alieno liberto vix credibilem, satis ostendit.

dum quandoque jus fisci, ingenuum se et Lachetem mutato nomine cœperat ferre, ὦ Λάχης, Λάχης, ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξαρχῆς ἔσῃ Κήρυλος. Maxime tamen dicacitatem affectabat in deformibus lucris, ut invidiam aliqua cavillatione dilueret, transferretque ad sales. Quendam e caris ministris, dispensationem[4] cuidam, quasi fratri, petentem quum distulisset, ipsum candidatum ad se vocavit; exactaque pecunia, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinavit. Interpellanti mox ministro, « Alium tibi, » ait, « quære fratrem : hic, quem tuum putas, meus est. » Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calciandas mulas desiluisse, ut adeunti litigatori spatium moramque præberet, interrogavit, « Quanti calciasset? » pactusque est lucri partem. Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal[5] commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans, « num odore offenderetur; » et illo negante, « Atqui, » inquit, « e lotio est. » Nunciantes legatos[6], « decretam ei publice non

4. *Dispensationem*; h. e. dispensatoris munus. *Ordinavit*, fecit, instituit dispensatorem.

5. *Quod etiam urinæ vectigal*, etc. Conf. Xiphil. LXVI, 14. An fullones urina illa usi fuerint, an certum vectigal datum iis, qui in amphoris publice collocatis vesicam exonerare vellent, incertum. Vide Casaub. ad h. l. et Reimar. ad Xiphil.

6. *Nunciantes legatos*, etc. Ita Codd. antiqui omnes. Al. *Nunciantibus legatis*, qui non dativi essent, jungendi verbo *jussit*, sed ablativi absoluti, more Græco præmissi. Post *jussit*, al. *ut* pro *vel*, quod, nisi meliores libri ex usu Suetonii exhiberent *vel*, non improbandum esset, quum optimorum scriptorum exemplis ea constructio defendatur. Cf. Ernest. ad Tacit. Annal. XI, 32, « *jussitque, ut* Britannicus et Octavia in complexum patris *pergerent*; » Drakenb. et Duker. ad Liv. XXIII, 21, et XXXII, 16. Noster etiam Tib. 22, « codicillis, quibus, *ut id faceret, jubebatur*. » Atque idem prorsus est, quod h. l. *jussit... ponerent*, omisso *ut*. Violenta enim est crisis Ernestii, qui cum Burmanno sine libris dedit *ponere*, ut vulgaris grammaticæ leges servarentur. Cf. Tacit. Annal. XIII, 15, « ubi *Britannico jussit, exsurgeret*, progressusque in medium, cantum aliquem *inciperet*, » ubi eadem ellipsis particulæ *ut*, et junctus etiam dativus verbo *jubere*, quod tamen Suetonio præter necessitatem inferre nolim, quum Codd. accusativum exhibeant. Alias

mediocris summæ statuam colosseam,» jussit, vel continuo ponerent, cavam manum ostentans, et «paratam basin» dicens. Ac ne in metu quidem ac periculo mortis extremo [7] abstinuit jocis. Nam quum inter cetera prodigia Mausoleum [8] derepente patuisset, et stella crinita in cælo apparuisset: alterum ad Juniam Calvinam [9] e gente Augusti pertinere, dicebat; alterum ad Parthorum [10] regem, qui capillatus esset. Prima quoque morbi accessione, «Væ,» inquit, «puto, Deus fio [11].»

XXIV. Consulatu suo nono [1] tentatus in Campania motiunculis levibus, protinusque Urbe repetita, Cutilias [2] ac Reatina rura, ubi æstivare quotannis solebat, petiit. Hic,

difficultates quærit Oudend. quas ego non moror. De re conf. Xiphilin. LXVI, 14, qui non legatos ad Vespasianum venisse ait, sed ipsos eos, a quibus decreta statua fuerat. Res nihili.

7. *Ac periculo mortis extremo.* Hoc ad caput sequens, ut *metu* ad priora exempla pertinet, proxime narrata, quod monuit jam Oudendorpius.

8. *Mausoleum.* Addunt alii *Cæsarum*, quod omisimus cum Oudend. librorum principum auctoritate. Cf. Xiphil. LXVI, 17.

9. *Ad Juniam Calvinam.* Scribendum cum libris *Juniam*, non *Juliam*. Soror enim erat Junii Silani, cui desponsata Octavia, Claudii Cæsaris filia. Tacit. Annal. XII, 4, «cui (Silano) decora et procax soror, *Junia Calvina*, haud multum ante Vitellii nurus fuerat.» Idem, cap. 8, narrata Silani morte, «Calvina, soror ejus, Italia pulsa est,» ad quem locum eamdem cum nostra esse, statuit etiam Lipsius, quem de *Silanis* vide ad Annal. XIII, 1. Conf. Glandorp. Onomast. pag. 504 seq.

10. *Alterum ad Parthorum regem*, etc. Cf. Xiphil. loc. cit.

11. *Væ.... puto, Deus fio. Va* Memm. aliique. Vulg. *Ut... puto*, etc. Cur Ernestio subfrigidum videatur verbum *puto*, non perspicio. Dixit hoc Vespasianus *prima morbi accessione*, incertus adeo, an ad mortem, vel, ut ipse jocose, ad ἀποθέωσιν res vergeret. Vide Xiphil. l. c. cujus verba haud satis accurate comparavit Ernestius.

XXIV. 1. *Consulatu suo nono*; A. U. 832. Contra Ernestium, damnantem *suo*, comparat Wolfius August. 100 fin. «sexto *suo* consulatu,» et Domit. 3, «in secundo *suo* consulatu,» et est pro addito genitivo nominis. De morbo Vespasiani Xiphil. LXVI, 17.

2. *Cutilias*; urbem Sabinorum, septuagesimo a Reate stadio remotam. Nomen servat lacus proximus, qui hodie *Lago di Contigliano*. Vide Cellar. II, 9, pag. 779; Reimar. ad Xiphil. loc. cit.

quum super urgentem valetudinem creberrimo frigidæ aquæ usu[3] etiam intestina vitiasset, nec eo minus muneribus imperatoriis ex consuetudine fungeretur, ut etiam legationes audiret cubans, alvo repente usque ad defectionem soluta, « Imperatorem, » ait, « stantem mori oportere[4]. » Dumque consurgit, ac nititur, inter manus sublevantium exstinctus est, IX Kalendas Julii, annum gerens[5] ætatis sexagesimum ac nonum, superque mensem ac diem septimum.

XXV. Convenit inter omnes, tam certum eum de sua suorumque genitura semper fuisse, ut post assiduas in se conjurationes ausus sit affirmare Senatui, « aut filios sibi successuros, aut neminem[1]. » Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram in media parte vestibuli Palatinæ domus positam examine æquo; quum in altera lance Claudius et Nero starent, in altera ipse ac filii.

3. *Creberrimo frigidæ aquæ usu.* Plin. H. N. XXXI, 2 : « Cutiliæ in Sabinis *gelidissimæ* suctu quodam corpora invadunt, ut prope morsus videri possit, aptissimæ stomacho, nervis, universo corpori. » Cf. Vitruv. VIII, 3.

4. *Imperatorem... stantem mori oportere.* Cf. Xiphil. l. c. Aurel. Victor, Epit. 9, « Deinde ventris eluvie fessus, et assurgens, Stantem, ait, Imperatorem excedere terris decet. »

5. *Annum gerens.* Al. *agens,* quod Ernest. recepit cum aliis. Servavimus illud cum Burm. et Oudend. quos vide, ut rarius, et quod sequentia *superque* (hoc est, et insuper) *mensem ac diem septimum* verbo *agens* minus conveniunt. *Agebat* enim annum *septuagesimum*, natus die 17 Novembr. ann. 762 (vide cap. 2), mortuus die 23 Jun. ann. 832. Quod enim Eutrop. VII, 13, « annum ætatis *agens sexagesimum nonum*, » et Aurel. Victor. Epit. 9, « annum *agens* vitæ *absque uno septuagesimum*, » id ob futilitatem horum scriptorum nullamque in computandis annis diligentiam non curandum. Xiphil. l. c. nonum ac sexagesimum annum dicit, *cum mensibus octo*. Zonaras octo mensibus dies etiam octo per errorem addit. Conf. Oudendorp. et Reimar. suis locis.

XXV. 1. *Aut filios... aut neminem.* Eutrop. l. c. « Genituram filiorum ita cognitam habuit, ut, quum multæ contra eum conjurationes fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contemsit, in Senatu dixerit, *aut filios sibi successuros, aut neminem.* » Conf. quæ Vespa-

Nec res fefellit: quando totidem annis, parique temporis spatio utrique imperaverunt [2].

sianus apud Xiphil. LXVI, 12, quum Helvidius Priscus ob crebra in ipsum convicia a Tribunis pleb. captus lictoribusque traditus esset.

2. *Quando... utrique imperaverunt.* Nempe Claudius et Nero annos *viginti septem*, et quod excurrit, imperaverant (vide Claud. 45, et Neron. 40); Vespasianus *decem* (Xiphil. l. c. *annos decem, demtis septem diebus*, inito nempe calculo a Kalend. Jul. ann. 822; vide supra, cap. 6), Titus *duo*, Domitianus *quindecim* (Cf. Domit. 17), quibus computatis par temporis spatium efficitur.

TITUS.



TITUS.



Laguiche del.t et direx.t *Sixdeniers sculp.t*

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

fuit. Gell. N. A. I, 22: « Qui integre locuti sunt, magnam partem (h. e. plerumque, τὸ πλεῖστον) *superesse* ita dixerunt, ut eo verbo

... ad hunc locum; Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV, 6; Donat. de Urbe Rom. III, 13.

II. 1. *Educatus in aula*, etc. Ipse



Laguiche del.t et direx.t *Sixdeniers sculp.t*

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE, par N.E. LEMAIRE.

C. SUETONII TRANQUILLI

TITUS

FLAVIUS VESPASIANUS.

I. Titus, cognomine paterno [1], amor ac deliciæ generis humani (tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunæ superfuit [2], et, quod difficillimum est, in imperio, quando privatus, atque etiam sub patre Principe, ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit), natus est tertio Kalendas Januarias [3], insigni anno Caiana nece, prope [4] Septizonium, sordidis ædibus, cubiculo vero perparvo et obscuro: nam manet adhuc et ostenditur.

II. Educatus in aula [1] cum Britannico simul, ac pa-

I. 1. *Cognomine paterno.* Frater enim a matre Domitilla cognomen duxit. Eutrop. VII, 14: « Hinc Titus filius successit, *qui et ipse Vespasianus est dictus*, vir omnium virtutum genere mirabilis adeo, ut amor et deliciæ humani generis diceretur. »

2. *Tantum illi.... superfuit;* non simpliciter *adfuit*, sed *abunde adfuit.* Gell. N. A. I, 22: « Qui integre locuti sunt, magnam partem (h. e. plerumque, τὸ πλεῖστον) *superesse* ita dixerunt, ut eo verbo significarent *superfluere et supervacare atque esse supra necessarium modum.* »

3. *Tertio Kalendas Januarias.* Alii *IV Kalend.* Annus fuit 794. Vide Calig. cap. 59.

4. *Prope Septizonium;* quod non confundendum cum magnifico monumento Septimii Severi, cui idem a figura nomen. Conf. Ernest. ad hunc locum; Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV, 6; Donat. de Urbe Rom. III, 13.

II. 1. *Educatus in aula*, etc. Ipse

ribus disciplinis, et apud eosdem magistros institutus. Quo quidem tempore, aiunt, metoposcopum[2], a Narcisso, Claudii liberto, adhibitum, ut Britannicum inspiceret, constantissime affirmasse, illum quidem nullo modo, ceterum Titum, qui tunc prope adstabat, utique imperaturum. Erant autem adeo familiares, ut de potione, qua Britannicus hausta periit, Titus quoque juxta [3] cubans gustasse credatur, gravique morbo afflictatus [4] diu. Quorum omnium mox memor, statuam ei auream in Palatio posuit, et alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa hodieque præfertur, dedicavit, prosecutusque est.

III. In puero statim corporis animique dotes exsplenduerunt, magisque ac magis deinceps per ætatis gradus: forma egregia, et cui non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ, quamquam neque procera statura, et ventre paulo projectiore; præcipuum robur [1], memoria sin-

apud Racine, *Bérénice*, act. II, scen. 2:

Ma jeunesse, nourrie à la cour de Néron,
S'égarait, cher Paulin, par l'exemple abusée,
Et suivait du plaisir la pente trop aisée.

Invidiam sibi Titum contraxisse per libidines, narrat Sueton. c. 7.

2. *Metoposcopum*. Plin. Hist. Nat. XXXV, 10 (9, § 14), « quemdam ex facie hominum addivinantem, quos *metoposcopos* vocant. » Tacit. Hist. II, 1, « Augebat famam ipsius Titi ingenium, quantæcumque fortunæ capax, *decor oris cum quadam majestate*, prosperæ Vespasiani res, *præsaga responsa*, et, inclinatis ad credendum animis, loco ominum erant fortuita. »

3. *Titus... juxta cubans*. Impugnant Suetonium, quoniam Tacit. Annal. XIII, 16, « Mos habebatur, Principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus *sedentes* vesci, in adspectu propinquorum, propria et parciore mensa. » Verum haud dubie viderunt, qui proprio Romanorum de cœna vocabulo usum Suetonium dicunt, morem, quem accuratius Tacitus exponit, in narratione haud curantem.

4. *Afflictatus*. Al. *afflictus*. Argutatur Oudendorp. dum excidisse verbum *sit* vel simile existimat. *Credebatur* Titus morbum, quo afflictatum omnes sciebant, ex veneno contraxisse.

III. 1. *Præcipuum robur*. Transposuerunt hæc vocab. Ernest. et Oudend. post *projectiore*, scilicet, ut exilitatem corporis et obesitatem neque auctoritati, neque gratiæ offecisse, auctor dicat. Cum Wolfio, sine libris hoc faciendum nego, quum *præcipuum robur* æque

gularis, docilitas[2] ad omnes fere tum belli, tum pacis artes. Armorum et equitandi peritissimus[3]: Latine Græceque vel in orando, vel in fingendis poematibus, promtus[4] et facilis, ad extemporalitatem usque[5]: sed ne musicæ quidem rudis, ut qui cantaret et psalleret[6] jucunde scienterque. E pluribus comperi, notis quoque excipere velocissime solitum, cum amanuensibus suis per ludum jocumque certantem, imitarique[7] chirographa, quæcunque vidisset, ac sæpe profiteri, « se maximum falsarium esse potuisse. »

IV. Tribunus militum et in Germania[1] et in Britannia meruit, summa industriæ, nec minore modestiæ[2] fama;

impediatur tali corporis forma. Præterea offendit *præcip. robur* ita ante *memoriam* positum, quum de animi dotibus inde dicere incipiat, postquam de corpore exposuit usque ad *projectiore*.

2. *Docilitas;* celeritas in discendo; Gall. *facilité*.

3. *Armorum et equitandi peritissimus;* ut Cæsar. Conf. Cæsar. cap. 57.

4. *Latine Græceque.... promtus*, etc. Ita e Memm. aliisque Ernest. et Oudend. ediderunt. Vulg. *Latinæ Græcæque linguæ*, pro quo Burmann. recepit Lipsii emendationem *Latina Græcaque lingua*. Vide Oudend. cum quo adverbia ad *vel in orando*, etc. referenda potius puto, quam ad *promtus*. Constructio enim verborum prorsus est Græca.

5. *Ad extemporalitatem usque*. *Extemporalis facultas* dicitur August. 84. Omisere hæc verba, ut Oudend. vere monet, quos offendit vox singularis *extemporalitas*.

6. *Ut qui cantaret et psalleret*, etc. *Psallere* est ad instrumentum canere. Hic locus facit, ut apud Sallustium etiam, Catil. 25, legendum existimem, *psallere et cantare, saltare el.* etc. ubi *cantare* in nonnullis libris comparet, pro glossa ejectum etiam a Cortio, quem ad illum locum vide.

7. *Imitarique*, etc. Qui non viderunt, *imitarique* et *profiteri* pendere adhuc a *solitum*, dederunt *certantem imitari*.

IV. 1. *Et in Germania*. Mucianus in oratione ad Vespasianum apud Tacit. Hist. II, 77, « Tuæ domui triumphale nomen, duo juvenes, capax jam imperii alter, et primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. »

2. *Summa industriæ, nec minore modestiæ fama*. Ita dedimus cum Ernest. et Oudendorp. pro vulg. « summa *industria*, nec minore *modestia et* fama, » quum genitivum *industriæ* plures Codd. exhibeant, atque inde jure colligatur, librariorum lapsu *modestia et fama* ortum ex *modestiæ fama*, quod facillime accidere potuit, quum verba sin-

sicut apparet et statuarum et imaginum ejus multitudine[3], ac titulis per utramque provinciam. Post stipendia Foro operam dedit, honestam magis, quam assiduam: eodemque tempore Arricidiam Tertullam[4], patre Equite Romano, sed Præfecto quondam prætorianarum cohortium, duxit uxorem: et in defunctæ locum Marciam Furnillam[5] splendidi generis; cum qua, sublata filia[6], divortium fecit. Ex quæsturæ deinde honore legioni præpositus[7], Tarichæas[8] et Gamalam, urbes Judææ validissimas, in potestatem redegit; equo quadam acie sub fe-

gula in scribendo parum disjungerentur, diphthongus *æ* plerumque per *e*, et copula *et* per compendium exprimeretur. Ceterum, quod *famam* simpliciter ita dici negant, qui vulgatam impugnant, id refutavit, in tuenda illa alias morosior, Walther. Observ. pag. 31, exemplo Taciti, Annal. XIV, 47, « Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate, constantia, *fama*, in quantum, præumbrante Imperatoris fastigio, datur, clarus. » *Industria* autem est in administranda re militari (Cornel. Nep. Agesil. 3, « *magna industria* bellum apparavit, » unde Cæs. Bell. Gall. VII, 60, « ut ea, quæ imperasset, diligenter *industrieque* administrarent; » conf. Bell. Civ. III, 95), Gr. *προθυμία* et *προθύμως*; *modestia* in tractandis provincialibus, Gr. *ἐγκράτεια*, eamque opponi avaritiæ, rapacitati et insolentiæ, recte notavit Ernest. ad h. l.

3. *Et imaginum... multitudine*. *Imagines* quum jungantur *statuis*, cur de clypeis intelligas cum Ernestio, neque sensu proprio, non video. Conf. Oudend. ad Vespas. 1. — *Tituli* sunt inscriptiones operum, in memoriam Titi per provinciam constitutorum.

4. *Arricidiam Tertullam*, etc. Al. *Tertullo*. Præfecturam prætorii summam fuisse equestris gradus, vidimus ad Galb. 14.

5. *Et... Marciam Furnillam*; vel *Furvillam*. Al. *Fulviam* vel *Fulvillam*, ut *Livia* et *Livilla* promiscue dicuntur. Favere huic lectioni videtur numus, quem exhibet Patinus, Tab. 31, in quo Φουλβια Σεβαστη, referens non conjugis Titi, sed filiæ imaginem, si genuinus est, de quo tamen dubitant periti ejus rei judices. Vide quæ Ernest. ad h. l. de Christii sententia. Secutus igitur sum reliquos editores.

6. *Filia*; de qua vide ad Domit. cap. 22.

7. *Legioni præpositus*. Cf. Ernest. ad Tacit. Hist. I, 82, ubi docet eumdem esse cum *Præfecto* vel *Legato legionis*.

8. *Tarichæas*, etc. Vulg. *Trachias*, *Thraciam*, *Thracias*, et quæ aliæ sunt corruptelæ. Cf. omnino Joseph. Bell. Jud. III, 10, qui et ipse de urbe *Gamala*, IV, 1.

minibus amisso, alteroque inscenso, cujus rector circa se[9] dimicans occubuerat.

V. Galba mox tenente Rempublicam, missus ad gratulandum[1], quaqua iret, convertit homines, quasi adoptionis gratia arcesseretur. Sed ubi turbari rursus cuncta sensit[2], rediit ex itinere[3]: aditoque Paphiæ Veneris oraculo[4], dum de navigatione consulit, etiam de imperii spe confirmatus est. Cujus brevi compos[5], et ad perdomandam Judæam relictus[6], novissima Hierosolymorum oppugnatione, XII propugnatores[7] totidem sagittarum confecit

9. *Circa se.* Hoc recepit Oudend. e Memmiano, pro *contra se.* Puto tamen, quum de uno sermo sit, esse debuisse *juxta se.* Nescio igitur, an verius *contra se.*

V. 1. *Missus ad gratulandum*, etc. Tacit. Hist. II, 1, « Titus Vespasianus e Judæa, incolumi adhuc Galba, missus a patre, causam profectionis officium erga Principem et maturam petendis honoribus juventam ferebat. Sed vulgus fingendi avidum disperserat, accitum in adoptionem. » Cf. Joseph. B. J. IV, 9, 2; Xiphil. LXV, 8.

2. *Sed ubi turbari.... cuncta sensit*, etc. Tacit. l. c. « Corinthi, Achaiæ urbe, certos nuncios accepit de interitu Galbæ, et aderant, qui arma Vitellii bellumque affirmarent. »

3. *Rediit ex itinere.* Cf. Joseph. l. c. Tacit. II, 2 : « Igitur oram Achaiæ et Asiæ, ac læva maris prævectus, Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam, audentioribus spatiis petebat. »

4. *Aditoque Paphiæ Veneris oraculo*, etc. Tacit. « Atque illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiæ Veneris, inclitum per indigenas advenasque. » Cap. 4 : « Titus, spectata opulentia donisque regum, quæque alia lætum antiquitatibus Græcorum genus incertæ vetustati affingit, *de navigatione primum consuluit.* Postquam *pandi viam et mare prosperum* accepit, *de se per ambages interrogat*, cæsis compluribus hostiis. Sostratus (sacerdotis id nomen erat) ubi læta et congruentia exta, magnisque consultis annuere Deam, videt, pauca in præsens et solita respondens, petito secreto, futura aperit. Titus, aucto animo, ad patrem pervectus, suspensis provinciarum et exercituum mentibus, ingens rerum fiducia accessit. »

5. *Cujus brevi compos; non imperii*, sed *spei*, evecto ad imperium patre. Vanas Ernestius movet dubitationes.

6. *Et ad perdomandam Judæam relictus.* Cf. Joseph. IV, 11, 5. Tacit. Hist. II, 82, « Titum *instare Judææ*, Vespasianum obtinere claustra Ægypti placuit. »

7. *XII propugnatores*, etc. Cf. Joseph. V, 6, 6; Eutrop. VII, 14.

ictibus; cepitque eam natali filiæ suæ[8], tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione Imperatorem eum consalutaverint[9], et subinde decedentem provincia detinuerint, suppliciter, nec non et minaciter efflagitantes, « aut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret. » Unde nata suspicio est, quasi desciscere a patre, Orientisque regnum sibi vindicare tentasset. Quam suspicionem auxit, postquam Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim bove Api[10] diadema gestavit: de more quidem rituque priscæ religionis; sed non deerant, qui secus interpretarentur. Quare festinans in Italiam, quum Rhegium, dein Puteolos. oneraria nave appulisset, Romam inde contendit expeditissimus[3] inopinantique patri, velut arguens rumorum de se temeritatem, « [11]Veni, » inquit, « pater, veni. »

VI. Neque ex eo destitit, participem atque etiam tutorem imperii agere. Triumphavit cum patre[1], censuramque gessit una[2]. Eidem collega et in tribunicia potestate,

8. *Natali filiæ suæ*. De die, quo Hierosolyma capta sunt, locupletissimus Reimar. ad Xiphil. LXVI, 7. — Pro *eam*, scil. urbem Hierosolymitanam (per synesin), Cod. alter *ea*, ex correctione sine dubio.

9. *Ut... Imperatorem eum consalutaverint;* sensu nempe antiquo ob victoriam reportatam, ubi *Imperator* cognominis loco addebatur, non præponebatur, ut in Principibus. Cf. ad Cæs. 76. Nunquam vivo patre sensu augustiori hoc nomen Titum tulisse, contra Pagium (Crit. Baron. ad ann. Chr. 71) docet Reimar. ad Xiphil. LXVI, 1. Conf. Joseph. VI, 6, 1.

10. *Api*. Al. *Apide*. Sed *Apin* Noster etiam August. 93.

11. *Veni*. Grævius suadebat *Venio*, quod non merebat notam *male* ab Ernestio et Oudendorpio, quum constet, Græcos etiam ἥκειν semper dicere pro ἐλθεῖν. Sine libris tamen nihil mutandum.

VI. 1. *Triumphavit cum patre*. Vide ad Vespas. cap. 8. Oros. VII, 9: « Pulchrum et ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui a conditione Urbis usque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit, patrem et filium uno triumphali curru vectos, gloriosissimam ab his, qui patrem et filium offenderant, victoriam reportasse. »

2. *Censuramque gessit una*. Cf. Vespas. 8. Plin. in Præfat. Hist. Nat. ad Titum, « Triumphalis et Censorius tu, sexiesque Consul, ac

et in septem consulatibus [3] fuit. Receptaque ad se prope omnium officiorum cura, quum patris nomine et epistolas ipse dictaret, et edicta conscriberet, orationesque in Senatu recitaret [4] etiam Quæstoris vice, præfecturam quoque prætorii suscepit, nunquam ad id tempus, nisi ab Equite Romano administratam [5]; egitque aliquanto incivilius et violentius [6]. Siquidem suspectissimum quemque sibi, summissis, qui per theatra et castra quasi consensu ad pœnam deposcerent [7], haud cunctanter oppressit. In his A. Cæcinam [8] consularem virum, vocatum ad cœnam,

tribuniciæ potestatis particeps; » ubi vide Harduin.

3. *In septem consulatibus;* ann. 823 et 825; mox quadriennio continuo, ab ann. 827 usque ad 830; septimum, ann. 832.

4. *Orationesque... recitaret,* etc. Conf. Xiphil. LXVI, 10. De hoc *Quæstorum* sub Imperatoribus officio, dictum ad August. 65.

5. *Nisi ab Equite Romano administratam.* Plin. l. c. « et quod his nobilius fecisti, dum illud patri pariter, et equestri ordini præstas, Præfectus Prætorio ejus. » *Administratam* autem esse *administrari solitam*, neque accusandum erroris vel oblivionis Suetonium cum Lipsio ad Tacit. Annal. IV, 40, et Hist. IV, 68, quoniam Sejanus, Præfectus Prætorio, præturam et consulatum adeptus, in Senatum venerit, Clemens Arretinus Prætorianis præpositus fuerit, *quamquam Senatorii ordinis,* jure inde contendunt Ernest. et Oudendorpius, quod Sejanus serius demum Senator factus est, præfecturam Prætorii Eques adhuc acceperat, in Clemente per turbas militares licentius actum est a Muciano. Cf. Guther. de Offic. Dom. August. II, 4.

6. *Incivilius et violentius*; quod tamen necessarium fere fuit, turbida adhuc post bellum civile republica, et assiduis in patrem conjurationibus. Vide Vespas. 25. Id fatetur mox ipse Suetonius verbis, *Quibus rebus... cavit.*

7. *Summissis, qui... ad pœnam deposcerent*, etc. Aurel. Victor, Epit. 10, « immissis, qui per theatra et castra *invidiosa jactantes* ad pœnam poscerent, *quasi criminis convictos* oppressit. » Nimirum pauci summissi a Tito, qui illorum pœnam poscerent, eorumque emtæ voces pro *consensu* totius multitudinis habitæ. Tales artes nostris temporibus quotidie adhibitas vidimus.

8. *In his A. Cæcinam;* Vitellii ducem, qui ad Flavianum exercitum desciverat. Cf. Tacit. III, 13 et 31. De nomine ejus *Allieno*, quod hoc etiam loco sunt, qui ei asserant, vide interpr. ad Tacit. Hist. I, 52, et Reimar. ad Xiphil. LXV, 10. De morte ejusdem cf. Xiphilin. LXVI, 16. Discedit in hoc

ac vixdum triclinio egressum, confodi jussit: sane urgente discrimine, quum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites concionis[9] deprehendisset. Quibus rebus sicut in posterum securitati satis cavit, ita ad præsens plurimum contraxit invidiæ: ut non temere quis tam adverso rumore, magisque invitis omnibus, transierit ad principatum.

VII. Præter sævitiam suspecta in eo etiam luxuria erat, quod ad mediam noctem comissationes cum profusissimo quoque familiarium extenderet. Nec minus libido, propter exoletorum et spadonum greges[1], propterque insignem reginæ Berenices amorem[2], cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Suspecta et rapacitas; quod constabat, in cognitionibus patris[3] nundinari præmiarique soli-

Aurel. Vict. l. c. qui: « Cæcinam consularem adhibitum cœnæ, vix dum triclinio egressum, *ob suspicionem stupratæ Berenices uxoris suæ*, jugulari jussit. »

9. *Concionis*. Ita pro vulg. *conjurationis* e Codd. rescribendum censuerant Guiet., Casaub., Perizonius, Dukerus, et rescripserunt Ernest. et Oudendorp. Vide etiam Ernest. ad Tacit. Hist. II, 79.

VII. 1. *Et spadonum greges*. Cf. Xiphil. LXVII, 2, et vide ad Domitian. cap. 7.

2. *Propterque... Berenices amorem*. Tacit. Hist. II, 2: « Fuere, qui accensum desiderio Berenices reginæ vertisse iter crederent. Neque abhorrebat a Berenice juvenilis animus; sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum: lætam voluptatibus adolescentiam egit, suo quam patris imperio moderatior. » Cf. Xiphilin. LXVI, 15. De famosa hac femina vide Joseph. Ant. XVIII, 5, 4; XIX, 5, 1; XX, 7, 3. Plura dedit Reimarus ad Xiphil. loc. cit.

3. *In cognitionibus patris*. Vulg. *in concionibus patriis*. Ita vicissim Tacit. Hist. II, 79, vulg. *non parata cognitione* pro *concione*. Cod. alter, *in negotiationibus patris*, quæ correctio esse videtur, inepte inducta ex Vespas. 16, ubi de *negotiationibus* Vespasiani sermo, quibus convenire videbatur verbum *nundinari*, h. l. de vendita justitia usurpatum. Non tacenda autem conjectura, quam singulari de h. l. libello protulit Boden. Suadet ille *cocionibus*. *Cociones* sunt Gr. *κάπηλοι*, *μεταβόλοι*, *ἀγοραῖοι*, et *cociatura μεταβλητική*, ut adeo *cociones patrii*, inter quos Titus negotia sua exercuerit, ii fuerint, quos Vespasianus subornaverat ad res venales undique comparandas, unde majores postea quæstus facerent. Verum nimis quæsita videtur

tum. Denique propalam alium Neronem et opinabantur, et prædicabant. At illi ea fama pro bono cessit, conversaque est in maximas laudes, neque vitio ullo reperto, et contra virtutibus summis. Convivia instituit jucunda magis, quam profusa. Amicos[4] elegit, quibus etiam post eum Principes, ut et sibi et Reipublicæ necessariis, acquieverunt, præcipueque sunt usi. Berenicen statim ab Urbe dimisit, invitus invitam[5]. Quosdam e gratissimis delicatorum, quamquam tam artifices saltationis, ut mox scenam tenuerint, non modo fovere prolixius, sed spectare omnino in publico cœtu[6] supersedit. Nulli civium quid-

ista correctio. *Præmiari* autem est præmia pacisci, suffragationis nempe apud patrem. *Præmia* omnino de quovis lucro vel præda sæpius dicuntur, unde *præmiatores* nocturni sunt prædones apud Nonium. Cf. Ernest. ad Tacit. Hist. I, 51. Ceterum Cænidi, pellici Vespasiani, idem tribui a Xiphil. LXVI, 14, quod h. l. Tito, notavimus ad Vespas. cap. 16.

4. *Amicos elegit*, etc. quod ipse præclare confirmat apud Racine, *Bérénice*, act. II, sc. 2, ubi Paulinum alloquitur:

Je ne prends point pour juge une cour idolâtre,
Paulin; je me propose un plus ample théâtre;
Et, sans prêter l'oreille à la voix des flatteurs,
Je veux par votre bouche entendre tous les cœurs.
Vous me l'avez promis. Le respect et la crainte
Ferment autour de moi le passage à la plainte:
Pour mieux voir, cher Paulin, et pour entendre mieux,
Je vous ai demandé des oreilles, des yeux;
J'ai mis même à ce prix mon amitié secrète:
J'ai voulu que des cœurs vous fussiez l'interprète;
Qu'au travers des flatteurs votre sincérité
Fît toujours jusqu'à moi passer la vérité.
Parlez donc, etc.

— *Præcipueque sunt usi*. Vulg. *præcipueque sumtam*, vel *sponsam sibi Berenicen*, etc. quæ manifeste sunt corrupta. Verior lectio optimis Codd. confirmatur. Ingenue tamen fateor, totum additamentum ortum mihi videri ex interpretatione verbi *acquieverunt*.

5. *Berenicen... invitus invitam*. Conf. Xiphil. loc. supra cit. Aurel. Victor, Epit. 10, « Denique, ut subiit pondus regium, Berenicen nuptias suas sperantem, regredi domum, et enervatorum greges abire præcepit. » Victoris *enervati* Nostro supra erant *exoleti*, mox *delicati*. Indictum sibi patrio more grave discidium excusat Titus apud Racine, *Bérénice*, act. III, sc. 1, his ad Antiochum versibus:

..... plaignez ma grandeur importune.
Maître de l'univers, je règle sa fortune;
Je puis faire les rois, je puis les déposer:
Cependant de mon cœur je ne puis disposer.
Rome, contre les rois de tout tems soulevée,
Dédaigne une beauté dans la pourpre élevée:
L'éclat du diadème, et cent rois pour aïeux,
Déshonorent ma flamme, et blessent tous les yeux, etc.

6. *Omnino in publico cœtu*. Al.

quam ademit: abstinuit alieno, ut si quis unquam: ac ne concessas quidem ac solitas collationes[7] recepit. Et tamen nemine ante se munificentia minor. Amphitheatro dedicato[8], thermisque juxta celeriter exstructis[9], munus edidit[10] apparatissimum largissimumque. Dedit et navale prælium in veteri naumachia: ibidem et gladiatores: atque uno diè quinque millia omne genus ferarum.

VIII. Natura autem benevolentissimus, quum ex instituto Tiberii omnes dehinc Cæsares beneficia, a superioribus concessa Principibus, aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent, primus præterita omnia uno confirmavit edicto[1]; nec a se peti passus est. In ceteris vero desideriis hominum[2] obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret. Quin et admonentibus domesticis, « quasi plura polliceretur, quam præstare posset: » « Non oportere, » ait, « quemquam a sermone Principis tristem discedere. » Atque etiam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilèm illam, meritoque laudatam

in publico omni cœtu. Fuere etiam, qui abjicere mallent *cœtu*, quod rectius defenditur ab Oudend. et Wolfio. — *Prolixius* non est *amplius* de tempore, sed *liberalius.* — *Supersedit*, omisit, noluit, ut August. cap. 93.

7. *Collationes;* spontaneas pecunias, quales exigebat Caligula, quum sibi filia nata esset. Supra, Calig. cap. 42.

8. *Amphitheatro dedicato;* quod inceperat pater Vespasianus. Conf. ad Vespas. 9, et Xiphil. LXVI, 25, ibi cit., ubi etiam de tempore dictum. Parum accurate Eutrop. VII, 14, « Hic (Titus) Romæ Amphitheatrum *ædificavit.* »

9. *Celeriter exstructis.* Al. *celebriter.* Illud confirmatur loco Martial. de Spectac. 2,

Hic, ubi miramur *velocia munera*, thermas, etc.

10. *Munus edidit*, etc. Conf. Xiphil. loc. cit. qui inter cetera naumachiam quamdam, derepente Amphitheatro immissis aquis, exhibitam fuisse narrat. — *In veteri naumachia;* de qua vide ad Aug. 43, et Neron. 27.

VIII. 1. *Præterita omnia uno confirmavit edicto.* Cf. Xiphil. LXVI, 19. Aurel. Victor, Epit. 10. In superioribus multi male omittunt vocab. *rata.*

2, *Hominum.* Al. *animum*, al. *omnium*, vel etiam *omnium hominum*, quod Casaub. edidit.

vocem edidit: « Amici, diem perdidi[3]. » Populum in primis universum tanta per omnes occasiones comitate tractavit, ut, proposito gladiatorio munere, « non ad suum, sed ad spectantium arbitrium editurum se, » professus sit. Et plane ita fecit. Nam neque negavit quicquam petentibus[4]; et ut, quæ vellent, peterent, ultro adhortatus est. Quin et studium armaturæ Threcum præ se ferens, sæpe cum populo et voce et gestu, ut fautor, cavillatus est[5]; verum majestate[6] salva, nec minus æquitate. Ne quid popularitatis prætermitteret, nonnunquam in thermis suis, admissa plebe, [7]lavit. Quædam sub eo fortuita ac tristia acciderunt: ut conflagratio Vesevi montis[8] in Campania; et incendium

3. *Amici, diem perdidi*. Cf. Eutrop. VII, 14; Aurel. Victor, Epit. 10; et quæ de hoc dicto Casaub. ad locum nost. Titus apud Racine, act. IV, sc. 4:

Où sont ces heureux jours que je fesais attendre?
Quels pleurs ai-je séchés? dans quels yeux satisfaits
Ai-je déja goûté le fruit de mes bienfaits?
L'univers a-t-il vu changer ses destinées?
Sais-je combien le ciel m'a compté de journées?
Et de ce peu de jours, si longtems attendus,
Ah malheureux! combien j'en ai déja perdus!

4. *Nam neque negavit quicquam petentibus*, etc. Idem de Trajani spectaculo Plin. Panegyr. 33: « Impetratum est, quod postulabatur; oblatum, quod non postulabatur. Institit ultro, et, ut concupisceremus, admonuit, ac sic quoque plura inopinata, plura subita. Jam quam libera spectantium studia, quam securus favor! Nemini impietas, ut solebat, objecta, quod odisset gladiatorem; nemo e spectatore spectaculum factus, miseras voluptates unco et ignibus expiavit. »

5. *Sæpe.... cavillatus est;* h. e. cum populo, diversæ factioni favente, jocose altercatus est ut fautor Threcum. Ita Cic. ad Att. II, 1, « Itaque jam *familiariter cum ipso* etiam *cavillor ac jocor.* » In miras conjecturas inciderunt, qui, quod non minus mirandum, sensum loci non ceperunt, in his Ernestius.

6. *Majestate;* dignitate Principis; *æquitate* erga gladiatores eosque, qui illis studebant.

7. *Nonnunquam... admissa plebe, lavit.* Idem de Alexandro Severo Lamprid. cap. 42.

8. *Ut conflagratio Vesevi montis*, etc. Vide Xiphilin. LXVI, 22 seq. qui Βέσβιον ὄρος dicit; Plin. Epist. VI, 16, qua de avunculi exitu exponit; Oros. VII, 9; Vict. Epit. 10. Eversæ sunt per illam conflagrationem urbes Herculaneum et Pompeii (cf. Xiphilin. c. 23). Accidit autem A. U. 832. De die vide Reim. ad l. c. § 135 et 152.

Romæ[9], per triduum, totidemque noctes; item pestilentia[10], quanta non temere alias. In his tot adversis ac talibus, non modo Principis sollicitudinem, sed et parentis affectum unicum[11] præstitit: nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendæ Campaniæ e consularium numero sorte duxit[12]. Bona oppressorum in Vesevo, quorum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum civitatum attribuit. Urbis incendio nihil, nisi sibi, publice perisse testatus[13], cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinavit; præposuitque complures ex equestri ordine, quo quæque maturius peragerentur. Medendæ valetudini, leniendisque morbis, nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omni sacrificiorum remediorumque genere. Inter adversa temporum et delatores mandatoresque[14] erant, ex licentia veteri. Hos assidue in Foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per Amphitheatri arenam, partim

9. *Et incendium Romæ*, etc. A. U. 833. Cf. Xiphilin. c. 24; Aurel. Victor, l. c.

10. *Item pestilentia*, etc. Cineri e Vesuvio ejecto eam tribuit Xiphil. cap. 23. Accidisse eam sub Vespasiano patre, et per multos dies decem millia hominum singulis diebus periisse, auctor Eusebius est in Chronicis.

11. *Affectum unicum*. Lipsium, qui corrigebat *unici*, refutarunt Ernest. et Oudend. similibus: *ingenium unicum*, *scelus unicum*, *unica cura*, *gratia*, *luxuria*, *liberalitas*, *fides*.

12. *Curatores... sorte duxit*. Cf. Xiphilin. cap. 24. *Restituere* nost. loco est Gr. οἰκίζειν vel ἀνοικίζειν.

13. *Nihil, nisi sibi, publice perisse testatus*. Fœde corruptus est locus in libris. Causa fuit in vocab. *publice*, quod male intellectum retulerunt ad *testatus*. *Publice perisse* dicuntur ædificia et ornamenta publica, de quibus vide Xiphil. supra cit., et opponuntur, quæ *privatim*, h. e. hominibus privatis de bonis suis incendio perierant. Illa *sibi* perisse Titus dicebat, quum damnum in se reciperet, non vectigalibus novis et extraordinariis resarciendum curaret.

14. *Mandatoresque;* qui accusatores subornabant et instruebant, et in exsilium homines hac ratione calumnia oppressos pellebant, ut recte Turneb. Advers. XXII, 15. Cf. Callistrat. Digest. XLIX, 14, 2. Vulg. *amandatores*.

subjici [15], ac venire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi [16]. Utque etiam similia quandoque ausuros perpetuo coerceret, vetuit inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi [17], quærive de cujusquam defunctorum statu [18], ultra certos annos.

IX. Pontificatum maximum [1] ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, fidem præstitit: nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi causa non desset; sed « periturum se potius, quam perditurum, » adjurans. Duos patricii generis [2] convictos in affectatione imperii, nihil amplius quam ut desisterent, monuit, docens, « principatum fato

15. *Partim subjici;* scilicet hastæ vel præconi. Vulg. addunt *in servos,* quod Ernestius mutare voluit in *in servis;* Oudendorpius ut glossema delevit, quod omittitur etiam in Memmiano Codice. De verbo *subjicere* vide quæ Duker. ad Flor. II, 6, 48.

16. *Partim in asperrimas insularum avehi.* Vide ad Cæs. 66, et cf. Xiphil. LXVI, 19; Martial. de Spectac. 4.

17. *De eadem re pluribus legibus agi;* h. e. ita, ut accusator, quum una formula excidisset, ad aliam transiret, quæ maxima calumniarum omnisque in reum iniquitatis materia.

18. *De cujusquam... statu;* h. e. ingenuusne ille, an libertinus, an servus fuerit, quod maximi momenti in quæstionibus de hæreditate. Illustrat hunc locum Nervæ edictum, quod Titi esse videtur, a Nerva repetitum, apud Callistrat. Digest. XL, 15, 4: « Primus omnium D. Nerva edicto vetuit, *post quinquennium* (*ultra certos annos* apud Nostrum) mortis cujusque de statu quæri. »

IX. 1. *Pontificatum maximum*, etc. mortuo patre, quo vivo Pontifex tantum fuerat Titus, non Pontifex Maximus. Vide Oudend. Idem docuit, in sequentibus servandum esse *cujusquam*, cui præferunt Burmann. et Ernestius aliorum *cuiquam*, quum dativus alienum sensum inferat.

2. *Duos patricii generis*, etc. Hæc Aurel. Victor, Epit. 10, ita: « Clementiam vero usque eo perduxit, ut amplissimi ordinis duo quum adversus eum conjurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent, monuerit primo; post deductos in spectaculum secum, utrimque assidere jusserit; petitoque ex industria mirmillonum, quorum pugnæ visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri commiserit, quibus perculsis et constantiam mirantibus diceret: Videtisne, potestates fato dari, frustraque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu? »

dari; » si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum: et confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ salvum filium nunciarent. Ceterum ipsos non solum familiari cœnæ adhibuit, sed et insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi ferramenta [3] pugnantium inspicienda porrexit. Dicitur etiam, cognita utriusque genitura, « imminere ambobus periculum, » affirmasse: « verum quandoque, et ab alio [4]: » sicut evenit. Fratrem [5], insidiari sibi non desinentem, sed pæne ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit: sed, ut a primo imperii die, consortem successoremque testari perseveravit; nonnunquam secreto precibus et lacrimis orans, « ut tandem mutuo erga se animo vellet esse. »

X. Inter hæc morte præventus est [1], majore hominum damno, quam suo. Spectaculis absolutis, in quorum fine

3. *Ferramenta*. Dicuntur *ferramenta* de gladiis ac sicis a Cicer. Catil. III, 5, et diserte Aurel. Victor, l. c. de mirmillonum gladio exponit. Recepimus igitur h. l. cum Oudendorp. et Ernest., quos vide, optimis libris annuentibus. Vulg. *ornamenta*, quæ simpliciter de armis ἀμυντηρίοις intelligi posse, viri docti exemplis ideo citatis non probarunt. De verbo enim *ornare*, κοσμεῖν, armisque σκεπαστηρίοις eo nomine insignitis nemo dubitaverit. Ceterum vocabulum *ferramenta* hoc sensu non ita promtum librariis fuisse videtur, ut pro glossa inseruerint.

4. *Verum quandoque, et ab alio*. Vulg. *venturum quandoque;* Cod. alter, *venturum quoque, sed ab alio*. Ernest. suasit *venturumque quandoque*. Omnino si staret *venturum*, legendum esset *sed*, vel *at ab alio*. Sed jure prætulerunt Oudend. et Wolfius *verum*, quod Casaub. restituerat. Causa corruptelæ in *quandoque*, h. e. aliquando, male intellecto fuisse videtur, et in sequente *evenit*.

5. *Fratrem*, etc. Domitianum. Cf. Aurel. Victor, Epit. 10.

X. 1. *Inter hæc morte præventus est*. Conf. Xiphil. LXVI, 26. Alter Victor, Cæs. 10 et 11, *veneno*, a Domitiano accepto; alter, Epit. 10, *febri* interiisse Titum dicit. Conf. Domitian. cap. 2. Plures mortis causas, a diversis auctoribus memoratas, recenset Reimarus ad Xiphilin. loc. cit.

populo coram ubertim fleverat, Sabinos petit aliquanto tristior, quod sacrificanti hostia aufugerat, quodque tempestate serena tonuerat. Deinde ad primam statim mansionem[2] febrim nactus[3], quum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis[4] cælum, multumque conquestus, « eripi sibi vitam immerenti. Neque enim exstare ullum suum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno[5]. » Id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cuiquam facile succurrat. Quidam opinantur, consuetudinem recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuisse, persancte Domitia jurabat: haud negatura, si qua omnino fuisset; immo etiam gloriatura, quod illi promtissimum erat in omnibus probris.

XI. Excessit in eadem, qua pater, villa, Idibus Septembris, post biennium ac menses duos, diesque viginti, quam successerat patri[1], altero et quadragesimo ætatis anno[2]. Quod ut palam factum est, non secus atque in do-

2. *Ad.... mansionem;* μονὴν, locum, ubi pernoctaturus erat. *Manere* enim est *pernoctare*. A vocab. *mansio* descendere videtur Gall. *maison*. Conf. etiam Cellar. Geogr. Ant. pag. 60 seq.

3. *Febrim nactus*. Cornel. Nep. Attic. 21, *nactus est morbum*. Vide Gronov. ad Gell. I, 24, ubi nostrum quoque locum citavit.

4. *Dimotis plagulis;* h. e. velis lecticæ. Al. *pellibus;* Memmianus *pallulis*. Oudend. conjicit *palliolis*, ut *palliolatus* Titus dicatur, ut Claudius, cap. 2.

5. *Excepto duntaxat uno*. Conf. Xiphil. l. c. cujus quidem vel potius Dionis sententiæ accedo, quum Domitianum suo non minus, quam Reipublicæ exitio Titus servasset, *facto* vere *pœnitendo*. Reinesius ad marginem *de Hierosolymorum excisione* cogitavit. Sed nunquam pœnituisset ducem et Principem Romanum, compescuisse gentem insanam et rebellem.

XI. 1. *Post biennium.... quam successerat patri*. Xiphil. ἦρξε δὲ δύο ἔτη, καὶ μῆνας δύο, ἡμέρας τε εἴκοσιν, LXVI, 18 et 26, eaque vera est ratio, quum Vespasianus die 23 Jun. 832, Titus die 13 Septembr. 834, obierit. Ita etiam Victor, Epit. 10, 1. Alter autem Victor, Cæs. 10, *menses fere novem*, et Eutrop. VII, 14, menses *octo* biennio imperii ejus addunt. Vide Reimar. ad Xiphil. LXVI, 18.

2. *Altero et quadragesimo ætatis anno*. Ita etiam Eutrop. l. c. Sed Victor, Cæs. 10, *anno ævi quadragesimo;* alter, Epit. 10, *vixit annos*

mestico luctu mœrentibus publice cunctis, Senatus, prius quam edicto convocaretur[3], ad Curiam concurrit, obseratisque adhuc foribus[4]; deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, laudesque congessit[5], quantas ne vivo quidem unquam atque præsenti.

quadraginta unum. Xiphil. LXVI, 18, imperii tempus modo memoratum accessisse dicit *ἐννέα καὶ τριάκοντα ἔτεσι, καὶ μησὶ πέντε, καὶ ἡμέραις πέντε καὶ εἴκοσι*, quam ætatem haberet, quum capesseret rempublicam; itaque, *altero et quadragesimo vitæ anno* eum obiisse, et ipse significat. Non convenit autem hic numerus cum die natali, a Nostro c. I tradito, quem fuisse vidimus 30 Decembr. ann. 794. Si enim ille verus, de quo non dubitandum, etiam *quadragesimum* annum non implevit, atque ita Victor, qui de Cæsaribus scripsit. Novum igitur incuriæ Suetonii in computandis vitæ annis exemplum cum Reimaro agnosco, idque ipsum, quod proprium hoc videtur scriptori hac in re vitium, prohibet me a conciliandi periculis, qualibus favit ad h. l. Oudendorpius.

3. *Senatus, prius quam... convocaretur*, etc. ut post mortem Germanici. Cf. Tacit. Annal. II, 82.

4. *Obseratisque adhuc foribus*. Hæc, mutata interpunctione, superioribus addidimus, quo pertinent, quum in omnibus editt. interpunctum invenissem post *concurrit*. *Obseratæ* erant *fores*, quoniam *nocte* et ante edictum magistratuum *ad* Curiam concurrerant. Eutrop. l. c. « Senatus, obitu ipsius circa vesperam nunciato, *nocte irrupit in Curiam*, et tantas ei mortuo laudes gratiasque congessit, quantas nec vivo unquam egerat, nec præsenti. Inter Divos relatus est. »

5. *Tantas... gratias egit, laudesque congessit*. Ita Memm. aliique libri, quos laudat Oudend. et favet Eutropius. Al. « gratias egit laudesque, *quantas* congessit ne vivo quidem, etc. » Junguntur quidem per zeugma, quod dicitur, *laudes et gratias agere* (simpliciter enim *laudes agere* nemo dixerit, neque Gronov. ostendit exemplis ad Livium, XXVI, 48, collectis, ut Ernestio videtur), sed major hic librorum auctoritas et concinnitas orationis.

DOMITIANUS.



DOMITIANUS.



BR



Laguiche del.t et direx.t *Sixdeniers sculp.t*

C. SUETONII TRANQUILLI

TITUS FLAVIUS

DOMITIANUS.

I. Domitianus natus est nono Kalendas Novembris, patre Consule designato [1], inituroque mense insequenti honorem, regione urbis sexta, ad Malum Punicum [2], domo, quam postea in templum gentis Flaviæ convertit. Pubertatis ac primæ adolescentiæ tempus, tanta inopia tantaque infamia gessisse fertur [3], ut nullum argenteum vas in usu haberet: satisque constat, Clodium Pollionem prætorium virum, in quem est poema Neronis, quod inscribitur

I. 1. *Patre Consule designato;* A. U. 804, quo Vespasianus consulatum gessit per duos novissimos menses. Vide Vespas. cap. 4.

2. *Ad Malum Punicum;* quod vico nomen vel a malo Punico ibi efficto, quod nostris in urbibus frequentissimum, vel ab arbore tali ibi plantata, quod Latinitas non ferre videtur. Conf. Panciroll. Descript. Urb. Rom. (Thes. Græv. tom. III, pag. 345); Donat. de Urb. Rom. III, 15; Nardin. Rom. Vet. IV, 7.

3. *Pubertatis.... tempus.... gessisse fertur,* etc. Jure defendit Wolf. *gessisse,* ut Vespas. 24 *annum gerens,* contra Casaub. et Ernestium, corrigentes *egisse.* Ita *ætatem gerere cum aliquo* Sulpic. ad Cicer. (ad Div. IV, 5). Mox cum Lips. Burm. et Oudend. malim *constet,* quoniam hoc comma annectitur præmissæ *de inopia et infamia* sententiæ ut *infamiæ* exemplum, ut præcedens *inopiæ.* Sed ita etiam male se excipiunt *fertur... ut satis constet,* quod regessit Wolfius. Utut legeris, oratio claudicat. Muller. conjicit *constaret.*

Luscio[4], chirographum ejus conservasse, et nonnunquam protulisse, noctem sibi pollicentis: nec defuerunt, qui affirmarent, corruptum Domitianum et a Nerva, successore mox suo. Bello Vitelliano confugit in [5]Capitolium cum patruo Sabino, ac parte præsentium copiarum: sed irrumpentibus adversariis, et ardente templo, apud æedituum clam pernoctavit[6]: ac mane Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos vanæ superstitionis[7], quum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno contulisset, ita latuit, ut scrutantibus, qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit. Post victoriam demum progressus, et Cæsar consalutatus[8], honorem præturæ urbanæ[9] cum consulari potestate suscepit titulo tenus:

4. *Luscio.* An *Lusco*, vel, quod Beroaldo etiam in mentem venit, *lusio*, hoc est, ludicrum, παιδιά?

5. *Confugit in Capitolium*, etc. Secundum Tacit. Hist. III, 69, Sabinus liberos suos et Domitianum, fratris filium, concubia nocte in Capitolium accivit.

6. *Apud æedituum clam pernoctavit.* Tacit. II, 74: « Domitianus, prima irruptione apud æedituum occultatus, sollertia liberti, *lineo amictu* turbæ sacricolarum immixtus ignoratusque, apud Cornelium Primum, paternum clientem, juxta Velabrum delituit. Ac potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum Jovi Conservatori, aramque posuit, casusque suos in marmore expressit (ita legendum, quum MS. Bud. *exprexit*, et constructio Græca *ara casus expressa* h. l. non valeat, ob *que* post *casus.*) » De *Isiaci habitu*, hoc est, linteo, vide Torrent. et Ernest. qui laudavit Appian. Bell. Civ. IV, 74. Cf. Othon. 12, « *sacra* etiam *Isidis* sæpe *in lintea religiosaque veste* propalam celebrasse traditur. » Ceterum vide numum, in memoriam hujus rei factum, quem exhibet Patinus, Tab. XXXII, 1, et illustravit dissertatione Obrecht. Argentor. 1675.

7. *Vanæ superstitionis.* Al. *variæ*, quod probavit etiam Turneb Advers. XXII, 16, quum manifestum scripturæ sit vitium. Docta, sed aliena ab historico, est conjectura Gronovii *Phariæ.*

8. *Et Cæsar consalutatus.* Tacit. III, 86, « Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum, et Cæsarem consalutatum, miles frequens, utque erat in armis, in paternos Penates deduxit. »

9. *Honorem præturæ urbanæ*, etc. Tacit. IV, 3, « Ipsi (Vespasiano) consulatus cum Tito filio, prætura Domitiano et consulare imperium decernuntur; » et cap. 39,

nam [10] jurisdictionem ad collegam proximum transtulit. Ceterum omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut jam tum, qualis futurus esset, ostenderet. Ne exsequar singula, contrectatis multorum uxoribus, Domitiam Longinam [11], Ælio Lamiæ nuptam, etiam in matrimonium abduxit : atque uno die super viginti officia urbana aut peregrina [12] distribuit; « mirari se, » Vespasiano dictitante, « quod successorem non et sibi mitteret [13]. »

II. Expeditionem quoque in Galliam [1] Germaniasque, neque necessariam, et dissuadentibus paternis amicis, inchoavit, tantum ut fratri se et operibus et dignatione adæquaret [2]. Ob hæc correptus, quo magis et ætatis et condi-

« Mox, ejurante Frontino, Cæsar Domitianus præturam cepit. Ejus nomen epistolis edictisque præponebatur, vis penes Mucianum erat; nisi quod pleraque Domitianus, instigantibus amicis, aut propria libidine, audebat. » Prætor autem *consulari potestate* (præpositio enim *cum* ab optimis libris omittitur, præter necessitatem restituta ab Ernestio) dicitur ob absentiam Consulum hujus anni (823), patris fratrisque. Cf. Oudend. ad h. l. Quæ Grævius de *Legatis consulari imperio*, vel *consulari potestate* disputat, nescio an minus huc pertineant.

10. *Nam*. Hæc Jac. Gronovii est correctio, a plerisque recepta, pro *quam*. J. Fr. Gronovius conjecit *quum... transtulisset*, correctione nimia eaque non Latina, ut Oudendorp. et Ernestius ostenderunt. Oudend. suadet etiam *quoniam*. Quidni *quum... transtulit* pro *quando*, ut sæpius apud Ciceronem? *Collega proximus* scil. ordine erat Prætor peregrinus, Mucianus.

11. *Domitiam Longinam*, etc. Cf. Xiphil. LXVI, 3, ubi Reim. — *Ælium Lamiam* interemtum Noster narrat, cap. 10.

12. *Officia urbana aut peregrina*, etc. Vide Xiphil. LXVI, 2 (inserta nempe a Reimar. ex Excerpt. Peiresc.).

13. *Mirari se... quod... non et sibi mitteret*. Literis ea ad Domitianum mandavit Vespasianus, secundum Xiphil. loc. cit.

II. 1. *Expeditionem... in Galliam Germaniasque*, etc. cum Muciano, ann. 823 (Tacit. IV, 68); substititque Lugduni, suadente eodem Muciano (Tacit. IV, 85 et 86). Confundit hanc expeditionem Pitiscus cum seriore, de qua Noster cap. 6, et Xiphilin. LXVII, 4, ubi vide Reimar.

2. *Tantum ut fratri se.... adæquaret*. Tacit. IV, 86 : « Unde creditur Domitianus occultis ad Cerialem nunciis fidem ejus tentavisse, an præsenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret. Qua cogitatione, bellum adversus patrem agitaverit, an opes viresque

tionis admoneretur, habitabat cum patre una, sellamque ejus ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur: ac triumphum utriusque Judaicum equo albo [3] comitatus est. In sex consulatibus non nisi unum ordinarium [4] gessit, eumque cedente et suffragante fratre. Simulavit et ipse [5] mire modestiam; inprimisque poeticæ [6] studium, tam insuetum antea sibi, quam postea spretum et abjectum: recitavitque etiam publice. Nec tamen eo secius, quum Vologesus [7] Parthorum rex auxilia adversus Alanos, ducemque alterum ex Vespasiani liberis, depoposcisset, omni ope contendit, ut ipse potissimum mitteretur. Et quia discussa res est, alios Orientis reges, ut idem postularent, donis ac pollicitationibus sollicitare tentavit. Patre defuncto, diu cunctatus, an duplum donativum mi-

adversus fratrem, in incerto fuit: nam Cerialis salubri temperamento elusit, ut vana pueriliter cupientem.»

3. *Equo albo*, etc. Cf. Zonaras, Annal. II, pag. 194.

4. *Non nisi unum ordinarium;* A. U. 826, cum M. Valerio Messalino. De reliquis consulatibus Domitiani Principis infra dicetur ad cap. 13.

5. *Simulavit et ipse*, etc. Hactenus narravit auctor, depressos fuisse a patre hujusque amicis nimios Domitiani spiritus, admonitumque eum ætatis et conditionis. Jam pergit: Non ab aliis modo adactus est ad modestiam h. e. vitam moresque, ætati juvenili et privatæ conditioni congruos, sed *et ipse* proprio consilio mire eam simulavit, ideoque privatas artes, ut poeticam, tractare cœpit. Concidunt igitur conjecturæ Ernestii, cui legendum videtur «Simulavit *inde* modestiam,» aut, «Simulavit *inde* mire modestiam,» et Oudendorpii, qui excidisse putat verbum *et præ se tulit*.

6. *Inprimisque poeticæ studium*. Tac. IV, 86: «Domitianus sperni a senioribus juventam suam cernens, modica quoque et usurpata antea munia imperii omittebat, simplicitatis ac modestiæ imagine, in altitudinem conditus, studiumque literarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum et fratris æmulationi subduceretur, cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.» Cf. Quintil. Inst. X, 1, 91, et Plin. Præf. Hist. Nat. ut poetarum locos taceam, in quibus laudatur Domitiani eruditio.

7. *Quum Vologesus*, etc. De incursione *Alanorum* in Parthiam vide Joseph. Bell. Jud. VII, 7, 4. *Discussam* rem narrat Xiphilin. LXVI, 15. Refert ad ann. 828.

liti offerret[8], nunquam jactare dubitavit, « relictum se participem imperii[9], sed fraudem testamento adhibitam. » Neque cessavit ex eo insidias struere fratri clam palamque : quoad correptum gravi valetudine, prius quam plane efflaret animam, pro mortuo deseri jussit[10] : defunctumque nullo præterquam consecrationis honore[11] dignatus, sæpe etiam carpsit obliquis orationibus et[12] edictis.

III. Inter initia principatus, quotidie secretum sibi horarum[1] sumere solebat, nec quicquam amplius, quam

8. *Offerret.* Ita edidimus cum Oudend. et Ernest. e MSS. pro *donaret.*

9. *Participem imperii.* Vulg. *principem imperii*, quod parùm feliciter defendit Ernest. in Excursu. *Participem*, quod reponendum censuerat Turneb. Advers. V, 10, libris confirmatur. *Princeps imperii* neque Latine dicitur, sed simpliciter *Princeps* (de quo nomine vide Lips. ad Tacit. Annal. I, 1), neque relictum se Principem, jactare poterat Domitianus, quum successorem Titum destinatum, omnes scirent, et ex ipsis honoribus appareret, quos Vespasianus in eum congesserat. Sed *consortium imperii*, quod benignitas Titi ei tribuit (vide Tit. 9), jure et testamento sibi arrogabat. Cf. Oudendorp. ad loc. nost.

10. *Pro mortuo deseri jussit.* Si Græcis auctoribus fides, spirante adhuc Tito, Romam celeriter venit Domitianus, et statim castra Imperatorisque nomen et potentiam occupavit. Nonnulli deficientem Titum in arcam nivis plenam a fratre conjectum scripserunt, ut cui frigus bono foret, ibique exstinctum. Cf. Tit. 10.

11. *Consecrationis honore.* Conf. Xiphil. LXVII, 2. *Inter Divos relatum* Titum, hoc est, *consecratum*, narrat etiam Eutrop. VII, 14. Cf. Plin. Panegyr. cap. 11.

12. *Sæpe etiam carpsit... edictis.* Pluribus exemplis illustrat Xiphil. loc. cit.

III. 1. *Secretum sibi horarum*, etc. Non magis h. l. admittendum puto *horarium*, quam Neron. 37 spatium *horarium*, pro *horarum*. *Horarum* est genitivus quasi Græcus sine articulo, significans *aliquot horarum.* Ita neque audiendi, qui hoc et Neronis loco numeri notam excidisse putant. Ceterum abutuntur etiam nonnulli ad corrigendum Suetonium loco Plinii, Panegyr. cap. 48, « Non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras *semper* secretumque captantem, nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret. » Descriptio oratoris non comparanda cum narratione historici, qui sævum hominem secessu minutaque crudelitate ad majora facinora progredientem et quasi se parantem ostendit. Pro *Inter initia*, al. *vitia* mero vitio exhibent.

muscas captare, ac stilo præacuto configere[2]: ut cuidam interroganti, « essetne quis intus cum Cæsare, » non absurde responsum sit a Vibio Crispo[3]: « ne musca quidem. » Deinde uxorem Domitiam[4], ex qua in secundo suo consulatu[5] filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut Augustam, eandem, Paridis histrionis amore

2. *Nec quicquam amplius, quam muscas... configere.* Delectatum hoc ludibrio tempusque fefellisse etiam ante principatum, auctor Xiphil. LXVI, 9. Cf. Victor, Epit. 11.

3. *A Vibio Crispo;* de quo Quintil. Inst. X, 1, 119, « Vibius Crispus compositus et jucundus, et delectationi natus, privatis tamen causis quam publicis melior. » Cf. Juvenal. Sat. IV, 81; Tacit. Annal. XIV, 28; Hist. II, 10; IV, 41. Vide Reimar. ad Xiphil. LXV, 2.

4. *Deinde uxorem Domitiam,* etc. Cf. Xiphil. LXVII, 3.

5. *In secundo suo consulatu.* Quum numerare soleat Suetonius non *ordinarios* modo consulatus, sed etiam *suffectos* (vide cap. 13), intelligi non potest, nisi primus ordinarius (*secundus* idem, si primum suffectum annumeraris), quem ad cap. 2 gessisse Domitianum vidimus, ann. 826. Jam quum Imperatore jam Domitiano natum hunc filium doceat et epigramma Martialis, VI, 3, et comprobent numi, qui brevi post mortuum consecratumque puerum *Divum Augusti filium* nominant; quum porro omnes libri manifestæ corruptelæ vestigia ferant; ingeniose Oudendorp. ex his vestigiis hanc emendationem composuit: « Deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu *filiam* tulerat, alteroque anno *filium*, ac consalutaverat Augustam, eandem, etc. » Deinde *alteroque anno*, sive vulgaris lectio servetur, sive recipiatur Oudendorpii emendatio, neutiquam esse potest *insequenti* sive *proximo* post secundum consulatum (privatus enim adhuc quomodo *Augustam* uxorem salutare potuit?), sed *altero imperii anno*, id quod elucet ex capitis exordio *Inter initia principatus*, unde neque opus est inserto vocab. *imperii* vel *principatus*, neque Ernestii conjectura *alteroque anno suo*, qua, si vel maxime admittatur, parum ad sensum proficitur. Probat autem eam interpretationem Eusebius, qui diserte in Chronicis, *altero imperii anno a Domitiano uxorem Augustam*, dicit. Ut de constituenda denique lectione loci dicam, *in secundo suo consulatu* tenendum est contra Ernest., ut August. 100, et Vespas. 24; mox otiosum *ut* ante *Augustam* perit Oudend. emendatione, et adhæsisse videtur ex ultima syllaba verbi *consalutaverat;* denique *eandem*, h. e. *eam tamen*, ταύτην οὖν, stare debet ob oppositi cum antecedentibus rationem, neque impugnandum erat a Torrentio Ernestioque. Qui plura cupit de loco vexatissimo, ipsum Oudendorpium adeat et Wolfium, quibus hactenus disputata unice debentur.

deperditam, repudiavit[6]; intraque breve tempus impatiens discidii, quasi efflagitante populo, reduxit. Circa administrationem autem imperii aliquamdiu se varium præstitit, mixturaque æquabili[7] vitiorum atque virtutum: donec virtutes quoque in vitia deflexit: quantum conjectare licet, super ingenii naturam, inopia rapax, metu sævus.

IV. Spectacula assidue magnifica et sumtuosa edidit, non in Amphitheatro modo, verum et in Circo: ubi præter sollemnes bigarum quadrigarumque cursus, prælium etiam duplex, equestre ac pedestre, commisit[1]: at in Amphitheatro navale quoque. Nam venationes gladiatoresque, et noctibus[2] ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas, sed et feminarum[3]. Præterea quæstoriis muneribus[4], quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo[5] postulandi, eaque novissima aulico apparatu induceret. Ac per omne gladiatorum spectaculum ante pedes ei stabat puerulus coccinatus, parvo portentosoque capite[6], cum quo plurimum fabulabatur, nonnunquam serio. Auditus est certe, dum ex eo quærit, « ecquid sciret, cur sibi[7] vi-

6. *Repudiavit.* Paridem etiam occidisse ait Xiphilin. loco supra cit.

7. *Mixturaque æquabili.* Ita Lipsius et Wolfius. Vulg. *mixtura quoque æquabili.* Oudendorpio placuit aliorum *mixtura prope æquabili*, jure improbante Wolfio.

IV. 1. *Prælium etiam... commisit.* Cf. Xiphil. LXVII, 8. De navali prælio in Amphitheatro, vide Tit. cap. 7.

2. *Et noctibus*, etc. Cf. Xiphil. cap. cit. De *lychnuchis*, quibus hoc etiam loco *lychnos* substituerunt, vide ad Cæs. 37.

3. *Sed et feminarum.* Xiphilin. cap. cit. De *feminarum pugnis* vide Lips. ad Tacit. Annal. XV, 32.

4. *Quæstoriis muneribus.* Conf. Claud. cap. 24.

5. *E suo ludo;* gladiatorio, ubi instituebantur gladiatores.

6. *Parvo portentosoque capite.* Hunc ordinem e libris restituit Oudendorp. Vulg. *portentoso parvoque.* Ernestius suadet *pravo*, et intelligit *acutum*, φοξόν.

7. *Cur sibi visum esset.* Ita legendum censuit Turneb. Advers. XXII, 16, et annuunt Codd. Vide Oudendorp. Vulg. « *et quid* sibi visum

sum esset, ordinatione proxima Ægypto præficere Mæcium Rufum. » Edidit navales pugnas pæne justarum classium, effosso et circumstructo juxta Tiberim [8] lacu: atque inter maximos imbres perspectavit [9]. Fecit et ludos seculares [10], computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat. In his, Circensium die, quo facilius centum missus [11] peragerentur, singulos a septenis spatiis ad quina corripuit [12]. Instituit et quinquennale certamen [13] Capitolino

esset. » — *Ordinatio* est electio et constitutio præsidum provinciarum (*la distribution des charges*). Vide Vespas. cap. 23.

8. *Effosso.... lacu.* Xiphil. l. c. *in novo loco* naumachiam exhibitam dicit. Nempe opponit *veteri naumachiæ*, de qua vide Tit. 7.

9. *Atque... perspectavit;* ad finem usque spectare perseveravit. Imbres memorat etiam Xiphilin. et multos ex iis morbum contraxisse dicit, quosdam et mortuos. Prohibuerat enim Domitianus, ne quis secederet, atque etiam excubias ad imum theatri posuerat, ne quis posset exire, ipse autem subinde vestem mutabat.

10. *Fecit et ludos seculares,* etc. Augustus eos fecerat A. U. 737; Claudius, ann. 800 (vide ad August. 31, et Claud. 21); Domitianus edidit, auctore Censorin. cap. 17, quum ipse Consul esset XIV cum L. Minucio Rufo, hoc est, ann. 841. Jam quum post singulos centum et decem annos (Horat. Carm. Sec. vs. 17, *undenos decies per annos*) repeti deberent hi ludi ex instituto Augusti, Domitianus sex annis edere eos maturavit, quod per meram libidinem Principis factum existimant Scaliger, de Emend. Temp. pag. 486, et Græv. ad h. l. Ceterum conferas, quæ de Domitiani etiam ludis secularibus Tacit. Annal. XI, 11, qui Quindecimvirum Prætorumque iis se interfuisse narrat.

11. *Centum missus;* h. e. centum curricula deinceps e carceribus emitterentur ob centum seculi annos, quum viginti quinque missus alias de more essent. Cf. Bulenger. de Circo, cap. 15.

12. *Singulos... corripuit;* ut quinquies tantum singula curricula circum metam agerentur, non septies, quo tempus diei sufficeret ad centum missus. Ita *impensas corripuit* Tiber. cap. 34.

13. *Instituit et quinquennale certamen;* non primus quidem Romæ, quod Nero jam fecerat (vide Neron. 12), sed primus (fortasse ob vitam olim in Capitolio mire servatam) *Jovi Capitolino*, in cujus laudibus Principisque certamina poetarum et oratorum versabantur, unde *Capitolini agones* sive τὰ Καπιτώλια dici cœperunt. Primum horum agonum Domitianum instituisse duodecimo suo et Serv. Cornelii Dolabellæ consulatu (ann. 839),

Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, et aliquanto plurium, quam nunc est, coronarum. Certabant enim et prosa oratione Græce Latineque: ac præter citharœdos chorocitharistæ quoque et psilocitharistæ [14]: in stadio vero cursu etiam virgines [15]. Certamini præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga Græcanica [16], capite gestans coronam auream cum effigie Jovis ac Junonis Minervæque; assidentibus Diali sacerdote, et collegio Fla-

auctor Censorin. cap. 18. Plura, maxime de poeta Statio, in hoc agone devicto, vide apud Burmann. Mox *coronarum*, quod conjecerat Torrent. (ex Neron. cap. 22, *ampliare numerum palmarum*) pro vulg. *coronatorum*, edideratque Casaub., confirmatum Codicibus plurimis, reddidimus cum Ernest. et Oudendorpio.

14. *Et psilocitharistæ;* h. e. ψιλοὶ κιθαρισταί, qui cithara sine voce canerent. Opponuntur κιθαρῳδοῖς, qui vocem citharæ adjungunt. Vide Reimar. ad Xiphil. LXI, 19, et Turneb. Advers. XX, 16, qui lectionem nostram, quæ etiam est MSS. omnium, defendit contra vulg. *psallocitharistæ*. — *Chorocitharistæ* erant, qui voces citharasque ad concentum jungebant, chorus citharistarum.

15. *Cursu etiam virgines.* Ita emendavit locum Lips. ad Tacit. Annal. XIV, 21. Vulg. erat, « in stadio vero cursu etiam *virginis* certamini præsedit, etc. » cui nulla plane medela contigit distinctione, quam Burmannus suasit, « in stadio vero cursu. *Virginis etiam* certamini, etc. » Acquiescendum erat in Lipsii sententia, qua verius nihil esse potest. Confirmat eam Xiphilinus, loco supra cit. Conf. Ernest. et Duker. apud Oudendorp.

16. *Toga Græcanica.* Ita præstantissimi libri, et probaverunt præter plerosque interpr. Suetonii Lips. ad Tacit. XIV, 21, Salmas. ad Tertull. Pall. pag. 126, et Ferrar. de Re Vest. II, 11, qui fere de *chlamyde* interpretantur, ut Nero gessisse dicitur (c. 25) *vestem purpuream, distinctamque stellis aureis chlamydem*. Al. *Germanica*, quod placuit Bimardo ad Murator. Inscript. tom. I, pag. 16, ob triumphum, quem eodem anno Domitianus de Germanis egit. Verum vix credibile videtur, eam Germanorum luxuriam fuisse in vestitu, ut Princeps Romanorum imitatus fuerit in ludis publicis, eademque restat difficultas, quam Ernest. maxime urget in Excursu ad hunc locum, in voc. *toga*, de externo, non Romano habitu usurpato. Occurrit ei Oudendorp. dum *cyclada* intelligit, togam muliebrem, rotundam et talarem, quam togis accenset Servius ad Virgil. Æneid. I, 282. Ego quidem nullo modo hærendum existimo in *togæ* nomine, quum constet, a poetis *togas* feminis etiam atque meretricibus adeo tribui, ut facile dici potuerit de amictu Græco, eoque luxuriæ fere muliebris.

vialium[17], pari habitu: nisi quod illorum coronis inierat et ipsius imago. Celebrabat et in Albano[18] quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio[19] fungerentur, ederentque[20] eximias venationes et scenicos ludos, superque oratorum ac poetarum certamina. Congiarium populo nummorum trecenorum ter dedit: atque inter spectacula muneris largissimum epulum[21]. Septimontiali sacro[22] quidem, Senatui Equitique panariis, plebei sportellis cum obsonio

17. *Et collegio Flavialium;* sacerdotum, quos genti suæ Domitianus simul cum templo constituerat. Vide Stat. Silv. V, 1, 239.

18. *In Albano; in Albano secessu*, ut cap. 19, villa sub monte Albano, ubi degere amabat Domitianus. Xiphil. LXVI, 3, τὸ Ἀλβανὸν ὄρος, et LXVII, 1 et 14, τὸ Ἀλβανὸν simpliciter appellat: vide Reimar. ad LXVI, 3. De *Quinquatribus Minervæ*, conf. idem Xiphil. LXVII, 1, qui, quum Græci Παναθήναια μεγάλα quinto quoque anno, μικρά quotannis celebrarent, majorem Domitiani splendorem fuisse ostendit, quum *quotannis fere* (κατ' ἔτος, ὡς εἰπεῖν) *majorum* magnificentiam exhiberet (μεγάλως ἑώρταζε). Neque enim in eo dissensus est Suetonii et Xiphilini. Nam vere *quotannis* celebrare potuit illud festum, sed non eodem semper sumtu, ut cum *magnis Panathenæis* comparari posset.

19. *Magisterio*. Vide not. ad Calig. cap. 22.

20. *Ederentque*. Ita dedimus Torrentio, Casaubono, Dukero et Oudendorpio obsecuti, qui ad formulam *ludos edere* quasi propriam provocant. Vulg. *redderent*, cui adhæsisse literam Dukerus censet e præcedenti *fungerentur*. Defendit tamen Mullerus (Observ. pag. 18) *redderent*, eo, quod non semel, sed quotannis hi ludi edebantur. Ceterum de his venationibus in Albano vide Juvenal. Sat. IV, 99, et Xiphil. LXVII, 14.

21. *Atque inter spectacula..... epulum*. Cf. Xiphil. LXVII, 4.

22. *Septimontiali sacro*, etc. Vulg. « Septimontiali *sacrorum* quidem *die*. » Sed quum absit *die* a MSS. omnibus, quorum auctoritatem sequi solemus, et glossematis loco additum videatur vocabulo *sacro*, maxime quum sequatur *dieque proximo*, ejiciendum duximus cum aliis. *Sacrorum* serius mutatum ex *sacro*, postquam insertum jam *die*. Eamdem glossam confirmare magis, quam loco mederi videntur conjecturæ Ernestii, « Sept. sacro, *primo* quidem *die*, Sen. etc. » « dieque proximo, etc. » et Oudend. « Sept. sacro, *primoque die*. » Alias emendationes vide apud Burmann. Ceterum, *quidem* positum malim post *Senatui*, ut exprimat Gr. μὲν... δὲ, in disjungendis membris *Senatui Equitique*, et *plebei*. De *sacro Septimontiali*, ob additum Urbi

distributis; initium vescendi primus fecit: dieque proximo omne genus rerum missilia sparsit: et quia pars major intra popularia[23] deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronunciavit.

V. Plurima et amplissima opera[1] incendio absumta restituit: in quis et Capitolium, quod rursus arserat[2]: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. Novam autem excitavit ædem in Capitolio Custodi Jovi[3], et Forum, quod nunc *Nervæ* vocatur[4]: item Flaviæ templum gentis[5], et stadium, et Odeum[6], et naumachiam; e cujus postea lapide maximus Circus, deustis utrinque lateribus, exstructus est[7].

montem septimum circa finem Decembris fieri solito, vide Rosin. Ant. Rom. IV, 16, pag. 296.

23. *Intra popularia;* scil. subsellia.

V. 1. *Plurima et amplissima opera*, etc. Vide Martial. IX, 4.

2. *In quis et Capitolium, quod rursus arserat.* Cf. Plutarch. Poplic. 15. Victor, Cæsar. 11, « multaque opera inchoata per patrem, vel fratris studio, atque in primis Capitolium absolvit. » Eutrop. VII, 15, « Romæ quoque multa opera fecit; in his Capitolium, et Forum transitorium, Odeum, Divorum porticus, Iseum, Serapeum, ac stadium. »

3. *Custodi Jovi;* ob vitam in oppugnatione Capitolii a Vitellianis susceptam mire servatam. Tacit. Hist. III, 74: « Ac potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum *Jovi Conservatori*, aramque posuit, casusque suos in marmore expressit. Mox, imperium adeptus, *Jovi Custodi* templum ingens, seque in sinu Dei sacravit. » Ceterum verbum *excitavit* etiam ad Forum refertur per zeugma, et ob ædificia, quæ cingunt Forum.

4. *Et Forum, quod nunc Nervæ vocatur;* a quo perfectum et dedicatum est. Conf. Victor, Cæs. 12; Lamprid. Alex. 28. Dictum est et *pervium* vel *transitorium* a Jano quadrifronte ibi posito, vel a basilica transitoria. Vide præter alios Donat. de Urb. Rom. II, 23, et Nardin. Rom. Vet. III, 14, qui de origine nominis disputant.

5. *Item Flaviæ templum gentis;* unde *collegium Flavialium* cap. 4.

6. *Et Odeum;* ad imitationem ejus, quod Athenis fuit. Destinatum erat certaminibus musicis. Egit de quatuor Urbis Romæ Odeis Fabric. Descript. Urb. Rom. cap. 12. Xiphilin. LXIX, 4, inter Trajani opera, ab architecto Apollodoro exstructa, Odeum memorat.

7. *E cujus.... lapide maximus*

VI. Expeditiones[1] partim sponte suscepit, partim necessario; sponte, in Cattos[2]: necessario, unam in Sarmatas[3], legione cum Legato simul cæsa; in Dacos duas, primam Oppio Sabino[4] consulari oppresso, secundam Cornelio Fusco[5], Præfecto cohortium prætorianarum, cui belli summam commiserat. De Cattis Dacisque, post varia prælia, duplicem triumphum egit[6]. De Sarmatis lau-

Circus... exstructus est; a Trajano; vide Plin. Panegyr. 51. Cf. omnino Xiphilin. LXVIII, 7. *Deusta* erant *latera* incendio Neronis (vide Tacit. Annal. XV, 38. Præfert tamen vulgato *deustis* Ernestius in Excurs. ad h. l. Codd. nonnullorum lectionem *decisis*, quod interpretatur *dejectis ac destructis*, improbantibus Oudend. et Wolfio. Saltem Tacitus etiam, Annal. VI, 45, *deusta parte Circi*.

VI. 1. *Expeditiones*, etc. Vide Reimar. ad Xiphil. LXVII, 4 et 6.

2. *In Cattos;* A. U. 837. Cf. Xiphil. LXVII, 4, qui, c. 5, causam belli fuisse ostendit Chariomerum, Cheruscorum regem, ob amicitiam Romanorum regno ejectum a Cattis.

3. *Unam in Sarmatas*, etc. Numos de bello Sarmatico ad ann. 829 allegat Reimar. l. c. sed hic annus imperio Domitiani prior. Eutrop. VII, 15, « in Sarmatia legio ejus cum duce interfecta. »

4. *Oppio Sabino*. Eutrop. loc. cit. *Appium Sabinum* vocat, atque ita ex aliquot Codicibus nostro etiam loco reponendum quidam censuere.

5. *Cornelio Fusco*. Describit hominem Tacit. Hist. II, 86. Ejus epitaphium vide apud Martial. VI, 76. De bello cum Dacis Oros. VII, 10: « Bellum adversum Germanos et Dacos per Legatos gessit pari Reipubl. pernicie, quum et in Urbe ipse Senatum populumque laniaret, et foris male circumactum exercitum assidua hostes cæde conficerent. Nam quanta fuerint Diurpanei, Dacorum regis, cum Fusco duce prælia, quantæque Romanorum clades, longo textu evolverem, nisi Cornelius Tacitus, qui hanc historiam diligentissime contexuit (vide Tacit. Annal. XI, 11), de reticendo interfectorum numero et Sallustium Crispum et alios auctores quam plurimos sanxisse, et se ipsum idem potissimum elegisse, dixisset. » Conf. Xiphil. LXVII, 6, ad ann. 839, qui, LXVIII, 9, Trajanum narrat captis Dacorum castellis, recepisse captivos et signum, quod sub Fusco Romani perdiderant.

6. *Duplicem triumphum egit*. Victus turpem pacem cum Decebalo (qui *Diurpaneus* Orosii; cf. Reim. ad Xiphil. modo cit.) fecerat: vide Xiphilin. LXVII, 7, coll. quæ de triumpho subjicit: unde Tacit. Agric. 39, dicit, *derisui fuisse falsum e Germania triumphum* (qui conjunctus erat cum Dacico). Plin. Panegyr. 16, « Accipiet ergo aliquando Capitolium non *mimicos currus*, nec *falsæ simulacra victo-*

ream modo Capitolino Jovi retulit[7]. Bellum civile, motum a L. Antonio[8], superioris Germaniæ Præside, confecit absens, felicitate mira, quum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset. De qua victoria præsagiis prius, quam nunciis, comperit. Siquidem ipso, quo dimicatum erat, die, statuam ejus Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit: pauloque post, occisum Antonium, adeo vulgatum est[9], ut caput quoque ejus apportatum vidisse se, plerique contenderent.

VII. Multa etiam in communi rerum usu novavit. Sportulas publicas sustulit, revocata rectarum cœnarum consuetudine[1]. Duas Circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit[2]. Interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exer-

riæ; » et cap. 17, « Videor jam cernere *non spoliis provinciarum, et extorto sociis auro*, sed hostilibus armis, captorumque regum catenis *triumphum gravem*. » Tamen hic triumphus poetarum adulationi, ut solet, largam suppeditavit materiam. Vide Martial. Epigr. VIII, 65; Stat. Silv. I, 1 et 4; III, 3; IV, 1 et 2. Dictusque inde est Domitianus *Germanicus* et *Dacicus;* Stat. loc. cit. Juvenal. Sat. VI, 205, ubi vide interpr.

7. *Lauream... retulit.* Cf. ad Neron. cap. 13; interpr. ad Plin. Panegyr. 8, et ad hunc loc.

8. *Bellum.... motum a L. Antonio;* A. U. 844, ut docet Reimar. ad Xiphil. LXVII, 11, not. 62. *Antonium Saturninum* integro nomine appellatum fuisse, videmus ex Martial. Epigr. IV, 11. Victor, Epit. 11: « His ejus sævitiis, ac maxime injuria verborum, qua se scortum vocari dolebat, accensus Antonius, curans Germaniam superiorem, imperium corripuit. Quo per Norbanum Appium acie strato, Domitianus longe deterior, in omne hominum genus, etiam in suos, ferarum more grassabatur. » Cf. Xiphil. cap. cit. init. De *Maximo Norbano* vide etiam Martial. IX, 85; cf. Glandorp. Onomast. pag. 107, et Reimar. ad l. c.

9. *Occisum Antonium, adeo vulgatum est*, etc. Conf. Plutarch. Æmil. 25.

VII. 1. *Sportulas... consuetudine.* A Nerone enim *publicæ cœnæ ad sportulas* fuerant *redactæ*. Vide Neron. cap. 16; cf. Martial. Epigr. IV, 14.

2. *Duas... addidit.* Cf. Xiphilin.

cendi artem jure concesso. Castrari mares vetuit[3]. Spadonum, qui residui apud mangones erant, pretia moderatus est[4]. Ad summam quondam ubertatem[5] vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearnm studio negligi arva, edixit, Ne quis in Italia novellaret[6], utque in provinciis vineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte : nec exsequi rem perseveravit. Quædam ex maximis officiis inter libertinos Equitesque Romanos communicavit[7]. Geminari legionum castra prohibuit[8] : nec plus quam mille nummos a quoquam ad signa

LXVII, 4, et vide ad Calig. 55.

3. *Castrari mares vetuit;* in contumeliam maxime Titi fratris, qui exsectos amaverat, nequaquam a fœdissima re abhorrens, quum eunuchi cujusdam amore captus ipse fuerit. Cf. Xiphil. LXVII, 2; Philostr. VI, 17. Stat. Silv. IV, 3, 13,

> Qui fortem vetat interire sexum;

Martial. Epigr. VI, 2 :

> Nec spado jam, nec mœchus erit, te præside, quisquam;

coll. II, 60.

4. *Spadonum... pretia moderatus est;* ne magnitudine pretii, quod capiebant ex venditis spadonibus, ad alios pueros castrandos mangones invitarentur. Martial. Epigr. IX, 7,

> Non puer avari sectus arte mangonis
> Virilitatis damna mœret ereptæ.

Cf. Quintil. Inst. V, 12, 17, « Mancipiorum negotiatores formæ puerorum, virilitate excisa, lenocinantur. »

5. *Ad summam quondam ubertatem*, etc. Al. *quandam*. Sed eodem modo August. 42, *magna quondam sterilitate*. Ceterum non necessaria est correctio, quam Duker. ex August. loc. cit. et Claud. 18, *artiore annona*, induxit, « *Ac summa quondam ubertate* vini, frumenti vero *inopia.* » Promiscua enim Latinis utraque ratio, ut Græcis vel genitivi absoluti, vel genitivus aut dativus cum præpositionibus ἐπί vel ἐν.

6. *Ne quis.... novellaret;* h. e. novas vineas plantaret. Aliam causam hujus edicti, seditionum nimirum materiam ex vini abundantia, successumque sophistæ Scopeliani, ea de re ad Domitianum missi, narrat Philostr. Apollon. VI, 17, et Vit. Sophist. pag. 521.

7. *Communicavit;* id est, communia fecit, ἐκοίνωσε, ut libertinis æque atque Equitibus Romanis accipere et administrare illa munera liceret, quæ proprie Senatorum fuerant. Insulsa est lectio vulg. *militesque Romanos*, in qua delere maluit Torrentius *Romanos*, quam recipere ex optimis Codicibus *Equites*.

8. *Geminari legionum castra prohibuit;* h. e. vetuit, in hibernis duas legiones in eadem castra coire, seditionum metu. Huc enim re-

deponi[9]; quod L. Antonius apud duarum legionum hiberna, res novas moliens, fiduciam cepisse etiam ex depositorum summa videbatur. Addidit et quartum stipendium militi, aureos ternos[10].

VIII. Jus diligenter et industrie dixit, plerumque et in Foro pro tribunali extra ordinem[1]. Ambitiosas Centumvirorum sententias[2] rescidit. Recuperatores, ne se perfusoriis assertionibus accommodarent[3], identidem admonuit. Nummarios judices cum suo quemque consilio no-

fer sequentia, *apud duarum legionum hiberna.*

9. *Ad signa deponi. Ad signa* vel *apud signa*, h. e. *in Principiis* (vide ad Othon. 1) milites certam partem stipendii et pecuniæ e donativis acceptæ deponere solebant, quæ reddebatur iis finita militia. Cf. Veget. II, 20.

10. *Addidit et quartum stipendium... aureos ternos.* Quum a Cæsaris inde temporibus milites *novem aureos* quotannis, eosque tribus pensionibus accepissent, Domitianus ad *duodecim aureos*, tribus additis, stipendium auxit. *Quartum stipendium* auctor quartam pensionem *ternorum aureorum* dicit, pro militia datam. Ita recte locum explicuerunt Schelius in Hygin. cap. 3, et Gronov. de Pecun. Vet. c. 2. Ernestius, dum vocab. *aureos ternos* pro glossemate damnat, locum difficillimum reddit, et verissime Oudend. nimis doctum pro glossatoris eruditione additamentum hoc fuisse monet.

VIII. 1. *Jus.... extra ordinem.* Vide de jurisdictione Imperatorum ad Cæs. 43 init. conf. Perizon. de Prætor. pag. 748. Male vulg. distinguitur hic locus: *dixit. Plerumque... extra ordinem ambitiosas,* etc. Victor, Epit. 11, « jus æquissime dixit. »

2. *Ambitiosas Centumvirorum sententias*, etc. De *Centumviris* sæpius dictum, maxime ad August. 36. *Ambitiosæ sententiæ* sunt studiosius dictæ ad comparandum favorem eorum, quibus consulebatur judicio. Cf. ad August. 25.

3. *Ne se perfusoriis assertionibus accommodarent*, etc. De *recuperatoribus* vide ad Neron. 17. Vulg. loco nostro est *ne se semper*, etc. sed ineptum *semper* optimi Codd. omittunt. Deinde *perfusoriis* (vulg. *persuasoriis*) post Cujac. ad Pandect. tit. de Excusat. Leg. 13, ut veram lectionem uno ore interpretes agnoverunt. Verissima autem videtur interpretatio Ernestii in Excurs. ad h. l. qui *perfusoriam assertionem* esse dicit, qua dominus justus *per calumniam litis* (ita Cic. pro Rosc. Amer. 29, *perfundere aliquem judicio*) adducitur in periculum servi amittendi. *Assertio* enim est vindicatio in libertatem, *perfusoria*, qua per fraudem et calumniam perfunditur, συγχύεται, dominus servi, adeoque deceptis judicibus condemnatur.

tavit[4]. Auctor et Tribunis plebis fuit, Ædilem [5] sordidum repetundarum accusandi, judicesque in eum a Senatu petendi. Magistratibus quoque urbicis, provinciarumque præsidibus coercendis tantum curæ adhibuit, ut neque modestiores [6] unquam, neque justiores exstiterint: e quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus. Suscepta morum correctione [7], licentiam theatralem promiscue in Equite [8] spectandi inhibuit. Scripta famosa, vulgoque edita, quibus primores viri ac feminæ notabantur, abolevit, non sine auctorum ignominia. Quæstorium virum [9], quod gesticulandi saltandique studio teneretur, movit Senatu. Probrosis feminis [10] lecticæ usum ademit, jusque capiendi legata hereditatesque. Equitem Romanum, ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit judicum albo. Quosdam ex utroque ordine lege Scantinia [11] condemnavit. In-

4. *Nummarios judices.... notavit;* h. e. judices numis corruptos, quemque *cum toto consilio judicum,* qui in eadem causa sedissent, ut ejusdem culpæ reos, vel parum circumspectos in eligendis et observandis collegis, nota censoria affecit. Conf. Ernestii Excurs. ad hunc locum.

5. *Ædilem sordidum;* avarum (vide ad Ner. 30), qui per avaritiam pecuniam aliqua de causa accepisset. *Repetundarum* autem crimen, ut ipsa etymologia vocis ostendit, ob quamvis pecuniam contra leges, injuste adeo, acceptam intenditur.

6. *Modestiores;* hoc est, qui majorem abstinentiam ostenderent. Opponuntur *avaris!* Vide supra ad Tit. c. 4.

7. *Suscepta morum correctione;* sive censura. Conf. Xiphil. LXVII, 4, ad ann. 837, et Martial. Epigramm. VI, 4.

8. *In Equite;* inter Equites, in quatuordecim ordinibus. Cf. Martial. V, 8,

Edictum Domini Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros Eques ordines recepit;

et V, 23.

9. *Quæstorium virum*, etc. Cæcilium Rufinum appellat Xiphilin. LXVII, 13.

10. *Probrosis feminis;* h. e. adulterii convictis. Conf. Xiphilin. LXVII, 12.

11. *Lege Scantinia;* vel *Scatinia* (utraque enim scriptura omnibus locis, ubi occurrit, obtinet; *Scatiniam* autem veriorem esse, post alios contendit Bach. Hist. Jur. Rom. pag. 144) *de nefanda Venere*, quam Scatinium quemdam Aricinum tulisse existimant ann. 526,

cesta Vestalium [12] virginum, a patre quoque suo et fratre neglecta, varie ac severe coercuit: priora, capitali supplicio; posteriora [13], more veteri. Nam quum Ocellatis sororibus, item Varronillæ, liberum mortis permisisset arbitrium, corruptoresque earum relegasset: mox Corneliam, maximam Virginem [14], absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam, atque convictam, defodi imperavit;

pœna vel decem millium, vel mortis secundum alios, stupratori irrogata. Vide Christii Hist. Leg. Scat. Hal. 1727; Ernest. Clav. Cic. Ind. leg.; et quos alios laudavit Bachius, loc. cit.

12. *Incesta Vestalium*, etc. Cf. Xiphil. LXVII, 3, ubi Reimar.

13. *Priora.....posteriora*, etc. *Priora* Burmann. intelligit a patre, *posteriora* a fratre neglecta; Ernestius *priora* ante principatum suum, *posteriora* post edictum suum commissa, quæ Marcilii etiam sententia fuit. Mihi ex sequentibus satis patere videtur, *priora* et *posteriora* ad Domitiani principatum pariter referenda esse, ita ut *prius capitale modo supplicium* statueret, « Ocellatis sororibus et Varronillæ libero mortis arbitrio permisso, relegatis corruptoribus; » *postea*, quum parum profecisse se ea clementia vidisset, *more veteri* in convictas animadverteret, h. e. « virginem defodi, stupratores virgis ad necem cædi juberet. » Denuo monendum de more Suetonii, universe præmittendi, quæ mox exemplis illustrantur.

14. *Mox Corneliam, maximam Virginem*, etc. h. e. *vetustissimam*, ut Tacit. Annal. XI, 32 (conf. ad Cæs. 83), ne quis cum aliis *Corneliam Maximam* pro nomine scribat. *Repetitam* dicit iterum accusatam; *petere* enim est *accusare*. Prius crimen an sub Domitiani imperio et de eodem incestu aliove impactum ei fuerit, incertum. Puto, parum prospere priorem calumniam cessisse. Diserte enim a culpa liberat virginem Plin. Epist. IV, 11, « Nam quum Corneliam, maximam Vestalem, defodere vivam *concupisset*, *ut qui illustrari seculum suum ejusmodi exemplo arbitraretur*, Pontificis maximi jure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos Pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocavit. Nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, *absentem inauditamque damnavit incesti*, quum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset; nam vidua abortu periit. Missi statim Pontifices, qui defodiendam necandamque curarent, etc. » Nolim tamen cum Dukero ob Plinii locum corrigere nostro « repetitam *neque* convictam. » Manifeste enim in contraria discedunt Suetonius et Plinius, dum ille salubris severitatis exemplum, hic tyranni licentiam in hoc Corneliæ supplicio proponunt. Cum Suetonio facere videtur Philostr. VII, 3. Cf. Reimar. ad Xiphilin. LXVII, 3.

stupratoresque virgis in Comitio ad necem cædi [15], excepto prætorio viro [16], cui, dubia etiam tum causa, et incertis quæstionibus atque tormentis, de semet professo exsilium indulsit. Ac ne qua religio Deum impune contaminaretur, monumentum, quod libertus ejus e lapidibus, templo Capitolini Jovis destinatis, filio exstruxerat, diruit per milites, ossaque et reliquias, quæ inerant, mari mersit.

IX. Inter initia usque adeo ab omni cæde abhorrebat, ut, absente adhuc patre, recordatus Virgilii versum,

Impia quam cæsis gens est epûlata juvencis [1],

edicere destinarit, « ne boves immolarentur. » Cupiditatis quoque atque avaritiæ [2] vix suspicionem ullam, aut privatus unquam, aut Princeps aliquamdiu dedit; immo e diverso magna sæpe non abstinentiæ modo, sed etiam libe-

15. *Defodi imperavit; stupratoresque... cædi; more* nempe *veteri*. Defodi solebant in *campo scelerato* prope portam Collinam. Cf. Dionys. I, 78; II, 67, qui classicus est locus; VIII, 89; IX, 40. Stupratorem Corneliæ, vel accusatum potius stupri memorat Plin. Epist. cit. § 10, Celerem: « Præterea Celer, Eques Romanus, cui Cornelia objiciebatur, quum in Comitio virgis cæderetur, in hac voce perstiterat, *Quid feci? Nihil feci.* » Idem magnitudinem animi Corneliæ in ferendo supplicio narrat § 7 seq.

16. *Excepto prætorio viro*, etc. *Valerio Luciano*, de quo agit Plinii epistola, ubi hæc: « Confessus est quidem incestum, sed incertum, utrum quia verum erat, an quia graviora metuebat, si negasset. Tremebat enim Domitianus, æstuabatque ingenti invidia, destitutus. » Mox, § 11: « Ardebat Domitianus et crudelitatis et iniquitatis infamia. Arripit Licinianum, quod in agris suis occultasset Corneliæ libertam; ille ab iis, quibus erat curæ, præmonetur, si Comitium et virgas pati nollet, ad confessionem confugeret, quasi ad veniam; fecit. » Postea permisisse ei dicitur Domitianus, « si qua posset, ex rebus suis raperet, antequam bona publicarentur, et exsilium molle, velut præmium, dedisse.

IX. 1. *Impia... juvencis;* ex Virgil. Georg. II, 537. Cf. Arat. Phæn. 132. De aurea ætate sermo est.

2. *Cupiditatis... atque avaritiæ*, etc. *Cupiditati* opponitur *abstinentia;* vide Cæs. 34; *avaritiæ liberalitas*. Eidem respondet sequens voc. *sordide*. Post *immo*, damnat Ernestius *e diverso*, et sane est idem. Sed condonandum hoc mori Suetonii, de quo sæpius dictum.

ralitatis, experimenta. Omnes circa se largissime prosecutus, nihil prius aut acrius monuit, quam ne quid sordide facerent. Relictas sibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recepit. Legatum etiam ex testamento Rusci [4] Cæpionis [3], qui caverat, « ut quotannis ingredientibus Curiam Senatoribus certam summam viritim præstaret heres suus, » irritum fecit. Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent [5], universos discrimine liberavit; nec repeti, nisi intra annum, eaque conditione, permisit, ut accusatori, qui causam non teneret, exsilium pœna esset. Scribas quæstorios, negotiantes ex consuetudine, sèd contra Clodiam legem, venia in præteritum donavit [6]. Subsiciva, quæ, divisis per veteranos

3. *Rusci Cæpionis.* Al. *Ruscii*, vel *Rusti;* fortasse *Rustii.*

4. *Ut quotannis ingredientibus Curiam*, etc. Kal. Januar. strenæ loco hanc summam datam suspicatur Burmannus. Ego novos Senatores intelligere malim, qui quotannis vel ob generis nobilitatem simul cum virili toga latum clavum induebant (vide Aug. 38), vel ob munera suscepta in Curiam admittebantur. Impensis cum ea dignitate conjunctis subvenisse videtur legatum Cæpionis.

5. *Reos, qui... pependissent;* h. e. quorum nomina ante quinquennium ob æs alienum ad judices delata, proposita adhuc in ærario penderent, re nondum dijudicata. Dicendi formula est eadem, quæ Claud. 9 (ubi vide not. coll. Harduin. ad Plin. H. N. XIII, 15 [29]), quamquam h. l. non de ærarii tantum debitoribus, sed diuturnis omnino reis, in quos similis Principum liberalitas August. 32 et Calig. 15 memoratur, sermonem esse, Casaubono concedo et Ernestio. In eo tamen stat sententia, quod de *æris alieni* reis dici, eorumque, si damnati essent, ex bonis aliquam partem ad ærarium pervenisse, ideoque nomina ibi pependisse, existimo.

6. *Scribas quæstorios... venia... donavit.* Ernest. in Excurs. ad h. l. scribas Quæstorum *provincialium* intelligit, quum urbani illo tempore pecunias publicas non tractarent (vide ad Claud. 24), nullaque adeo causa esset, quare iis negotiationibus interdiceretur. Exemisse igitur putat Domitianum scribas legibus, quibus Præsides provinciarum fenus exercere et negotiari vetabantur, quum illi perpetuo in provincia manerent. De *lege Clodia* ejusque auctore nihil constat. Cf. Augustin. de Legibus (Thes. Græv. tom. II, pag. 1190). Plerique caput legis *Qu. Claudii* Trib. pleb. de qua Liv. XXI, 63, fuisse putant de *scribis quæstoriis*, idque probabile, quod *de indecoro Patrum quæstu* illa ca-

agris, carptim superfuerunt, veteribus possessoribus, ut usucapta, concessit[7]. Fiscales calumnias[8] magna calumniantium pœna repressit: ferebaturque vox ejus: « Princeps, qui delatores non castigat, irritat. »

X. Sed neque in clementiæ, neque in abstinentiæ tenore permansit: et tamen aliquanto celerius ad sævitiam descivit, quam ad cupiditatem. Discipulum Paridis[1] pantomimi impuberem adhuc, et quum maxime ægrum, quod arte formaque non absimilis magistro videbatur, occidit: item Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuras[2]; librariis etiam, qui eam descripserant, cruci fixis. Patremfamilias, quod « Threcem mirmilloni parem, munerario imparem[3] » dixerat, detractum spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: « Impie locutus parmularius[4]. » Complures Senatores,

vebat. Alii tamen, in quibus Stockmann. ad Bach. Hist. Jur. Rom. pag. 181, ad *P. Clodium*, Trib. pleb. Pisone et Gabinio Coss., referunt.

7. *Subsiciva.... concessit;* h. e. eas partes agrorum, quæ in dimensione restitissent, et de quarum possessione controversiæ intercedere solebant, iis concessit, qui per biennium vel diutius eas possedissent, *ut usucapta* (vide de *usucapione* Heinecc. Ant. Rom. II, 6), *veteribus* adeo h. e. diuturnis *possessoribus*, idque in invidiam patris fecit fratrisque, qui multos subsicivos agros, tanquam fiscales, vendiderant. Vide Aggen. Urbic. de Controv. Agr. pag. 68; Loens. Misc. III, 2; Ernest. et Oudend. ad h. l., qui arguit conjecturam Burmanni *utut usucapta*, ut veræ loci sententiæ prorsus contrariam.

8. *Fiscales calumnias;* h. e. calumniosas delationes, ad commodum fisci Principis factas. — Dictum Domitiani memorat quoque Xiphil. LXVI, 1 (ex Excerpt. Peiresc.), ubi vide.

X. 1. *Discipulum Paridis*, etc. *Paridem* histrionem ob adulterium cum Domitia interfectum, e Xiphil. LXVII, 3, memoravimus ad cap. 3. Cf. Martial. Epigr. XI, 13; interpr. ad Juvenal. Sat. VI, 87. Mox pro *impuberem*, quod ad misericordiam additum, inepte vulg. *puberem*.

2. *Propter quasdam.... figuras;* h. e. oblique in se dicta (Gallice nos, *allusions*). Vide ad Vespas. 13.

3. *Munerario imparem;* h. e. Domitiano, qui munus edebat, et mirmilloni favens Threcem opprimi jusserat.

4. *Impie locutus parmularius;* vel *palmularius*, παλμουλάριος, *Threx*, invidiose pro *fautore Threcis*, maxime in *patrefamilias*, h. e. cive

in his aliquot consulares, interemit[5]: ex quibus Civicum Cerialem[6] in ipso Asiæ proconsulatu; Salvidienum Orfitum[7], Acilium Glabrionem[8] in exsilio, quasi molitores novarum rerum: ceteros levissima quemque de causa: Ælium Lamiam[9], ob suspiciosos quidem, verum et veteres et innoxios jocos; quod post abductam uxorem laudanti vocem suam, εὐτακτῶ dixerat; quodque Tito, hortanti se ad alterum matrimonium, responderat, [10]μὴ καὶ

honesto. *Impie locutus* est qui verbis læsit verecundiam, majestati Principis debitam. Cf. ad Vitell. 3, et interpr. ad Plin. Panegyr. 11 et 33, ubi, « Jam quam libera spectantium studia, quam securus favor! Nemini *impietas*, ut solebat, *objecta*, quod odisset gladiatorem... Demens ille, verique honoris ignarus, *qui crimina majestatis in arena colligebat*, ac.... *sibi maledici in illis* (gladiatoribus suis), *suam divinitatem, suum numen violari*, interpretabatur; quum *se idem quod Deos*, idem gladiatores quod se putabat. »

5. *Complures Senatores... interemit.* Cf. Xiphil. LXVII, 3, qui, c. 11, Antonii bellum civile plurimis cædibus occasionem ansamque dedisse narrat. Eumdem vide, c. 12.

6. *Civicum Cerialem.* Ita scripsimus, auctore etiam Torrentio, pro vulg. *Civicam Cerealem. Cerialis* et in numis, et in Taciti libris, ubi frequentissimum hoc nomen, scribitur. *Civicam* autem nullo modo concoquere potui, quamquam, substantiva pro nominibus addita, evincunt e Vitell. 15, ubi Vitellius *Concordiæ* cognomen recepisse dicitur. Ibi enim res singularis vereque ridicula, et alias substantiva in nominum formam flectebatur, ut *Cicero, Naso, Lentulus*, etc. Regnat tamen *Civica* cognomen etiam in Tacito, qui Agric. 42, « Aderat jam annus, quo proconsulatum Asiæ et Africæ sortiretur, et *occiso Civica nuper*, nec Agricolæ consilium deerat, nec Domitiano exemplum. »

7. *Salvidienum Orfitum.* Vide Philostrat. Apoll. VII, 14, et VIII, 3.

8. *Acilium Glabrionem;* Consulem ann. 844, cum Trajano. Cf. Xiphil. LXVII, 12 et 14. Illo tempore in exsilium actum, et ann. 848 interfectum, putat Reimar.

9. *Ælium Lamiam.* Vide cap. 1; Juvenal. Sat. IV, 154. Mox εὐτακτῶ e corrupto *heu taceo*, quod ortum erat e Græco Latinis literis scripto *eutacto*, nullumque joci vestigium exhibebat, eruerat jam, altero Cod. adjutus, Scaliger (vide Casaub.), sed in sensu erraverat, quem vidit Gronov. collatis Ælian. Varr. Hist. III, 30, et Nostro, Ner. 20, quibus addit Oudend. Epict. 35. Dicebantur enim εὐτακτεῖν, qui conservandæ vocis causa omni libidine abstinebant, id quod, se quoque facere, per jocum Lamia dicebat, cui Domitianus uxoris usum eripuisset.

10. Μὴ καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις; interpretatur Marcilius: « Num et tu

σὺ γαμῆσαι θέλεις; Salvium Cocceianum [11], quod Othonis Imperatoris, patrui sui, diem natalem celebraverat: Metium Pomposianum [12], quod habere imperatoriam genesin vulgo ferebatur, et quod depictum orbem terræ in membrana, concionesque regum ac ducum ex Tito Livio circumferret, quodque servis nomina Magonis et Hannibalis indidisset: Sallustium Lucullum, Britanniæ legatum, quod lanceas novæ formæ appellari *Luculleas* passus esset: Junium Rusticum [13], quod Pæti Thraseæ et Helvidii Prisci laudes edidisset, appellassetque eos « sanctissimos viros; » cujus criminis occasione philosophos [14] omnes

aliam uxorem ducere vis, ex qua filiam suscipias, quam frater tuus violet? » coll. cap. 22, redditque hanc interpretationem Pitiscus, quasi melior non superesset. Imo sensus est: « Num tibi etiam cupiditas uxorem ducendi? » hoc est, Num tu etiam ad matrimonium me hortaris, ut fratris tui exemplo uxorem mihi abducas? Nisi præcederet *ad alterum matrimonium*, explicarem: « Quin ipse duc uxorem, ut filii tibi nascantur, imperii heredes: » quod sane invidiosissimum fuisset Domitiano. Sed illud rectius est, placuitque etiam Mullero.

11. *Salvium Cocceianum;* filium Salvii Titiani, fratris Othonis. Cf. Lips. ad Tacit. Hist. II, 48, et supra ad Othon. cap. 10.

12. *Metium Pomposianum.* Vide Vespas. 14, ubi pepercisse ei Vespasianum legimus, citato Xiphil. LXVII, 12, quem de re nostra rursus ibid. vide: commemoratur Metius infra, cap. 20. Ceterum libri fere *membranas* vel *membranis*. Promiscuum est. Conf. tamen Duker. apud Oudendorp.

13. *Junium Rusticum; L. Junium Arulenum Rusticum.* Vide Lips. ad Tacit. Agric. 2 et 45; Reimar. ad Xiphil. LXVII, 13. Ille, cap. 2, ita: « Legimus, quum Aruleno Rustico Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse; neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum sævitum, delegato Triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in Comitio ac Foro urerentur, etc. » Conf. Xiphil. l. c. Plin. Epist. III, 11, 3, aliisque locis.

14. *Philosophos omnes.... summovit.* Xiphil. l. c. qui ἐξηλάσθησαν αὖθις ob simile Vespasiani edictum, de quo vide ad Vespas. 13. Pulchre Tacit. Agric. 2: « Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem Senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, *expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret.* » Cf. Plin. Epist. III, 11, 2; Panegyr. 47; Gell. XV, 11; Reimar. ad Xiphil. l. c.

Urbe Italiaque summovit. Occidit et Helvidium [15] filium, quasi scenico exodio [16] sub persona Paridis et Œnones divortium suum cum uxore taxasset: Flavium [17] Sabinum, alterum e patruelibus, quod eum comitiorum consularium die destinatum, perperam præco non *Consulem* ad populum, sed *Imperatorem* pronunciasset. Verum aliquanto post civilis belli victoriam [18] sævior, plerosque partis adversæ, dum etiam latentes conscios investigat, novo quæstionis genere distorsit, immisso per obscœna igne: nonnullis et manus amputavit. Satisque constat, duos solos e notioribus [19] venia donatos, Tribunum laticlavium [20], et Centurionem: qui se, quo facilius expertes culpæ ostenderent, impudicos probaverant; et ob id neque apud ducem, neque apud milites, ullius momenti esse potuisse.

XI. Erat autem non solum magnæ, sed etiam callidæ inopinatæque sævitiæ [1]. Actorem summarum [2], pridie

15. *Helvidium filium*. De patre vide ad Vespas. 15; de filio, Tacit. Agric. 45, ubi Lipsium; Plin. Epist. VII, 30, et IX, 13.

16. *Scenico exodio*. Vide ad Tiber. cap. 45.

17. *Flavium Sabinum;* filium Flavii Sabini, fratris Vespasiani, fratrem Flavii Clementis, de quo vide ad cap. 15. Uxor hujus Sabini erat Julia, Titi filia. Cf. Philostr. VII, 3. De *Julia* vide ad cap. 22. — *Destinatum*, designatum, ut et al.

18. *Post civilis belli victoriam;* quod Antonius (cap. 6) moverat. Cf. omnino Xiphil. LXVII, 11.

19. *E notioribus;* h. e. nobilioribus; *noti* enim opponuntur *obscuris*. Ita *patresfamiliarum noti* Calig. 26. Hanc formam Ernestius male improbat.

20. *Tribunum laticlavium*. Vide ad August. 38, et Othon. 10. Xiphil. l. c. εἷς δ' οὖν τις νεανίσκος Ἰούλιος Καλούαστρος κεχιλιαρχηκὼς ἐς βουλείας ἐλπίδα (h. e. laticlavius; vide Reimar.) παραδοξότατα ἐσώθη, etc. Ceterum ita etiam apud Tacit. Annal. XI, 36, « Cæsoninus vitiis protectus est, *tanquam.... passus muliebria*, » ubi vide Lips.

XI. 1. *Erat autem... callidæ inopinatæque sævitiæ*. Conf. Xiphil. LXVII, 1; Plin. Panegyr. cap. 66.

2. *Actorem summarum;* h. e. exigendis pecuniis, administrandis et in rationem referendis præpositum. Plin. Epist. III, 19, *procuratorem* et *actores* conjungit. Idem, Panegyr. 36, *actorem* et *procuratorem* Principis ita distinguit, ut huic majorem dignitatem fuisse pateat. Plura vide apud Lips. Excurs. ad Tacit. Annal. II, 30. Non du-

quam cruci figeret, in cubiculum vocavit, assidere in toro juxta coegit, securum hilaremque dimisit, partibus etiam de cœna dignatus est. Arretinum Clementem[3] consularem, unum e familiaribus et emissariis[4] suis, capitis condemnaturus, in eadem, vel etiam in majore gratia habuit, quoad novissime simul gestanti[5], conspecto delatore ejus, « Vis, » inquit, « hunc nequissimum servum cras audiamus? » Et quo contemtius abuteretur patientia hominum, nunquam tristiorem sententiam sine præfatione clementiæ pronunciavit: ut non aliud jam certius atrocis exitus signum esset, quam Principis lenitas[6]. Quosdam majestatis reos in Curiam induxerat: et quum prædixisset, « experturum se illa die, quam carus Senatui esset, » facile perfecerat, ut etiam more majorum[7] puniendi condemnarentur: deinde, atrocitate pœnæ conterritus, ad leniendam invidiam intercessit, his verbis (neque enim ab re fuerit ipsa cognoscere): « Permittite, Patres Conscripti, a pietate vestra impetrari, quod scio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indul-

bitandum igitur de vocab. *Actorem* substituendo vulgato *Auctorem*, idque primi fecerunt Ernestius et Oudendorp.

3. *Arretinum Clementem*, etc. De hoc Tacit. Hist. IV, 68: « Arretinum Clementem, domui Vespasiani per affinitatem innexum et gratissimum Domitiano, Prætorianis præposuit (Mucianus), patrem ejus sub Caio Cæsare egregie functum ea cura, dictitans; lætum militibus idem nomen, atque ipsum, quamquam senatorii ordinis, ad utraque munia sufficere. » *Arricinum* scribi voluit Ursin. ex inscriptione, quam ad nostrum retulit, cui vide, quæ regesserit Grævius. Ceterum, Consul fuit cum L. Nonnio Aspernate, ann. 847.

4. *Emissariis. Emissarii* erant exploratores Principum (*ses espions*). Vide interpr. ad Xenoph. Cyrop. VIII, 2, 10, et Lex. Xenoph. sub voc. ὀφθαλμός, quo nomine Gr. dicebantur. Conf. etiam nost. Ind. Cic. sub voc. *emissarius*.

5. *Gestanti*. Novum hoc exemplum participii præsentis passivi. Cf. ad Galb. 8, ubi *ad gestandum*.

6. *Principis lenitas*. Miror, ad unum omnes editores tolerasse merum vitium *principii lenitas*. Restituimus lectionem, de cujus veritate nescio, an dubitari nequeat.

7. *More majorum*. Cf. Ner. 49.

geatis. Nam et parcetis oculis vestris, et intelligent me omnes Senatui interfuisse. »

XII. Exhaustus operum ac munerum impensis, stipendioque, quod adjecerat[1], tentavit quidem, ad relevandos castrenses sumtus, militum numerum deminuere: sed quum et obnoxium se barbaris per hoc animadverteret, neque eo secius in explicandis oneribus[2] hæreret, nihil pensi habuit[3], quin prædaretur omni modo. Bona vivorum ac mortuorum usquequaque, quolibet et accusatore et crimine, corripiebantur. Satis erat, objici qualecunque factum dictumve adversus majestatem Principis. Confiscabantur alienissimæ hereditates, vel uno exsistente, qui diceret, audisse se ex defuncto, quum viveret, « heredem sibi Cæsarem esse. » Præter ceteros Judaicus fiscus[4] acerbissime actus est: ad quem deferebantur, qui vel improfessi Judaicam viverent vitam[5], vel, dissimulata origine, imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, quum a procuratore, frequentis-

XII. 1. *Stipendioque, quod adjecerat.* Vide supra, cap. 7. — De *deminuto militum numero* Zonar. Ann. II, pag. 196.

2. *In explicandis oneribus;* h. e. comparandis pecuniis ad publicas impensas necessariis. *Explicare* et *expedire* propria in hoc verba.

3. *Nihil pensi habuit.* Vide Cort. ad Sallust. Catil. V, 6.

4. *Judaicus fiscus;* h. e. tributum duarum drachmarum, singulis Judæis pro libero religionis exercitio impositum a Tito. Cf. Joseph. Bell. Jud. VII, 6, 6; Xiphil. LXVI, 7. Plura vide apud Reimar. ad Xiphil. l. c. et Tullium ad Appian. Syriac. 50. Oudendorpius, dum hoc tributum ad Quirini ἀπογραφὴν refert ex Joseph. Archæol. XVIII, 1, nescio an diversas res confundat. Certe Josephus ipse hoc tributum devictis demum Judæis impositum narrat, Bell. Jud. l. c.

5. *Vel improfessi Judaicam viverent vitam.* Ita Ernest. cum Burmann. et Oudend. Al. *veluti professi* et *vel ut professi;* Gronov. *vel ut improfessi.* Conf. Burm. et Oudend. Intelligo cum aliis *proselytos*, ut sequentia *vel dissimulata origine*, etc. de Christianis, quos sub Domitiano gravi persecutione vexatos, et plerumque cum Judæis illo tempore confusos constat. Verba *intra Urbem*, quæ vulg. leguntur ante *viverent*, MSS. auctoritate cum Oudendorp. omisimus.

simoque consilio, inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset. Ab juventa minime civilis animi, confidens etiam, et quum verbis, tum rebus immodicus. Cænidi[6], patris concubinæ, ex Istria reversæ, osculumque, ut assuerat, offerenti, manum præbuit. Generum fratris[7], indigne ferens, albatos et ipsum ministros habere, proclamavit: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

XIII. Principatum vero adeptus, neque in Senatu jactare dubitavit, « et patri se et fratri imperium dedisse; illos sibi reddidisse: » neque in reducenda post divortium uxore edicere, « vocatam eam in pulvinar suum[1]. » Acclamari etiam in Amphitheatro epuli die[2] libenter audiit: « Domino et Dominæ feliciter. » Sed et Capitolino certamine[3] cunctos ingenti consensu precantes, ut Palfurium Suram restitueret, pulsum olim Senatu, ac tunc de oratoribus coronatum, nullo responso dignatus, *tacere* tantummodo jussit, voce præconis. Pari arrogantia, quum procuratorum suorum nomine formalem dictaret

6. *Cænidi*, etc. Vide ad Vespas. 3; Xiphil. LXVI, 14.

7. *Generum fratris;* Flavium Sabinum. Conf. ad cap. 10. De *albatis* ministrorum aulicorum *vestibus*, vide Salmas. ad Lamprid. Sever. 67.

XIII. 1. *In pulvinar suum*. *Pulvinar* erat Deorum. Vide Cæs. 76. Quod autem pro *vocatam* multi ex Salmasii conjectura receperunt *revocatam*, id nullo modo probandum. Non enim referendum est dictum Domitiani ad occasionem *reductæ uxoris*, ubi illud edidit, sed unice consideranda arrogantia, quæ est in vocabulo *pulvinar*, de lecto suo usurpato.

2. *Epuli die;* de quo vide ad c. 4. — De *Domini* appellatione diximus ad August. cap. 53. Plura de usu nominum *Domini* et *Dei*, a Domitiano primum arrogato, quum superioribus Principibus per adulationem tantum indita, ab ipsis recusata illa fuissent, annotavit Reimarus ad Xiphilinum, LXVII, 13.

3. *Capitolino certamine*. Intell. *quinquennale*, quod memoravit cap. 4, Capitolino Jovi institutum. Id inde etiam patet, quod Palfurius coronatus dicitur *de oratoribus* h. e. *ex oratoribus* sive *ut unus de oratoribus*, quibuscum certabat. De *Palfurio* vide Schol. ad Juvenal. Sat. IV, 53; interpr. ad Martial. Epigr. VI, 44, 13.

epistolam[4], sic cœpit: « Dominus et Deus[5] noster hoc fieri jubet. » Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter. [6] Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi. Janos arcusque cum quadrigis et insignibus triumphorum per regiones Urbis tantos ac tot exstruxit, ut cuidam Græce inscriptum sit: ΑΡΚΕΙ[7]. Consulatus septemdecim cepit[8], quot ante eum nemo. Ex quibus septem medios continuavit: omnes autem pæne titulo tenus gessit: nec quemquam ultra Kalendas Maii: plures ad Idus usque Januarias. Post autem duos trium-

4. *Formalem... epistolam;* i. e. forma sollemni conscriptam, cum formulis titulisque sollemnibus.

5. *Dominus et Deus.* Cf. Reimar. ad Xiphil. LXVII, 13, modo cit. Plin. Paneg. 52: « Tu delubra non nisi adoraturus intras, tibi maximus honor excubare pro templis, postibusque prætexi. Sic sit, ut Dei summum inter homines fastigium servent, *quum Deorum ipse non appetas.* » Cf. Victor, Cæs. 11, et Epit. 11; Oros. VII, 10.

6. *Statuas*, etc. Conf. Xiphilin. LXVII, 8, ubi Reimarum; Eutrop. VII, 15. Plin. Panegyr. 52: « Itaque tuam statuam in vestibulo Jovis Optimi Maximi unam alteramve, et hanc æneam, cernimus. *At paulo ante aditus omnes, omnes gradus, totaque area hinc auro, hinc argento relucebat*, seu potius polluebatur; quum incesti Principis statuis permixta Deorum simulacra sorderent. » Vide etiam Lips. de Magn. Rom. III, 9, qui *certum pondus* fuisse *centenum*, efficit e Stat. Silv. V, 1, 190.

7. *Ut... inscriptum sit: ΑΡΚΕΙ.* Ita Turneb. Advers. V, 10, et XXII, 16. Locus in libris misere est corruptus ex ignorantia vocis Græcæ. Vide Burmann. et Oudendorp.

8. *Consulatus septemdecim cepit;* nempe additis *sex* illis, quos privatus gessit: vide cap. 2. Continuavit autem octavum usque ad quartum decimum ab ann. 835 ad 841, h. e. *septem medios.* Postea Consul fuit XV, ann. 843; XVI, ann. 845; et XVII, ann. 848. Ex Nostro igitur interpretandus Xiphil. LXVII, 4, qui: ὕπατος ἔτη δέκα ἐφεξῆς..... ἐχειροτονήθη. Nimirum post triumphum Germanicum idem honos ei tributus est a Senatu, qui Cæsari (vide ad Cæs. c. 76 init.), sed non confundendum hoc decretum Patrum cum ordine consulatuum, quos revera gessit. Neque audiendus Auson. Grat. Act. ad Gratian. § 27, qui pleniore ore, Domitianum *septem ac decem consulatus invidia alteros provehendi continuando conseruisse*, dicit. Verius Plinius, Panegyr. 58, « Non te ad exemplar ejus voco, *qui continuis consulatibus fecerat longum quemdam et si-*

phos[9], Germanici cognomine assumto, Septembrem mensem et Octobrem ex appellationibus suis, Germanicum Domitianumque transnominavit[10]; quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.

XIV. Per hæc terribilis cunctis et invisus, tandem oppressus est amicorum libertorumque intimorum conspiratione, simul et uxoris[1]. Annum diemque ultimum vitæ jam pridem suspectum habebat: horam etiam, nec non et genus mortis. Adolescentulo Chaldæi cuncta prædixerant. Pater quoque super cœnam quondam fungis abstinentem palam irriserat, ut ignarum sortis suæ, quod non ferrum potius timeret. Quare pavidus semper atque anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum commovebatur; ut edicti, de excidendis vineis[2] propositi, gratiam facere non alia magis re compulsus credatur, quam quod sparsi libelli cum his versibus erant:

Κἤν με φάγῃς[3] ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

ne discrimine annum.» Ceterum cum Burm., Oudend., et Wolfio edidimus *quot ante eum nemo*, scil. *cepit;* non, ut vulg. «*quod* ante eum nemo,» scil. *fecit.*

9. *Post... duos triumphos.* Vide c. 6, ubi dictum etiam de *Germanici* et *Dacici*, quæ Domitianus assumsit, cognominibus.

10. *Septembrem... transnominavit.* Susceperat imperium die 13 Sept. 834, quo obierat Titus (vide ad Tit. 11); natus autem erat die 24 Octobr. (cf. Domit. c. 1). De re Xiphil. LXVII, 4. Macrob. Saturn. I, 12: Mensis *September* principalem sui retinet appellationem, quem *Germanici* appellatione, *Octobrem* vero *suo nomine* Domitianus invaserat.» Conf. Plutarch. Num. 19; Martial. Epigr. IX, 2; Stat. Silv. IV, 1, 42; Plin. Paneg. 54.

XIV. 1. *Amicorum... conspiratione, simul et uxoris.* Conf. Xiphilin. LXVII, 15; Victor, Epit. 11, qui: « adscita etiam in consilium tyranni uxore Domitia, ob amorem Paridis histrionis a Principe cruciatus formidante.»

2. *De excidendis vineis.* Conf. ad cap. 7. — *Edicti gratiam facere*, ut supra legimus, August. 17, *gratiam fecit conjurandi.* Ad verbum nos, *faire grâce de quelque chose*, aliquid remittere.

3. Κἤν με φάγῃς, etc. Distichon est Eveni (cf. Jacobs. Anthol. vol. I, pag. 97, et Animadv. tom. I,

Eadem formidine oblatum a Senatu novum et excogitatum[4] honorem, quamquam omnium talium appetentissimus, recusavit: quo decretum erat, « ut, quoties gereret consulatum, Equites Romani, quibus sors obtigisset, trabeati[5] et cum hastis militaribus præcederent eum, inter lictores apparitoresque. » Tempore vero[6] suspecti periculi appropinquante, sollicitior in dies, porticuum, in quibus spatiari consuerat, parietes phengite lapide[7] distinxit, e cujus splendore per imagines, quicquid a tergo fieret, provideret. Nec nisi secreto atque solus plerasque custodias[8], receptis quoque in manum catenis, audiebat. Utque domesticis persuaderet, ne bono quidem exemplo audendam esse patroni necem, Epaphroditum a[9] libellis capitali pœna condemnavit, quod post destitutionem Nero in adipiscenda morte manu ejus adjutus existimabatur.

XV. Denique Flavium Clementem[1] patruelem suum,

part. I, pag. 322), quod integrum ita se habet:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ.

Reddidit Ovid. Fast. I, 357,

Rode, caper, vitem: tamen huic, quum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

4. *Excogitatum*. Male al. *inexcogitatum*. *Excogitatum* est *exquisitum*. Ernest. conjicit *excogitatissimum*.

5. *Trabeati*. Vide Lips. ad Tacit. Annal. III, 2.

6. *Tempore vero*. Ita libri præstantissimi. Vulg. *Tempore quoque*.

7. *Phengite lapide;* cui nomen a splendore, ἀπὸ τοῦ φέγγους. Plin. Hist. Nat. XXXVI, 22 (46): « Nerone Principe in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus atque translucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento *phengites* appellatus. »

8. *Custodias;* custodiæ datos (*les prisonniers*), ut Neron. 31, « quod ubique esset *custodiæ*. » Vide Lips. Excurs. ad Tacit. Annal. III, 22. Mox *receptis quoque* dedimus cum Ernest., non abnuentibus libris. Non video tamen, quod idem vir doctus contendit, alienissimum esse vulg. *receptis quidem*, quod post vocabula *secreto* et *solus* valet *et quidem* vel *eosque*. Casaubonus scripsit *receptisque*, quod eodem redit. Conf. omnino Xiphil. LXVII, 12.

9. *Epaphroditum a libellis*. Vide Neron. 49. De re Xiphil. LXVII, 14.

XV. 1. *Flavium Clementem;* Flavii Sabini, fratris Vespasiani, filium, fratrem Flavii Sabini, de quo dictum ad cap. 10. Cf. Xiphil.

contemtissimæ inertiæ, cujus filios, etiam tum parvulos, successores palam destinaverat, et abolito priore nomine, alterum *Vespasianum* appellari jusserat, alterum *Domitianum*, repente ex tenuissima suspicione tantum non in ipso ejus consulatu [2] interemit. Quo maxime facto maturavit sibi exitium [3]. Continuis octo mensibus tot fulgura facta nunciataque sunt, ut exclamaverit, « Feriat jam, quem volet [4]. » Tactum de cælo Capitolium, templumque Flaviæ gentis: item domus Palatina, et cubiculum ipsius: atque etiam e basi statuæ triumphalis titulus excussus vi procellæ in monumentum proximum decidit. Arbor, quæ privato adhuc Vespasiano eversa [5] surrexerat, tunc rursus repente corruit. Prænestina Fortuna [6], toto imperii spatio annum novum commendanti lætam eandemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit, nec sine sanguinis mentione. 7 Minervam,

LXVII, 14. Christianæ religionis cultorem fuisse Clementem, et aliunde constat, et Xiphilinus ipse docet. Nullo tamen modo hoc colligendum ex verbis *contemtissimæ inertiæ* recte contendit Ernestius, quum ea non criminis vel calumniæ rationem, sed contrarium, alienissimum fuisse ab omni graviori molimine Clementem, ut ignavissimum hominem, ex auctoris mente significent; quamquam id quoque concedendum, abstinere a rebus publicis imperiique cupiditate, et negligere vanorum contemtum hominum, esse ex ingenio nostræ religionis, iisque adeo verbis prodi Christianum. Ceterum vide Reimar. ad Xiphil. l. c. Celebravit Clementem etiam KLOPSTOCK, Messiad. X, 310 seq.

2. *Tantum non in ipso... consulatu.* Xiphil. l. c. ὑπατεύοντα. Puto, accusatum fuisse Clementem adhuc Consulem, interemtum autem deposito magistratu. Conf. Philostr. VIII, 10.

3. *Exitium.* Al. *exitum.* Vide Duker. et Oudendorp.

4. *Quem volet.* Certum mihi est, legendum esse *quum volet.* Sunt enim verba quasi desperantis. Ceterum cum aliis acquiesco in lectione *fulgura facta*, quam fuere qui mutarent in *jacta.*

5. *Arbor, quæ... surrexerat.* Vide Vespas. cap. 5.

6. *Prænestina Fortuna.* Cf. Tiber. cap. 63. — *Commendanti;* precibus, votis suis.

7. *Minervam*, etc. Conf. Xiphil. LXVII, 16. Minervam præ reliquis Diis eum coluisse, vidimus etiam ad cap. 4.

quam superstitiose colebat, somniavit excedere sacrario, negantem, ultra se tueri eum posse, quod exarmata esset a Jove. Nulla tamen re perinde commotus est, quam responso casuque Ascletarionis mathematici[8]. Hunc delatum, nec infitiantem jactasse se, quæ providisset ex arte, sciscitatus est, quis ipsum maneret exitus: et affirmantem, « fore, ut brevi laceraretur a canibus, » interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissime imperavit. Quod quum fieret, evenit, ut, repentina tempestate dejecto funere, semiustum cadaver discerperent canes, idque ei cœnanti a mimo Latino[9], qui præteriens forte animadverterat, inter ceteras diei fabulas referretur.

XVI. Pridie quam periret, quum oblatos tuberes servari jussisset in crastinum, adjecit, « si modo uti licuerit: » et conversus ad proximos affirmavit, « fore, ut sequenti die Luna se in Aquario cruentaret, factumque aliquod exsisteret, de quo loquerentur homines per terrarum orbem. » Ad mediam noctem ita est exterritus, ut ex strato prosiliret. Dehinc mane haruspicem, ex Germania missum[1], qui consultus de fulgure mutationem rerum prædixerat, audiit condemnavitque. Ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementius scalpit, profluente san-

8. *Responso... Ascletarionis mathematici*. Cf. Xiphil. cap. cit. Pro *dejecto funere*, Oudendorp. suadet *disjecto;* malle tamen se amplecti fatetur Ernestii conjecturas *derelicto* vel potius *deserto*, quod verum censet. Verum, quum *funus* sæpius dicatur de cadavere simul cum toto apparatu funebri, hoc etiam loco rogum simul cum cadavere, et quæ reliqua ad instruendum funus pertinebant, intelligo, et acquiesco in vulgata. Quod enim Græci mansisse cadaver in rogo, dicunt, id haud satis grave existimo ad textum sine libris immutandum.

9. *A mimo Latino*. Hic *Latinus* (nomen enim est mimi) memoratur Juvenal. Sat. I, 36 (cf. Schol. ad Sat. IV, 53), Martial. Epigr. I, 5, et IX, 29, ubi ejus epitaphium legitur.

XVI. 1. *Dehinc.... haruspicem*, *ex Germania missum*, etc. Larginum Proculum dicit Xiphil. cap. cit. ubi vide.

guine, « Utinam, » inquit, « hactenus ! » Tunc horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, sexta ex industria nunciata est[2]. His, velut transacto jam periculo, lætum, festinantemque ad corporis curam, Parthenius[3] cubiculo præpositus convertit, nuncians esse, qui magnum nescio quid afferret, nec differendum. Itaque, summotis omnibus, in cubiculum se recepit, atque ibi occisus est.

XVII. De insidiarum cædisque genere hæc fere divulgata sunt. Cunctantibus conspiratis, quando et quomodo, [id est[1],] lavantemne, an cœnantem aggrederentur; Stephanus[2], Domitillæ procurator, et tunc interceptarum pecuniarum reus, consilium operamque obtulit. Ac sinisteriore brachio, velut ægro, lanis fasciisque per aliquot dies ad avertendam suspicionem obvoluto, ad ipsam horam dolonem interjecit[3]: professusque conspirationis indicium, et ob hoc admissus, legenti traditum a se libellum, et attonito, suffodit inguina[4]. Saucium ac repugnantem adorti Clodianus cornicularius[5], et Maximus, Par-

2. *Sexta... nunciata est;* scil. ab eo, ut opinor, inquit Ernestius, qui missus erat in Forum ad solarium, ut videret, quota hora diei esset.

3. *Parthenius*, etc. de quo Victor, Epit. 11, et Xiphil. LXVII, 15.

XVII. 1. [*Id est*]. Pro glossemate habere hæc verba malim cum Burmann. quam mutare cum Ernestio in *item*, quod novam consultandi materiam inferret, quum tamen verba *lavantem* et *cœnantem* saltem ad τὸ *quando* respiciant, quodammodo etiam pro loco diverso τὸ *quomodo* suppeditent.

2. *Stephanus*, etc. de quo Philostr. VIII, 10. *Domitillam* autem, filiam Domitillæ, sororis Domitiani, uxorem Flavii Clementis fuisse, vidimus ad Vesp. 3, et supra c. 15.

3. *Ad ipsam horam dolonem interjecit;* h. e. ea ipsa hora, qua facinus perpetrandum erat, pugionem fasciis interposuit. *Dolonem* ex conjectura Ferrarii pro vulg. *dolum* receperunt Ern. et Oudend., confirmante Philostrato, apud quem pro *ξίφος ὑφόρας*, etc. Baumgart. legendum existimat *ὑφήκας* vel *ὑφεί-κας*, vel, quod verissimum ducit, *ὑφειώκας*, de qua forma, etiam in N. T. obvia, vide Fischer. Anim. ad Well. part. I, pag. 107.

4. *Suffodit inguina*. Cf. Xiphil. LXVII, 17; Philostr. l. c.

5. *Cornicularius*. *Corniculis* equites ob virtutem insignitos, legimus apud Liv. X, 44. Inde altiorem militiæ gradum habebant *cornicula-*

thenii libertus, et Saturius [6], Decurio cubiculariorum, et quidam e gladiatorio ludo, vulneribus septem contrucidarunt [7]. Puer, qui aræ Larium cubiculi ex consuetudine assistens [8], interfuit cædi, hoc amplius narrabat, jussum se a Domitiano ad primum statim vulnus pugionem pulvino subditum porrigere, ac ministros vocare, neque ad caput quicquam, excepto capulo, et præterea clausa omnia reperisse [9]: atque illum interim, correpto [10] deductoque ad

rii, et erant fere accensi Centurionum, unde cornicularius Centurionis apud Valer. Maxim. VI, 1, 11. Fuisse autem cornicularios etiam vigilum, et cohortium urbanarum, et Præfecti adeo Prætorio, docet Ondendorpius contra Ernestium, conjicientem h. l. *cubicularius*, quum parum convenire ei putaret cornicularium, legionariæ militiæ hominem.

6. *Saturius*. Corruptum haud dubie nomen. Idem enim est homo, qui Xiphil. LXVII, 15, Σιγηρὸς vel Σιγήριος dicitur, *Sigerius* Martial. IV, 79, et Tertullian. Apolog. cap. 35, et Victori, Epit. XII, 14, *Casperius*. Cf. Reimar. ad l. c. — *Decurio cubiculariorum* nominatur, ut *Decurio lecticariorum* in inscriptione, quam comparavit Torrent., et *Decurio Palatii* apud Ammian. XX, 4.

7. *Contrucidarunt*. Vide Xiphil. LXVII, 17.

8. *Qui aræ Larium... assistens*. Recepimus cum Wolfio emendationem Ernestii, Oudendorpio etiam probatam. Vulg. « qui *curæ*... assistens. » Burmann. minus feliciter, « *cui cura* Larium cubiculi. » Ingeniosa est conjectura Mulleri, Observ. pag. 19, « qui *cura* Larium... interfuit, » ut *cura* sit pro *curatore*, collatis Ovid. Heroid. I, 104:

Tertius immundæ *cura* fidelis haræ,

et Trebell. Poll. Claud. 12, ubi inter officia domus Augustæ *cura Prætorii* genere mascul. memoratur. Conf. ibi Salmas. *Assistens* ita absolute dicitur, vel supplendum e proximo *Laribus*. Pace tamen viri doctissimi id regero, Ovidii locum, ut poetæ, minus valere in historico, et *curæ* nomen apud Trebellium partim recentioris videri usus, partim non convenire servo in diverso officio. Ut ingenue dicam de mea sententia, genuinum puto *curæ*, h. e. *cultui*, sacro, quod Laribus fiebat.

9. *Neque... reperisse*. Ademerat ferrum Parthenius, auctore Xiphil. LXVII, 17. *Clausa omnia*, scil. cubicula ministrorum. Pertinet enim ad *jussum se... ministros vocare*.

10. *Correpto*. Oudendorp. edidit cum aliquot libris *arrepto*. Mox *conatur* est ex emendatione Salmasii pro vulg. *conatum*, quod ferri tantum potest omisso *dum*; idque vere abest in plerisque libris, fortasse ex medela librariorum. Correctio Ernestii *dum... conaretur* ne Latina quidem est. De lucta Domitiani vide Xiphil. loco supra cit. et Philostr. VIII, 10.

terram Stephano, colluctatum diu, dum modo ferrum extorquere, modo, quamquam laniatis digitis, oculos effodere conatur. Occisus est quarto decimo Kalendas Octobris [11], anno ætatis quinto et quadragesimo, imperii quinto decimo [12]. Cadaver ejus, populari sandapila per vespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funeravit [13]; sed reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribusque Juliæ, Titi filiæ [14], quam et ipsa educarat, commiscuit.

XVIII. Statura fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: præterea pulcher ac decens, maxime in juventa, et quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat; postea calvitio quoque deformis [1], et obesitate ventris, et crurum gracilitate: quæ tamen ei valetudine longa remacruerant [2]. Commendari se verecundia oris [3] adeo sentiebat, ut apud Senatum sic quondam jactaverit: « Usque adhuc certe animum meum probastis, et vultum. » Calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco vel jurgio objectaretur; quamvis libello, quem *de Cura Capillorum* ad ami-

11. *Quarto decimo Kalendas Octobris;* A. U. 849, natus die 24 Septembr. ann. 804, ut adeo accuratissime Xiphilin. LXVII, 18, ἔζησεν ἔτη τέσσαρα καὶ τεσσαράκοντα, μῆνας δέκα, καὶ ἡμέρας ἓξ καὶ εἴκοσιν. Cf. Reimar. ad h. l.

12. *Imperii quinto decimo;* Xiphil. ἐμονάρχησεν ἔτη πεντεκαίδεκα καὶ ἡμέρας πέντε (a 13 Sept. ann. 834, ad 18 Sept. ann. 849).

13. *Phyllis... funeravit.* Cf. Xiphil. loc. cit.

14. *Juliæ, Titi filiæ;* de qua vide cap. 22.

XVIII. 1. *Postea calvitio quoque deformis;* unde *calvus Nero* dictus Juvenal. Sat. IV, 37.

2. *Quæ tamen ei... remacruerant;* h. e. ad priorem maciem redierant. Neque enim pro simplici *macruerant* positum hoc verbum existimamus cum Ernest., neque cum Burmanno corrigendum *emacruerant*, quod placuit tamen Dukero et Oudendorpio.

3. *Verecundia oris;* hoc est, *vultu modesto*, ut antea dictum erat. — Pro *sentiebat*, Heinsius malebat *gestiebat*.

cum edidit, hæc etiam, simul illum seque consolans, inseruerit:

Οὐχ ὁράᾳς[4], οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε;

« Eadem me tamen manent capillorum fata, et forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias, nec gratius quicquam decore, nec brevius. »

XIX. Laboris impatiens[1], pedibus per Urbem non temere ambulavit: in expeditione et agmine equo rarius, lectica assidue vectus est. Armorum nullo, sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu[2] conficientem spectavere plerique; atque etiam ex industria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua efficeret. Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisque pro scopo dispansam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit[3], ut omnes per intervalla digitorum innocuæ evaderent.

XX. Liberalia studia imperii initio neglexit, quamquam bibliothecas[1] incendio absumtas impensissime reparare curasset, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque. Nun-

4. Οὐχ ὁράᾳς, etc. Ex Homer. Iliad. XXI, 108.

XIX. 1. *Laboris impatiens.* Cf. Xiphil. LXVII, 6.

2. *In Albano secessu.* Vide supra ad cap. 4. Mox pro *efficeret*, al. *effingeret*. Nimis quæsitum hoc videtur; tamen, nisi ortum est ex corrupto *effigeret*, ut Oudendorp. putat, vix pro glossa habendum.

3. *Sagittas... direxit*, etc. Victor, Epit. 11, « Sagittarum tam doctus fuit, ut inter patentes digitos extentæ manus viri procul positi spicula ejus transvolarent. » — *Puerum*, ut assolet, *servum* intellige. — *Innocuæ*. Al. *innocue*, quod ex antiquo scribendi modo idem est, quod *innocuæ*.

XX. 1. *Quamquam bibliothecas*, etc. Idem Victor, l. c. « Bibliothecas incendio consumtas, petitis undique, præsertim Alexandria exemplis, reparavit. » Quum maximam Ptolemæi Philadelphi bibliothecam bello Cæsaris Alexandrino combustam constet, vera sine dubio Burmanni ratio, qui Pergamenam h.

quam tamen aut historiæ, carminibusve noscendis, operam ullam, aut stilo vel necessario dedit[2]. Præter commentarios et acta Tiberii Cæsaris[3] nihil lectitabat: epistolas, orationesque, et edicta alieno formabat ingenio: sermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium. « Vellem, » inquit, « tam formosus esse, quam Metius[4] sibi videtur. » Et cujusdam caput, varietate capilli subrutilum et incanum, « perfusam nivem mulso » dixit.

XXI. « Conditionem Principum miserrimam » aiebat, « quibus de conjuratione comperta non crederetur[1], nisi occisis. » Quoties otium esset, alea se oblectabat, etiam profestis diebus, matutinisque horis[2]: ac lavabat de die, prandebatque ad satietatem; ut non temere super cœnam, præter Matianum malum[3], et modicam in ampulla potiunculam sumeret. Convivabatur frequenter ac large, sed pæne raptim: certe non ultra solis occasum, nec ut postea

l. intelligit, ab Antonio Cleopatræ donatam et Alexandriam translatam.

2. *Nunquam tamen... dedit*. Privatus enim simulavit tantum poeticæ studium (vide cap. 2). Poetarum, qui extollunt laudibus ejus eruditionem, neminem movebit adulatio. — *Noscendis*. Recepimus hoc cum Oudend. optimorum librorum fide. Al. *cognoscendis*, atque ita *cognoscere libellos* legitur Ill. Gramm. 24. Utrumque est ἀναγνῶναι, *legere*, idque cum studio.

3. *Præter commentarios et acta Tiberii Cæsaris*, etc. *Commentarius* est, *quem de vita sua summatim breviterque composuit Tiberius*. Cf. Tiber. 61. *Acta* autem ὑπομνήματα, *acta publica*. Vide Lips. ad Tacit. Annal. V, 4, et Vales. ad Excerpt. Peiresc. inserta Xiphilin. LXVII, 11.

4. *Metius*; de quo vide Vespas. 14, et Domit. 10.

XXI. 1. *Quibus... non crederetur*, etc. Eadem est sententia Dionis, LIV, 15. Repetiit Domitiani dictum Hadrianus, auctore Vulcat. Gall. in Vita Avidii Cassii, cap. 2.

2. *Etiam profestis diebus, matutinisque horis*; tempore, negotiis alias dato.

3. *Præter Matianum malum*. C. Matius, Augusti amicus, invenerat nemora tonsilia (Plin. Hist. Nat. XII, 2 [6]), et scripserat etiam de arte coquinaria (Colum. XII, 44). Ab eo conditore nomen accepit *malum Matianum*. Plin. XV, 14 (15); Macrob. Sat. II, 15; Colum. V, 10. Cf. Harduin. ad Plin.

comissaretur[4]. Nam ad horam somni nihil aliud, quam solus secreto deambulabat.

XXII. Libidinis nimiæ[1], assiduitatem concubitus, velut exercitationis genus, *clinopalen* vocabat. Eratque fama, quasi concubinas ipse develleret[2], nataretque inter vulgatissimas meretrices. Fratris filiam[3] adhuc virginem, oblatam in matrimonium sibi, quum devinctus Domitiæ nuptiis pertinacissime recusasset, non multo post alii collocatam, corrupit ultro, et quidem vivo etiam tum Tito: mox patre ac viro orbatam, ardentissime palamque dilexit, ut etiam causa mortis exstiterit, coactæ conceptum[4] a se abigere.

XXIII. Occisum eum populus indifferenter, miles gravissime tulit, statimque *Divum* appellare conatus est; paratus et ulcisci, nisi duces defuissent: quod quidem paulo post fecit, expostulatis ad pœnam pertinacissime cædis auctoribus[1]. Contra Senatus adeo lætatus est, ut, repleta certatim Curia, non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere lace-

4. *Comissaretur.* Vide ad Vitell. cap. 13.

XXII. 1. *Libidinis nimiæ.* Conf. Xiphil. LXVII, 6.

2. *Develleret;* h. e. velleret, depilaret. Inepte al. *divelleret.*

3. *Fratris filiam;* Juliam. Collocata fuerat Flavio Sabino (vide ad cap. 10), interemto a Domitiano. Conf. Xiphilin. LXVII, 3, ubi Reimarum, erroris arguentem Philostrat. qui VII, 7, post necem Sabini, ductam esse Juliam a Domitiano, nuptiásque ab Ephesiis celebratas tradit.

4. *Conceptum;* i. e. fœtum, substantive. Vide Duker. et Oudend. Plin. Epist. IV, 11, 6, « quum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset; nam vidua abortu periit, » ubi nullo modo admittenda emendatio Heinsii *nam biduo ab abortu periit.* Maxima enim vis est in verbo *vidua.* Ne gravida quidem esse debebat vidua. Cf. etiam Gesner. ad h. l. Ceterum, non dissentit Juvenal. Sat. II, 32,

Quum *tot abortivis* fecundam Julia vulvam
Solveret, et patruo similes effunderet offas.

Tot abortiva enim sunt medicamenta, quæ effecerunt abortum, non plures abortus. Vide ibi Rupert.

XXIII. 1. *Expostulatis..... cædis auctoribus.* Victor, Epit. XII, 14, « Milites, neglecto Principe, requisitos, Petronium (*Petron. Secundum*, Præfectum Prætorio, Eu-

raret: scalas etiam inferri[2], clypeosque et imagines ejus coram detrahi, et ibidem solo affligi juberet[3]; novissime, eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Ante paucos, quam occideretur, menses, cornix in Capitolio[4] elocuta est, ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit, qui ostentum sic interpretaretur:

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix,
Est bene, non potuit dicere: dixit, *Erit*.

Ipsum etiam Domitianum ferunt somniasse, gibbam sibi, pone cervicem, auream enatam, pro certoque habuisse, beatiorem post se lætioremque portendi Reipublicæ statum. Sicut sane brevi evenit, abstinentia et moderatione insequentium Principum.

trop. VIII, 1) uno ictu, Parthenium vero, demtis prius genitalibus et in os conjectis, jugulavere, redemto magnis sumtibus Casperio. »

2. *Scalas etiam inferri*, etc. Absona Casauboni est conjectura *Scalis*, scil. Gemoniis. — De *clypeis* sive imaginibus, tabulisque æneis, in quibus honorificæ inscriptiones, vide Lips. Excurs. et Oberlin. ad Tacit. Annal. II, 83; cf. Calig. 16.

3. *Et... solo affligi juberet*, etc. Plin. Paneg. 52: « Ergo istæ quidem æreæ et paucæ (Trajani) manent, manebuntque, quamdiu templum ipsum; illæ autem aureæ et innumerabiles (Domitiani) strage et ruina publico gaudio litaverunt. Juvabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sævire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur. Nemo tam temperans gaudii seræque lætitiæ, quin instar ultionis videretur, cernere laceros artus, truncata membra; postremo truces horrendasque imagines abjectas, excoctasque flammis; ut ex illo terrore et minis in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur. » Cf. Xiphil. LXVIII, 1, ubi Reimarum, de inscriptionibus exponentem, in quibus *erasum* Domitiani nomen. Macrob. Sat. I, 12, « Sed ubi infaustum vocabulum (Domitiani) ex omni ære vel saxo placuit *eradi*; menses quoque (vide ad cap. 13) usurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt. »

4. *Cornix in Capitolio*, etc. Victor, Epit. XIII, 10, de Trajano: « Quæ omnia eo majora visebantur, quod, per multos atque atroces tyrannos perdito atque prostrato statu Romano, in remedium tantorum malorum divinitus credebatur opportune datus; usque eo, ut adveniens imperium ejus pleraque mirifica denunciaverint. In quibus præcipuum cornix, e fastigio Capitolii Atticis sermonibus effata, καλῶς ἔσται. »

C. SUETONII TRANQUILLI

DE

ILLUSTRIBUS GRAMMATICIS

ET

DE CLARIS RHETORIBUS

LIBRI.

VITÆ

TERENTII, HORATII, LUCANI, PLINII, JUVENALIS, PERSII,

ET

FRAGMENTA.

27.

C. SUETONII TRANQUILLI

DE

ILLUSTRIBUS GRAMMATICIS

LIBER.

I. Grammatica Romæ ne in usu quidem olim, nedum in honore ullo erat: rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magno opere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque ejus mediocre exstitit: siquidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poetæ et oratores semigræci erant (Livium et Ennium dico: quos utraque lingua domi forisque docuisse, adnotum est[1]), nihil amplius quam Græca interpretabantur: ac si quid Latine ipsi composuissent, prælegebant. Nam, quod nonnulli tradunt, duos libros *de literis syllabisque*, item *de metris*, ab eodem Ennio editos, jure arguit Lucius Cotta, non poetæ, sed posterioris Ennii esse: cujus etiam *de augurandi disciplina* volumina feruntur.

II. Primus igitur, quantum opinamur, studium Grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi æqualis, qui missus ad Senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem, quum regione Palatii, prolapsus in cloacæ foramen, crus fregisset, per omne legationis simul et valetu-

I. 1. *Adnotum est.* Gronovius reponit *adnotatum est*, quam emendationem probarunt Oudendorp, et Wolfius.

dinis tempus, plurimas ἀκροάσεις subinde fecit, assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent: ut CAIUS OCTAVIUS LAMPADIO Nævii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros: ut postea QUINTUS VARGUNTEIUS annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronunciabat: ut LÆLIUS ARCHELAUS, VECTIUS, QUINTUS PHILOCOMUS[1] Lucilii satiras, familiaris sui; quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenæus, apud Philocomum Valerius Cato, prædicant. Instruxerunt auxeruntque ab omni parte Grammaticam, LUCIUS ÆLIUS LANUVINUS, gener Quinti Ælii, SERVIUS CLODIUS, uterque Eques Romanus, multique ac varii et in doctrina et in Republica usus.

III. L. ÆLIUS cognomine duplici fuit: nam et PRÆCONINUS, quod pater ejus præconium fecerat, vocabatur, et STILO, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat: tantus optimatum fautor, ut Quintum Metellum Numidicum in exsilium comitatus sit. SERVIUS, quum librum soceri nondum editum fraude intercepisset, et ob hoc repudiatus, pudore ac tædio secessisset ab Urbe, in podagræ morbum incidit: cujus impatiens veneno sibi perunxit pedes, et enecuit ita, ut parte ea corporis quasi præmortua vixerit. Post hoc magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quo minus et ipsi aliquid de ea scriberent, utque

II. 1. *Vectius, Quintus Philocomus.* Probabilis emendatio Gronovii, *Vectiusque Philocomus.* De duobus tantum, Archelao et Philocomo, proxime est sermo. Idem mox suadet, «L. Ælius Lanuvinus, gener*que* Ælii, Servius Clodius.»

temporibus quibusdam super viginti celebres scholæ fuisse in Urbe tradantur; pretia[1] Grammaticorum tanta, mercedesque tam magnæ, ut constet, LUTATIUM DAPHNIDEM, quem LENÆUS MELISSUS per cavillationem nominis πανὸς ἀγάπημα[2] dicit, ducentis millibus nummum Quinto Catulo emtum, ac brevi manumissum: LUCIUM APPULEIUM ab Eficio Calvino, Equite Romano prædivite, quadringenis annuis conductum, multos edocuisse. Nam in provincias quoque Grammatica penetraverat, ac nonnulli de notissimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia Togata: inter quos OCTAVIUS TEUCER, et SISCENNIUS IACCHUS, et OPPIUS CHARES: hic quidem ad ultimam ætatem, et quum jam non gressu modo deficeretur, sed et visu.

IV. Appellatio *Grammaticorum* Græca consuetudine invaluit; sed initio *Literati* vocabantur. Cornelius quoque Nepos in libello, quo distinguit *literatum* ab *erudito*, « literatos quidem vulgo appellari » ait « eos, qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere, aut scribere: ceterum proprie sic appellandos poetarum interpretes, qui a Græcis γραμματικοί nominentur. » Eosdem *Literatores* vocitatos[1], Messala Corvinus in quadam epistola ostendit, « non esse sibi, » dicens, « rem cum Furio Biba culo, nec cum Sigida quidem, aut literatore Catone: » significat enim haud dubie Valerium Catonem, poetam simul Grammaticumque notissimum. Sunt, qui literatum a literatore distinguant, ut Græci Grammaticum a Grammatista; et illum quidem absolute, hunc mediocriter do-

III. 1. *Pretia*. Bene Codd. nonnulli addunt *vero*.

2. Πανὸς ἀγάπημα. Ita edidimus cum Bipont. Reliqui omnes ἄγημα. An forte ἄγασμα?

IV. 1. *Eosdem Literatores vocitatos*, etc. In aliis editionibus hæc verba ad præcedentia referuntur, distinctione ante *Messala* posita, omissoque verbo *ostendit*. Vitium jam correxerant Oudendorp. et Wolfius.

ctum existiment: quorum opinionem ORBILIUS etiam exemplis confirmat. Nam, « apud majores, » ait, « quum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem literatum in titulo, sed literatorem inscribi solitum esse: quasi non perfunctum literis, sed imbutum. » Veteres Grammatici et Rhetoricam docebant: ac multorum de utraque arte commentarii feruntur. Secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo, quamquam jam discretis professionibus, nihilominus vel retinuisse, vel instituisse et ipsos quædam genera institutionum ad eloquentiam præparandam, ut problemata, paraphrases, allocutiones [2], ethologias, atque alia hoc genus; ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri Rhetoribus traderentur: quæ quidem omitti jam video, desidia quorundam et infantia; non enim fastidio putem. Me quidem adolescentulo, repeto, quendam, Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis vero mane disserere, post meridiem, remoto pulpito, declamare solitum. Audiebam etiam memoria patrum, quosdam e Grammatici statim ludo transisse in Forum, atque in numerum præstantissimorum patronorum receptos. Clari professores, et de quibus prodi possit aliquid duntaxat a nobis, fere hi fuerunt.

V. SÆVIUS NICANOR primus ad famam dignationemque docendo pervenit: fecitque præter commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, satiram quoque; in qua libertinum se, ac duplici cognomine esse, per hoc indicat:

> Sævius Nicanor Marci libertus negabit,
> Sævius Postumius [1] idem; at Marcus docebit.

2. *Allocutiones*. Vulgo *elocutiones*.

V. 1. *Sævius Postumius*, etc. Ut metro consulerent, emendarunt Casaub. *Postumeius*, Gronov. *Postumianus*, Oudend. *Postulenus* vel

Sunt, qui tradant, ob infamiam quandam eum in Sardiniam secessisse, ibique diem obiisse.

VI. AURELIUS OPILIUS, Epicurei cujusdam libertus, Philosophiam primo, deinde Rhetoricam, novissime Grammaticam docuit. Dimissa autem schola, Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus, ibidem Smyrnæ simulque consenuit; composuitque variæ eruditionis aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis: qui, [1] quia scriptores ac poetas sub clientela Musarum judicaret, non absurde et scripsisse et fecisse se ait ex numero Divarum et appellatione. Hujus cognomen in plerisque indicibus et titulis per unam literam [2] scriptum animadverto: verum ipse id per duas effert in parastichide libelli, qui inscribitur *Pinax*.

VII. M. ANTONIUS GNIPHO, ingenuus, in Gallia natus, sed expositus; a nutritore suo manumissus, institutusque Alexandriæ quidem, ut aliqui tradunt, in contubernio Dionysii Scytobrachionis (quod equidem non temere crediderim, quum temporum ratio vix congruat); fuisse dicitur ingenii magni, memoriæ singularis, nec minus Græce, quam Latine doctus: præterea comi facilique natura, nec unquam de mercedibus pactus, eoque plura ex liberalitate discentium consecutus. Docuit primum in Divi Julii domo, pueri adhuc: deinde in sua privata. Docuit autem et

Postumuleius. Omnes igitur *idem* neutrum habuerunt. Ego *idem* masculinum esse puto, ideoque mutavi interpunctionem, hoc sensu: *Sævius Nicanor, qui idem Sævius Postumius*, quo ipso, duplici cognomine se esse, indicat. Ita ultima syllaba vocis *Postumius* producitur ob cæsuram in tertio pede. Mox cum Oudend. et Wolf. e libris dedimus *at*, cui substituerant *sed*, qui neglectam ecthlipsin ferre non potuerunt.

VI. 1. *Qui, quia;* hoc est, *ut qui, quippe qui*. Vanæ sunt emendationes vel falsæ, *quos quia* et *quæ quia*. Melius tamen oratio fluit, deleto *qui*, ut verba *novem unius corporis* referantur ad *scripsisse*.

2. *Per unam literam*. Gron. conjecit, *per unam L literam*. Sed geminari etiam potuit litera *p* in nomi-

Rhetoricam, ita ut quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret vero non nisi nundinis. Scholam ejus claros quoque viros frequentasse aiunt: in his Marcum Ciceronem, etiam quum prætura fungeretur. Scripsit multa, quamvis annum ætatis quinquagesimum non excesserit: etsi Atteius [1] Philologus duo tantum volumina *de Latino sermone* reliquisse eum tradit: nam cetera scripta discipulorum ejus esse, non ipsius: in quibus et suum alicubi reperiri nomen.

VIII. M. Pompilius Andronicus, natione Syrus, studio Epicureæ sectæ desidiosior in professione Grammaticæ habebatur, minusque idoneus ad tuendam scholam. Itaque, quum se in Urbe non solum Antonio Gniphoni, sed ceteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas transiit, ibique in otio vixit, et multa composuit: verum adeo inops atque egens, ut coactus sit præcipuum illud opusculum suum annalium Ennii elenchorum [1] sedecim millibus nummum cuidam vendere: quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandosque curasse nomine auctoris.

IX. Orbilius Pupillus Beneventanus, morte parentum, una atque eadem die inimicorum dolo interemtorum, destitutus, primo apparituram magistratibus fecit: deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit: functusque militia, studia repetiit [1], quæ jam inde a puero non leviter

ne Opilii. Cf. Turneb. Adv. XIII, 2.

VII. 1. *Atteius.* Vide cap. 10, ex quo loco patet, male confundi *Atteium Philologum* cum *Atteio Capitone* a Fabricio, ad Dion. LVII, 17. Mox *suum*, np. Atteii, male Burmann. cepit pro *ejus.*

VIII. 1. *Annalium Ennii elenchorum.* Vocab. *Ennii* non est in libris, sed intrusum ab editoribus, ut crisin operis Ennii scripsisse dicatur Andronicus. Equidem abesse malim, quum *annales elenchi* æque dici possint *indices annales*, atque Plinius hoc vocabulum usurpavit initio Historiæ Naturalis, vel continuerit opus Andronici crisin grammaticam aut historicam annalium Romanorum Ennii aliorumque.

IX. 1. *Repetiit.* Ita scribere non

attigerat: ac professus diu in patria, quinquagesimo demum anno Romam, Consule Cicerone, transiit; docuitque majore fama, quam emolumento. Namque jam persenex, pauperem se, et habitare sub tegulis, quodam scripto fatetur. Librum etiam, cui est titulus *Perialogos* [2], edidit, continentem querelas de injuriis, quas professores negligentia et ambitione [3] parentum acciperent. Fuit autem naturæ acerbæ, non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat, *plagosum* eum appellans [4], et Domitius Marsus scribens,

Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.

Ac ne principum quidem virorum insectatione abstinuit: siquidem ignotus adhuc, quum judicio frequenti testimonium diceret, interrogatus a Varrone [5], diversæ partis advocato, « quidnam ageret, et quo artificio uteretur? » « Gibberosos se de sole in umbram transferre, » respon-

dubitavimus, pro *repetit*. Antecedunt perfecta et sequuntur.

2. *Perialogos*. Non veram quidem puto hanc lectionem librorum, veriorem tamen omnibus conjecturis, αἰτιαλόγος, περὶ ἀγωγῆς, περιαυτολόγγος, παιδαγωγός. Certum mihi est, vocem Latinam corruptam esse ex περὶ ἀλόγων vel περὶ ἀλογίας: nam vocem περιάλογος formare non audeo. Suspicatus etiam sum, περὶ αὐτοῦ λόγος. Bipontini dederunt περιαλγής.

3. *Negligentia et ambitione*, etc. Ita scripsimus cum Wolfio, auctoribus libris. Vulg. *negligenter ab ambitione* nihili est.

4. *Plagosum eum appellans*; Epist. II, 1, 70.

5. *Interrogatus a Varrone*, etc. Macrob. Sat. II, 6: « In eumdem *Galbam* Orbilius Grammaticus acerbius irrisit. Prodierat Orbilius in reum testis; quem Galba ut confunderet, dissimulata professione ejus, interrogavit, *Quod artificium facis?* Respondit: *In sole gibbos soleo fricare.* » Cf. Galb. cap. 3. *Varronem Murenam*, de quo vide August. 19 et 56, Tiber. 8, non errore librariorum vel scriptoris, sed dissensu hic nominari, existimo. Quod desunt in antiqua editione *Varrone* et postea *Murena*, id emendatione fieri potuit. Necessario enim addere debuit scriptor nomen advocati, quod quum diversum in alio scriptore reperisset vir quidam eruditus, ut nostro fit tempore, delere maluit, quam mutare.

dit; quod Murena gibber erat. Vixit prope ad centesimum ætatis annum, amissa jam pridem memoria, ut versus Bibaculi docet,

Orbilius ubinam est, literarum oblivio?

Statua ejus Beneventi ostenditur in Capitolio, ad sinistrum latus, marmorea, habitu sedentis ac palliati, appositis duobus scriniis. Reliquit filium ORBILIUM, et ipsum Grammaticum professorem.

X. ATTEIUS PHILOLOGUS libertinus, Athenis natus. Hunc Capito Atteius, notus jurisconsultus, inter Grammaticos Rhetorem inter Rhetores Grammaticum fuisse ait. De eodem ASINIUS POLLIO in libro, quo Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, ita tradit: « In eam rem adjutorium ei fecit maxime quidam Atteius Prætextatus, nobilis Grammaticus Latinus, declamantium deinde adjutor atque præceptor, ad summam Philologus ab semet nominatus. » Ipse ad Lælium Hermam scripsit, « se in Græcis literis magnum processum habere, et in Latinis nonnullum: audisse Antonium Gniphonem, ejusque Hermam: postea docuisse. Præcepisse autem multis et claris juvenibus: in quibus Appio quoque et Pulchro Claudiis, fratribus, quorum etiam comes in provincia fuerit. » *Philologi* appellationem assumsisse videtur, quia, sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vindicavit, multiplici variaque doctrina censebatur; quod sane ex commentariis ejus apparet, quamquam paucissimi exstent: de quorum tamen copia sic altera ad eundem Hermam epistola significat: « Hylen nostram aliis memento commendare: quam omnis generis coegimus, uti scis, octingentos in libros. » Coluit postea familiarissime Caium Sallustium, et eo defuncto, Asinium Pollionem: quos historiam componere aggres-

sos, alterum breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus, quas vellet, eligeret, instruxit; alterum præceptis de ratione scribendi. Quo magis miror, Asinium Pollionem credidisse, antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio: quum sibi sciat nil aliud suadere, quam ut noto civilique et proprio sermone utatur, vitetque maxime obscuritatem Sallustii, et audaciam in translationibus.

XI. Valerius Cato, ut nonnulli tradiderunt, Burseni cujusdam libertus, ex Gallia: ipse libello, cui est titulus *Indignatio*, ingenuum se natum ait, et pupillum relictum, eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio. Docuit multos, et nobiles: visusque est peridoneus præceptor, maxime ad poeticam tendentibus, ut quidem apparere vel his versiculis potest:

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit[1], ac facit poetas.

Scripsit præter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus præcipue probantur *Lydia* et *Diana*. *Lydiæ* Ticida meminit:

Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianæ Cinna:

Secula permaneat nostri *Diana* Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie, et pæne inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus:

Si quis forte mei domum Catonis,
Depictas minio assulas, et illos

XI. 1. *Qui solus legit, ac facit poetas;* poetas interpretatur, explicat, auditoresque lectionibus suis poetas facit.

Custodis videt hortulos Priapi[2],
Miretur, quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam assecutus,
Quem tres cauliculi, et selibra farris,
Racemi duo, tegula sub una[3]
Ad summam prope nutriant senectam.

Et idem rursus :

Catonis modo, Galle, Tusculanum
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus, unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes solvere posse quæstiones,
Unum difficile expedire nomen.
En cor[4] Zenodoti, en jecur Cratetis!

XII. Cornelius Epicadus, Lucii Cornelii Sullæ Dictatoris libertus, Calatorque in sacerdotio augurali, filioque ejus Fausto gratissimus fuit: quare nunquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit.

XIII. Staberius Eros hero suo emtus de catasta, et propter literarum studium manumissus, docuit inter ceteros Brutum et Cassium. Sunt, qui tradant, tanta eum honestate præditum, ut temporibus Sullanis proscripto-

2. *Custodis videt hortulos Priapi.* Corrigunt : « *Custodes* videt *hortuli*, » vel « *hortulo Priapos*, » quo nescio an pereat aliqua pars leporis carminis. In plurali saltem *hortulos* non erat hærendum, quum plurali promiscue uti soleant poetæ pro singulari, et in hoc vocabulo frequentior etiam apud prosaicos pluralis sit usus. Cf. Heusinger. ad Cicer. de Offic. III, 14, 2. *Custodis Priapi* autem dicitur pro *Custode Priapo*, et in ipso hoc genitivo est lepos.

3. *Tegula sub una.* Conjecerunt *sub ima*, *sub uda*, *sub ipsa*, quæ vix prætulerim genuino *sub una*.

4. *En cor*, etc. *Cor* Latinis de prudentia dici notum est : *jecur*, eadem ingenii significatione positum, sensum fere mutato vocabulo geminat.

rum liberos gratis, et sine mercede ulla, in disciplinam receperit.

XIV. Curtius Nicia hæsit Cneo Pompeio et Caio Memmio: sed quum codicillos Memmii ad Pompeii uxorem de stupro pertulisset, proditus ab ea, Pompeium offendit, domoque ei interdictum est. Fuit et Marci Ciceronis familiaris; in cujus epistola ad Dolabellam[1] hæc de eo legimus: « Omnino mihi literæ magis sunt expetendæ a te, quam a me tibi. Nihil enim Romæ geritur, quod te putem scire curare, nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum et Vidium judicem esse. Profert alter, opinor, duobus versiculis expensum Niciæ: alter Aristarchus hos ὀβελίζει. Ego tanquam criticus antiquus judicaturus sum, utrum sint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. » Item ad Atticum[2]: « De Nicia quod scribis, si ita me haberem, ut ejus humanitate frui possem, in primis vellem illum mecum habere; sed mihi solitudo et recessus provincia est: quod quia facile ferebat Sica, eo magis illum desidero. Præterea nosti Niciæ nostri imbecillitatem, mollitiem, consuetudinem victus. Cur ergo illi molestus esse velim, quum mihi ille jucundus esse non possit? Voluntas tamen ejus mihi grata est. » Hujus de Lucilio libros etiam satira comprobat.

XV. Lenæus, Pompeii Magni libertus, et pæne omnium expeditionum comes, defuncto eo filiisque ejus, schola se sustentavit: docuitque in Carinis, ad Telluris ædem, in qua regione Pompeiorum domus fuerat: ac

XIV. 1. *In cujus epistola ad Dolabellam*, etc. ad Divers. IX, 10. — *Expetendæ*. Apud Ciceronem legitur: « Omnino mihi magis literæ sunt *exspectandæ* a te, quam a me tibi. »

2. *Item ad Atticum;* XII, 26. Schutzius, apud quem est T. V. ep. DXLIV, pro *recessus provincia est*, conjicit « recessus *pro victu* est, » quod non credo Ciceronem æquo animo obtrudi sibi passum esse pro dicto acuto, quo vitam otiosam, pro administratione Reipublicæ temporum injuria sibi impositam, salse ridet.

tanto amore erga patroni memoriam exstitit, ut Sallustium historicum, quod eum « oris improbi, animo inverecundo, » scripsisset, acerbissima satira laceraverit, « lastaurum » et « lurconem, » et « nebulonem popinonemque » appellans, et « vita scriptisque monstrosum; » præterea « priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem. » Traditur autem puer adhuc Athenis subreptus [1], refugisse in patriam; perceptisque liberalibus disciplinis, pretium suum domino retulisse, verum ob ingenium et doctrinam gratis manumissus.

XVI. Q. Cæcilius Epirota, Tusculi natus, libertus Attici, Equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, quum filiam patroni, nuptam Marco Agrippæ, doceret, suspectus in ea, et ob hoc remotus, ad Cornelium Gallum se contulit: vixitque una familiarissime, quod ipsi Gallo inter gravissima crimina ab Augusto objicitur. Post deinde damnationem mortemque Galli, scholam aperuit; sed ita, ut paucis, et tantum adolescentibus præciperet, prætextato nemini, nisi si cujus parenti hoc officium negare non posset. Primus dicitur Latine ex tempore disputasse, primusque Virgilium et alios poetas novos prælegere cœpisse, quod etiam Domitii Marsi versiculus indicat,

Epirota, tenellorum nutricula vatum.

XVII. Verrius Flaccus, libertinus, docendi genere maxime inclaruit. Namque ad exercitanda discentium ingenia æquales inter se committere solebat, proposita non solum materia, quam scriberent, sed et præmio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior. Quare ab Augusto quoque nepotibus ejus præceptor electus, transiit in Palatium cum tota schola; ve-

XV. 1. *Athenis subreptus.* Hæc Heinsii est emendatio. Vulg. *catenis*, quod nullum vel impeditum sensum præbet. Gron. conjicit *Catinæ*. Certum hoc videtur, de quacumque regione sermonem hic esse.

rum, ut ne quem amplius posthac discipulum reciperet: docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat, et sestertia centena in annum accepit. Decessit ætatis exactæ, sub Tiberio. Statuam habet Præneste, in inferiore Fori parte, contra hemicyclium: in quo fastos, a se ordinatos, et marmoreo parieti incisos [1], publicarat.

XVIII. L. Crassitius, genere Tarentinus, ordinis libertini, cognomine Pasicles, mox Pansam se transnominavit. Hic initio circa scenam versatus est, dum mimographos adjuvat: deinde in pergula [1] docuit, donec commentario Smyrnæ edito [2] adeo inclaruit, ut hæc de eo scriberentur:

> Uni Crassitio se credere Smyrna probavit:
>   Desinite, indocti, conjugio hanc petere.
> Soli Crassitio se dixit nubere velle:
>   Intima cui soli nota sua exstiterint.

Sed quum edoceret jam multos ac nobiles, in his Julium Antonium, Triumviri filium, ut Verrio quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola, transiit ad Q. Sextii philosophi sectam.

XIX. Scribonius Aphrodisius, Orbilii servus atque discipulus, mox a Scribonia, Libonis filia, quæ prior Augusti uxor fuerat, redemtus et manumissus, docuit, quo Verrius, tempore, cujus etiam libris *de Orthographia* rescripsit, non sine insectatione studiorum morumque ejus.

XX. C. Julius Hyginus, Augusti libertus, natione Hispanus (etsi nonnulli Alexandrinum putant, et a Cæsare

XVII. 1. *In inferiore Fori parte.... incisos.* Fogginius, qui illustravit Fastos Prænestinos, ex tribus Codd. Vatic. hanc varietatem attulit: « in *superiore* Fori parte *circa* hemicyclium *marmori perite* incisos. » Hoc probat Wolfius.

XVIII. 1. *In pergula.* Cf. ad August. cap. 94.

2. *Donec commentario Smyrnæ edito*, etc. hoc est, ὑπομνήμασι de urbe Smyrna rebusque Smyrnæorum, quod patet ex ultimo versu poematii.

puerum Romam advectum, Alexandria capta), studiose et audiit et imitatus est Cornelium Alexandrum, Grammaticum Græcum: quem propter antiquitatis notitiam *Polyhistorem* multi, quidam *Historiam* vocabant. Præfuit Palatinæ bibliothecæ: nec eo secius plurimos docuit: fuitque familiarissimus Ovidio poetæ, et Caio Licinio consulari, historico; qui eum admodum pauperem decessisse tradit, et liberalitate sua, quoad vixerit, sustentatum. Hujus libertus fuit Julius Modestus, in studiis atque doctrina vestigia patroni secutus.

XXI. C. Melissus, Spoleti natus, ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, cura et industria educatoris sui altiora studia percepit, ac Mæcenati pro Grammatico muneri datus est. Cui quum se gratum et acceptum in modum amici videret, quamquam asserente matre, permansit tamen in statu servitutis, præsentemque conditionem veræ origini anteposuit. Quare cito manumissus, Augusto etiam insinuatus est; quo delegante, curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit. Atque, ut ipse tradit, sexagesimum ætatis annum agens, libellos *Ineptiarum*, qui nunc *Jocorum* inscribuntur, componere instituit: absolvitque centum et quinquaginta, quibus et alios diversi operis postea addidit. Fecit et novum genus Togatarum [1], inscripsitque *Trabeatas*.

XXII. M. Pomponius Marcellus, sermonis Latini exactor molestissimus, in advocatione quadam (nam interdum et causas agebat) solœcismum ab adversario factum usque adeo arguere perseveravit, quoad Cassius Severus, interpellatis judicibus, dilationem petiit: « ut litigator

XXI. 1. *Novum genus Togatarum;* scilicet fabularum. *Trabeæ* ab Equitibus, et in luctu etiam gestabantur (vide supra Domit. cap. 14, et Lips. ad Tacit. Annal. III, 2), quod facere potest ad indagandam nominis novi fabularum generis causam.

suus, alium Grammaticum adhiberet; quando non [1] putat is, cum adversario de jure sibi, sed de solœcismo, controversiam futuram. » Hic idem, quum ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Atteio Capitone, « et esse illud Latinum, et, si non esset, futurum certe jam inde: » « Mentitur, » inquit, « Capito. Tu enim, Cæsar, civitatem dare potes hominibus, verbo non potes. » Pugilem olim fuisse, Asinius Gallus hoc in eum epigrammate ostendit:

Qui caput ad lævam didicit [2], glossemata nobis
Præcipit: os nullum, vel potius pugilis!

XXIII. Remmius Palæmon, Vicentinus, mulieris verna, primo, ut ferunt, textrinum, deinde herilem filium dum comitatur in scholas, literas didicit: postea manumissus, docuit Romæ: ac principem locum inter Grammaticos tenuit, quamquam infamis omnibus vitiis, palamque et Tiberio, et mox Claudio, prædicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam: sed capiebat homines quum memoria rerum, tum facilitate sermonis: nec non poemata faciebat ex tempore. Scripsit et variis, nec vulgaribus metris. Arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem *porcum* appellaret; secum et natas, et morituras literas, jactaret; nomen suum in Bucolicis [1] non temere positum, sed præsagiente Virgilio, fore quandoque omnium poetarum ac poematum Palæmonem judicem. Gloriabatur etiam, latrones quondam sibi propter nominis celebritatem parsisse. Luxuriæ ita indulsit, ut

XXII. 1. *Quando non putat*, etc. Transitus ab oratione obliqua ad rectam fere Græcus.

2. *Qui caput ad lævam didicit.* Præceptum fuisse videtur gladiatorium *caput ad lævam*, quod nos ignoramus, unde verbum *didicit*, cui opponitur *Præcipit.* Wolfius tamen præfert *deicit* vel *reicit* (pro *dejicit*, *rejicit*). *Os nullum* idem interpretatur *indisertum*, quod unice verum.

XXIII. 1. *In Bucolicis*; Ecloga tertia.

sæpius in die [2] lavaret; nec sufficeret sumtibus, quamquam ex schola quadragena annua caperet, ac non multo minus ex re familiari, cujus diligentissimus erat, quum et officinas promercalium vestium exerceret, et agros, adeo coleret, ut vitem, manu ejus institutam, satis constet trecenta sexaginta quinque vasa [3] edidisse. Sed maxime flagrabat libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris: dictoque non infaceto notatum ferunt cujusdam, qui, quum in turba osculum sibi ingerentem, quamquam refugiens, devitare non posset, « Vis tu, » inquit, « magister, quoties festinantem aliquem vides, abligurrire? »

XXIV. M. Valerius Probus, Berytius, diu centuriatum petiit, donec tædio ad studia se contulit. Legerat in provincia quosdam veteres libellos apud Grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum memoria, necdum omnino abolita, sicut Romæ. Hos quum diligentius repetere, atque alios deinceps cognoscere cuperet, quamvis, omnes contemni, magisque opprobrio legentibus, quam gloriæ et fructui esse, animadverteret, nihilominus in proposito mansit: multaque exemplaria contracta emendare, ac distinguere, et annotare curavit, soli huic, nec ulli præterea Grammatices parti, deditus. Hic non tam discipulos, quam sectatores aliquot, habuit. Nunquam enim ita docuit, ut magistri personam sustineret. Unum vel alterum, vel, quum plurimos, tres aut quatuor, postmeridianis horis admittere solebat, cubansque, inter longos ac vulgares sermones, legere quædam, idque perraro. Nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quæstiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui.

2. *Ut sæpius in die*, etc. An *in dies*, καθ' ἡμέραν;

3. *Vasa*. Wolf. probat Ursini conjecturam *uvas*.

C. SUETONII TRANQUILLI

DE

CLARIS RHETORIBUS

LIBER.*

I. RHETORICA quoque apud nos, perinde atque Grammatica, sero recepta est, paulo etiam difficilius, quippe quam constet nonnunquam etiam prohibitam exerceri. Quod ne cui dubium sit, vetus Senatusconsultum [1], item Censorium edictum, subjiciam: « Caio Fannio Strabone, M. Valerio Messala, Consulibus, Marcus Pomponius Prætor Senatum consuluit. Quod verba facta sunt de Philosophis et de Rhetoribus, de ea re ita censuerunt: Ut M. Pomponius Prætor animadverteret, curaretque, uti ei

* Codices aliquot hunc indicem rhetorum, de quibus liber egit, præfigunt: *L. Plotius Gallus. L. Otacilius Pilitus. Epidius. Sex. Clodius. C. Albutius Silus. L. Cæstius Pius. M. Porcius Latro. Q. Curtius Rufus. L. Valerius Primanus. Virginius Flavus. L. Statius Ursulus. P. Clodius Quirinalis. M. Antonius Liberalis. Sex. Julius Gabinianus. M. Fabius Quintilianus. Julius Tiro.* Maximam hujus libri partem periisse apparet, satis magno quidem nostro detrimento, quantum colligere licet ex nonnullis nominibus, quorum nobis historiam cum aliis tot bonis tempus invidit.

I. 1. *Vetus Senatusconsultum*, etc. Memorat etiam Gell. Noct. Att. XV, 11, qui quum de philosophis et rhetoribus *Latinis* factum dicit, gravem adversarium nactus est Pighium (Annal. tom. II, pag. 410, ad A. U. 392), conjicientem, *Latinis* ibi corruptum ex *inquilinis*. De *Græcis* illud agere, censent etiam Casaub. et Wolf. ad loc. nost. præsertim quum edicto censorio, mox citato, *novum* dicatur *genus* rhetorum Latinorum, septuagesimo anno post illud Senatusconsultum.

e Republica fideque sua videretur, ut Romæ ne essent. » De iisdem [2], interjecto tempore, Cneus Domitius Ænobarbus, et Lucius Licinius Crassus, Censores, ita edixerunt: « Renunciatum est nobis, esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt: ad quos juventus in ludum conveniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetoras: ibi homines adulescentulos totos dies desidere. Majores nostri, quæ liberos suos discere, et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter et iis, qui eos ludos habent, et iis, qui eo venire consuerunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. » Paulatim et ipsa utilis honestaque apparuit: multique eam præsidii causa et gloriæ appetiverunt. CICERO ad præturam usque Græce declamavit: Latine vero senior quoque, et quidem Consulibus [3] Hirtio et Pansa; quos discipulos, et grandes prætextatos, vocabat. CNEUM POMPEIUM quidam historici tradiderunt, sub ipsum civile bellum, quo facilius Caio Curioni, promtissimo juveni, causam Cæsaris defendenti, contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem; MARCUM ANTONIUM, item AUGUSTUM, ne Mutinensi quidem bello omisisse. NERO CÆSAR et primo imperii anno, publice quoque bis antea, declamavit: plerique autem oratorum etiam declamationes ediderunt. Quare magno studio hominibus injecto, magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima

2. *De iisdem*, etc. *De coercendis rhetoribus latinis* Gell. loc. cit. Cf. Pigh. tom. III, p. 212, ad ann. 661.

3. *Et quidem Consulibus*, etc. Al. *cum Consulibus*. Wolf. recepit *cum*, et uncinis inclusit vocem *Consulibus*, et per errorem Suetonium *Pansam* nominasse pro *Dolabella*, censet ex Cic. ad Div. IX, 16, « *Hirtium* ego et *Dolabellam* dicendi discipulos habeo. » Mihi ipsum Pansæ nomen ostendere videtur, veram esse lectionem *Consulibus Hirtio et Pansa*.

fortuna in ordinem senatorium, atque ad summos honores processerint. Sed ratio docendi nec una omnibus, nec singulis eadem semper fuit, quando vario modo quisque discipulos exercuerunt. Nam et dicta præclare, per omnes figuras, per casus, et apologos, aliter atque aliter exponere, et narrationes tum breviter et presse, tum latius et uberius explicare consuerant: interdum Græcorum scripta convertere, ac viros illustres laudare, vel vituperare: quædam etiam ad usum communis vitæ instituta, tum utilia et necessaria, tum perniciosa et supervacanea ostendere: sæpe fabulis fidem firmare, aut historiis demere; quod genus θέσεις et ἀνασκευὰς et κατασκευὰς Græci vocant: donec sensim hæc exoleverunt, et ad controversiam ventum est. Veteres *Controversiæ* aut ex historiis trahebantur; sicut sane nonnullæ usque adhuc: aut ex veritate ac re, si qua forte recens accidisset. Itaque, locorum etiam appellationibus adjectis, proponi solebant. Sic certe collectæ editæque se habent: ex quibus non alienum fuerit, unam et alteram, exempli causa, ad verbum referre: « Æstivo tempore adolescentes urbani quum Ostiam venissent, litus ingressi, piscatores trahentes rete adierunt, et pepigerunt, bolum quanti emerent: nummos solverunt: diu exspectaverunt, dum retia extraherentur: aliquando extractis, piscis nullus infuit, sed sporta auri obsuta. Tum emtores bolum suum aiunt, piscatores suum. » « Venalicii quum Brundisii gregem venalium e navi educerent, formoso et pretioso puero, quod portitores[4] verebantur, bullam et prætextam togam imposuere: facile fallaciam celarunt. Romam venitur: res cognita est: petitur puer, quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem. » Olim

4. *Portitores;* accusativo casu positum. Scilicet *venalicii*, seu mangones, verebantur portitores, eosque defraudare studebant vectigali, quod de formoso puero solvendum erat.

autem eas appellatione Græca συνθέσεις vocabant: mox *controversias* quidam, sed aut *fictas*, aut *judiciales*. Illustres professores, et quorum memoria aliqua exstet, non temere alii reperientur, quam de quibus tradam.

II. L. Plotius Gallus. De hoc Cicero [1] ad M. Titinium sic refert: « Equidem memoria teneo, pueris nobis, primum Latine docere cœpisse L. Plotium quendam: ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam, mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant, Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse[8]. » Hunc eundem (nam diutissime vixit) M. Cœlius in oratione, quam pro se de vi habuit, significabat dictasse Atratino, accusatori suo, actionem: subtractoque nomine, « hordearium » eum « rhetorem » appellat, deridens, ut inflatum ac levem et sordidum.

III. L. Otacilius Pilitus servisse dicitur, atque etiam ostiarius veteri more in catena fuisse; donec ob ingenium ac studium literarum manumissus, accusanti patrono subscripsit [1]. Deinde Rhetoricam professus, Cn. Pompeium Magnum docuit, patrisque ejus res gestas, nec minus ipsius, compluribus libris exposuit; primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam.

IV. Ad id tempus [1] Epidius, calumnia notatus, ludum dicendi aperuit: docuitque inter ceteros M. Antonium, et Augustum. Quibus quondam C. Canutius, objicientibus sibi, quod in Republica administranda potissimum con-

II. 1. *De hoc Cicero*, etc. in deperditis epistolis.

III. 1. *Accusanti patrono subscripsit;* orationes, quas in Foro patronus haberet, ipse composuit; hunc adjuvit arte sua.

IV. 1. *Ad id tempus.* Al. *Ad idem tempus*, ex emendatione.

sularis Isaurici sectam sequeretur, « Malle, » respondit, « Isaurici esse discipulum, quam Epidii calumniatoris. » Hic Epidius ortum se ab Epidio Nuncionoi[2] prædicabat: quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis Sarni, paullo post cum cornibus exstitisse, ac statim non comparuisse, in numeroque Deorum habitum.

V. Sextus Clodius, e Sicilia, Latinæ simul Græcæque eloquentiæ professor, male oculatus, et dicax, « par oculorum[1] in amicitia M. Antonii Triumviri exstitisse se, » aiebat. Ejusdem uxorem Fulviam, cui altera bucca inflatior erat, « acumen stili tentare[2] » dixit, nec eo minus, immo vel magis, ob hoc Antonio gratus. A quo mox Consule ingens etiam congiarium accepit, ut ei in Philippicis Cicero[3] objicit: « Adhibes joci causa magistrum suffragio tuo, et compotorum tuorum, Rhetorem; cui concessisti, ut, in quem vellet[4], diceret: salsum omnino hominem! sed materia facilis, in te et in tuos dicere[5]. At quanta merces Rhetori est data? Audite, audite, Patres Conscripti, et cognoscite Reipublicæ vulnera. Duo millia jugerum campi Leontini Sexto Clodio Rhetori assignasti,

2. *Nunciono*. Conjecere *Nursino* et *Nucerino*.

V. 1. *Par oculorum*, etc. Corruptum locum plerique judicant, et Statii (ad Catull. pag. 255) probant correctionem *extrisse* pro *exstitisse*, h. e. extrivisse, disperdidisse, ut hebetatos sibi dicat oculos in compotationibus et libidine cum Antonio. Si verba *male oculatus* de uno tantum oculo intelligatur, omni conjectura, puto, possumus abstinere, et eodem sensu res erit: Captus oculo Clodius, *At in amicitia quondam Antonii*, aiebat, *par oculorum et ipse exstiti!* Tacet ad hoc Baumgart.

2. *Acumen stili tentare*. Apposite ad Petron. cap. 70, *ut mucronem ad buccam probaremus*, citavit Burmannus in edit. sec. hæc Luciani, de Mercede conductis (ed. Bipont. tom. III, pag. 217): τῆς τριαίνης τὰς ἀκμὰς εἰς τὰς χεῖρας λαβών, καὶ πρὸς τὴν γνάθον πεφυσημένην ἀποπειρώμενος. Tecte hic ad alium stilum respici certum est.

3. *Ut ei in Philippicis Cicero*, etc. Philipp. II, 17.

4. *Ut, in quem vellet*, etc. Cicero, « ut in *te*, *quæ* vellet, diceret. »

5. *Dicere*. Hoc loco et apud Cic. vulgo « *dicta* dicere. »

et quidem immunia: ut tanta mercede[6] nihil sapere disceres. »

VI. C. Albutius Silus, Novariensis, quum ædilitate in patria fungeretur, quum forte jus diceret, ab iis, contra quos pronunciabat, pedibus, e tribunali detractus est. Quod indigne ferens, statim contendit ad portam, et inde Romam: receptusque in Planci oratoris contubernium, cui declamaturo mos erat prius aliquem, qui ante diceret, excitare, suscepit eas partes, atque ita implevit, ut Planco silentium imponeret, non audenti in comparationem se demittere. Sed ex eo clarus, propria auditoria instituit, solitus, proposita controversia sedens incipere, et calore demum provectus consurgere ac perorare. Declamabat autem genere vario: modo splendide atque adornate: tum, ne usquequaque scholasticus existimaretur, circumcise ac sordide, et tantummodo trivialibus verbis. Egit et causas, verum rarius, dum amplissimam quamque sectatur; nec alium in ulla locum, quam perorandi. Postea renunciavit Foro, partim pudore, partim metu. Nam quum in lite quadam centumvirali, adversario, quem ut impium erga parentes incessebat, jusjurandum quasi per figuram sic obtulisset: « Jura per patris matrisque cineres, qui inconditi jacent: » et alia in hunc modum: arripiente eo conditionem, nec judicibus aspernantibus, non sine magna sui invidia negotium afflixit[1]. Et rursus in cognitione cædis, Mediolani, apud L. Pisonem Proconsulem defendens reum, quum, cohibente lictore nimias laudantium[2] voces, ita excanduisset, ut et, deplorato Italiæ statu, quasi iterum in formam provinciæ redi-

6. *Tanta mercede*. Apud Cicer. vulgo « *pro* tanta mercede. »

VI. 1. *Negotium afflixit;* ut lis perderetur, fecit.

2. *Laudantium;* scil. auditorum, maxime ex discipulis, quorum corona perorantem magistrum cingebat.

geretur, Marcum insuper Brutum, cujus statua in conspectu erat, invocaret, legum ac libertatis auctorem et vindicem, pæne pœnas luit. Jam autem senior ob vitium vomicæ Novariam rediit: convocataque plebe, causis, propter quas mori destinasset, diu, ac more concionantis, redditis, abstinuit cibo.

PUBLII TERENTII
AFRI CARTHAGINIENSIS
VITA.

I. Publius Terentius Afer, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano Senatori: a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant: quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet; quum inter finem secundi belli Punici, et initium tertii natus sit et mortuus, nec, si a Numidis aut Getulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano et C. Lælio, quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur, quod et ipsum Fenestella arguit, contendens, utroque majorem natu fuisse; quamvis et Cornelius Nepos æquales omnes fuisse tradat, et Porcius suspicionem de consuetudine per hæc faciat:

Dum lasciviam [1] nobilium, et fucosas laudes petit:

I. 1. *Dum lasciviam*, etc. Hos versus Wolfius ita refinxit:

Dum lasciviam nobilium et laudes fucosas petit:
Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus:
Dum se ad Furium cœnare et Lælium, pulchrum putat:
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem ætatis suæ.... ipsus....
Suis ablatis rebus ad summam inopiam redactus est.
Itaque e conspectu omnium abiit Græciam (an *Græciæ?*) in terram ultimam:
Mortuus est in Stymphalo Arcadiæ oppido; nil Publius

Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus:
Dum ad Furium se cœnitare et Lælium, pulchrum putat:
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem ætatis suæ: ipsus, sublatis rebus, ad summam
Inopiam redactus est.
Itaque e conspectu omnium abiit Græciam in terram ultimam.
Mortuus est in Stymphalo, Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillume,
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam,
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

II. Scripsit comœdias sex: ex quibus primam Andriam quum Ædilibus daret, jussus ante Cærio recitare, ad cœnantem quum venisset, dictus est, initium quidem fabulæ, quod erat contemtiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse; post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, cœnasse una, deinde cetera percurrisse, non sine magna Cærii admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas æqualiter populo probavit. Quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita scribat:

Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.

Eunuchus quidem bis die acta est, meruitque pretium, quantum nulla antea cujusquam comœdia, id est, octo millia nummum: propterea summa quoque titulo adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis a Lælio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit: nunquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in prologo Adelphorum:

Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles

Scipio illi profuit, nil Lælius, nil Furius,
Tres per id tempus qui agitabant nobiles facillume:
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam,
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servolus.

Hunc adjutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat, Lælio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem: quæ tamen magis et usque ad posteriora tempora valuit.

III. Q. Memmius in oratione pro se ait: « P. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit. » Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano Kalendis Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronunciasse versus, qui sunt in Heautontimorumeno:

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

IV. Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione et Lælio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam Sulpicio Gallo, homine docto, et qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, et M. Popillio, consulari utroque, ac poeta. Ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur; sed viros, quorum operam et in bello, et in otio, et in negotio populus sit expertus. Post editas comœdias, nondum quintum atque tricesimum egressus annum, causa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Græcorum instituta, moresque, quos perinde

exprimeret in scriptis, egressus Urbem est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

Sed ut Afer sex populo edidit comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit. Navim quum semel
Conscendit, visus nunquam est. Sic vita vacat.

V. Q. Cosconius redeuntem e Græcia perisse in mari dicit cum centum et octo fabulis, conversis e Menandro. Ceteri, mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo, sive Leucadia, tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, Marco Fulvio Nobiliore, Consulibus, morbo implicitum acri, dolore ac tædio amissarum sarcinarum, quas in navi præmiserat, ac simul fabularum, quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ post equiti Romano nupsit: item hortulos viginti jugerum in via Appia ad Martis villam. Quo magis miror, Porcium scribere,

...............nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillume,
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam,
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc Afranius quidem omnibus Comicis præfert, scribens in Compitalibus:

Terentio non similem dices quempiam.

Volcatius autem non solum Nævio et Plauto et Cæcilio, sed Licinio quoque et Attilio postponit. Cicero in Limone hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quicquid come loquens, atque omnia dulcia dicens.

Item C. Cæsar:

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate [1] Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis[2],
Comica ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis; neque in hac despectus parte jaceres!
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

V. 1. *Dimidiate*: quia mediam tantum partem Menandri suis scriptis repræsentat; nempe lenitatem et elegantiam, non vim comicam, qua penitus caret. Vid. quæ nost. Terent. præfiximus, t. I, p. CXLVIII. Ed.

2. *Adjuncta foret vis*; δύναμις vel δεινότης, ut recte interpretatur Wolfius, quem etiam in interpunctione secuti sumus. Vide p. 28, t. IV, Edit. nost. J. Cæsaris, ubi aliter interpungere visum fuit. Ed.

HORATII POETÆ

VITA.

HORATIUS FLACCUS, Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino, et exactionum coactore; ut vero creditum est, salsamentario; quum illi quidam in altercatione exprobrasset, « Quotiens ego vidi patrem tuum cubito se emungentem! » Bello Philippensi, excitus a Marco Bruto imperatore, Tribunus militum meruit: victisque partibus, venia impetrata, scriptum quæstorium comparavit. Ac primo Mæcenati, deinde Augusto insinuatus [1], non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Mæcenas quantopere eum dilexerit [2], satis monstratur illo epigrammate, ubi inquit,

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus jam diligo, tu tuum sodalem
Hinnulo [3] videas strigosiorem:

sed multo magis extremis [4], tali ad Augustum elogio:

1. *Insinuatus*. Omisimus *in gratiam* cum Oudend. et Bipont.

2. *Dilexerit*. Ita scripsimus pro *dilexit*, jubente linguæ lege.

3. *Tu tuum sodalem Hinnulo*, etc. Sic edidimus cum Oudend. et Wolfio. Vulgo, « *Titium* sodalem *Mimo tu vide* strigosiorem. » Nisi nomen hominis latet in *Hinnulo* vel *Mimo*, malim, « *Mulo me videas* strigosiorem. »

4. *Extremis*. Sunt, qui addant *judiciis*. *Extremis vitæ temporibus* explicavit Burmann.

« Horatii Flacci, ut mei, memor esto. » Augustus ei Epistolarum officium obtulit, ut hoc ad Mæcenatem scripto significat : « Ante, ipse scribendis epistolis amicorum sufficiebam : nunc occupatissimus, et infirmus, Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in scribendis epistolis juvabit. » Ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam, aut amicitiam suam ingerere desiit. Exstant epistolæ, ex quibus, argumenti gratia, pauca subjeci : « Sume tibi aliquid juris apud me, tanquam si convictor mihi fueris : recte enim, et non temere feceris; quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri possit. » Et rursus : « Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire : nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερηφανοῦμεν. » Præterea sæpe inter alios jocos « purissimum [5] penem, » et « homuncionem lepidissimum » appellat : unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus usque adeo probavit, mansuraque perpetuo opinatus est [6], ut non modo Seculare carmen componendum injunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum : eumque coegerit propter hoc, tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere : post Sermones quoque lectos, nullam sui mentionem habitam ita sit questus : « Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris

5. *Purissimum.* Wolfius post Bentleium dedit Scaligeri conjecturam *putissimum*, idque reliquis convenientius videtur.

6. *Opinatus est.* Addidit hoc verbum Rutgers. Venus. Lect. cap. 30, ex uno MS. Alii suppleverunt *credidit;* Oudendorp. *ominatus est.*

nobis esse?» expressitque eclogam[7], cujus initium est:

Quum tot sustineas[8] et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.

Horatius[9] habitu corporis brevis fuit, atque obesus: qualis a se ipso et in Satiris describitur, et ab Augusto hac epistola: « Pertulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ut accusem te, quantuluscunque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo[10] scribas; quum circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui. » Ad res Venereas intemperantior traditur. [Nam speculato cubiculo scorta dicitur habuisse disposita, ut, quocunque respexisset, ibi ei imago coitus referretur[11].] Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tiburtini: domusque ejus ostenditur circa Tiburni luculum. Venerunt in manus meas et Elegi sub ejus titulo, et Epistola prosa oratione, quasi commendantis se Mæcenati: sed utraque falsa puto. Nam Elegi vulgares, Epistola etiam obscura: quo vitio minime tenebatur. Natus est sexto Idus Decembres, Lucio Cotta, et Lucio Torquato, Consulibus[12]. Decessit quinto Kalendas Decembres, Caio

7. *Eclogam*. Ita post alios Oudend. et Wolfius. Vulgo *elogium*.

8. *Quum tot sustineas*, etc. Epist. II, 1.

9. *Horatius*. Vulgo, *Idem Horatius*.

10. *In sextariolo*. Salmas. de Modo Usur. pag. 408, conjecit: « Itaque licebit in *sextario illos scribere*, *quo* circuitus, etc. » Illud minus necessarium; sed verissima mutatio inepti *quum* in *quo*.

11. *Nam speculato... referretur*. Eadem Seneca, Nat. Quæst. I, 16, de Hostio quodam, unde huc turpiter intrusa, dudum viri docti, qui scriptori nostro æque ac Horatio consuluerunt, judicavere.

12. *Lucio Cotta, et Lucio Torquato, Consulibus*; A. U. 689; de-

Marcio Censorino, et Caio Asinio Gallo, Consulibus, post septimum et quinquagesimum annum, herede Augusto palam nuncupato, quum, urgente vi valetudinis, non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis, juxta Mæcenatis tumulum.

cessit ann. 746; unde scripsimus cum Wolfio *post septimum et quinquagesimum annum*, pro vulg. «post *nonum*, etc.» Nimirum, nota LVII corrupta est in LVIIII, ut veteres scripserunt pro seriore more LIX. Vide eamdem Horatii vitam, t. III, p. 1 nostræ edit. Horatianæ, ubi notas subjecimus et varietates non nullas in textum adduximus. Ed.

LUCANI VITA.

M. Annæus Lucanus, Cordubensis, prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine. Dein civile bellum, quod a Pompeio[1] et Cæsare gestum est, recitavit. Qui tantæ levitatis et tam immoderatæ linguæ fuit, ut in præfatione quadam ætatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere: « et quantum mihi restat[2] ad Culicem? » Hic, initio adolescentiæ, quum ob infestum matrimonium patrem suum ruri agere longe cognovisset, revocatus Athenis a Nerone, cohortique amicorum additus, atque etiam quæstura honoratus, non tamen permansit in gratia. Siquidem ægre ferens, recitante se, subito, ac nulla nisi refrigerandi sui causa, indicto Senatu, Neronem recessisse; neque verbis adversus Principem, neque factis exstantibus post hæc temperavit: adeo ut quondam in Latrinis publicis, clariore strepitu[3] ventris emisso, hemistichium Neronis magna consessorum fuga pronunciarit: « Sub terris tonuisse putes. » Sed et famoso carmine quum ipsum, tum potentissimos amicorum, gravissime proscidit. Ad extremum pæne signifer Pisonianæ conjurationis exstitit: multus in

1. *A Pompeio*, etc. Vulgo, « *cum* Pompeio et Cæsare. » Libri nonnulli, « *cum* Pompeio *a* Cæsare. » Puto alieno loco positam fuisse veram emendationem *a*.

2. *Et quantum mihi restat*, etc. Scaliger hæc ita citat ad Manilium, IV, 875 (Poet. Lat. Min. t. VI, p. 528): « Et quantum mihi superest ad Maronis culicem? » Ed.

3. *Clariore strepitu*, etc. Delevimus cum Grævio *cum* post *clariore*, et scripsimus *consessorum* pro *cum sessorum*.

gloria tyrannicidarum palam prædicanda, ac plenus minarum; usque eo intemperans, ut Cæsaris caput proximo cuique jactaret. Verum, detecta conjuratione, nequaquam animi constantiam præstitit. Facile enim confessus, et ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter socios nominavit; sperans, impietatem sibi apud parricidam Principem profuturam. Impetrato autem mortis libero arbitrio, codicillos ad patrem de corrigendis quibusdam versibus suis exaravit: epulatusque largiter, brachia ad secandas venas medico præbuit. Poemata [4] ejus etiam prælegi memini; confici vero, ac venalia proponi, non tantum operose et diligenter, sed inepte quoque.

4. *Poemata ejus*, etc. Hoc est, ut recte Oudendorpius, Suetonii ætate pueri et adolescentis, prælecta fuisse adhuc poemata Lucani, quorum *confecta*, conscripta, per librarios exemplaria plurima, et pretiosis, *operosis*, *ineptisque* nugis ornata, venalia publice proponebantur. Pro *confici*, *comi* et *conquiri* conjecerunt.

CAII PLINII VITA.

PLINIUS SECUNDUS, Novocomensis[1], equestribus militiis industrie functus, procurationes quoque splendidissimas, atque continuas, summa integritate administravit, et tamen liberalibus studiis tantam operam dedit, ut non temere quis plura in otio scripserit. Itaque bella omnia, quæ unquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehendit. Item Naturalis Historiæ triginta septem libros absolvit. Periit clade Campaniæ. Nam quum Misenensi classi præesset, et flagrante Vesevo ad explorandas propius causas Liburnica pertendisset, neque adversantibus ventis remeare posset, vi pulveris ac favillæ oppressus est; vel, ut quidam existimant, a servo suo occisus, quem, deficiens æstu, ut necem sibi maturaret, oraverit.

1. *Plinius Secundus, Novocomensis*, etc. Immo *Veronensis*. Confunditur cum juniore Plinio, qui Novocomensis, et cujus avunculus fuit. Idem error est Hieronymi, Chron. Euseb. N°. 2125.

D. JUNII JUVENALIS
VITA.

Junius Juvenalis, libertini locupletis incertum filius, an alumnus, ad mediam fere ætatem declamavit, animi magis causa, quam quod scholæ se[1] aut Foro præpararet. Deinde paucorum versuum Satira non absurde composita in Paridem pantomimum poetamque [Claudii Neronis, ejus semestribus militiolis tumentem[2]], genus scripturæ industrie excoluit. Et tamen bene diu[3] ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus. Mox magna frequentia, magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quæ prima fecerat, inferciret novis scriptis:

> Quod non dant[4] proceres, dabit histrio: tu Camerinos,
> Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
> Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.

Erat tum in deliciis aulæ histrio[5]; multique fautorum ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in

1. *Scholæ se*. Addidimus *se* cum Wolfio.

2. *Claudii.... tumentem*. Uncis hæc inclusimus cum Oudendorp. Plura de loco corrupto Rupert. in edit. Juvenalis, quem conferas etiam de auctore hujus vitæ disputantem.

3. *Bene diu*. Ita nos, *bien longtems*.

4. *Quod non dant*, etc. Sat. VII, 90. Juv. ed. n. T. I, p. 545 et 580.

5. *Erat... in deliciis aulæ histrio;* non Neronis vel Domitiani, sed Hadriani quidam. Vide Oudendorp.

suspicionem, quasi tempora figurate notasset: ac statim per honorem militiæ, quamquam octogenarius, Urbe summotus, missusque ad præfecturam cohortis, in extrema Ægypti parte tendentis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. Verum intra brevissimum tempus angore et tædio periit.

AULI PERSII VITA.

Aulus Persius Flaccus natus est[1] pridie Nonas Decembris, Fabio Persico, L. Vitellio, Consulibus. Decessit octavum Kalendas Decemb. Publio Mario, Asinio Gallo, Consulibus. Natus in Etruria Volaterris, Eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris conjunctus, decessit ad octavum milliarium via Appia in prædiis suis. Pater ejus Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex. Fulvia Sisennia mater nupsit postea Fusio, Equiti Romano: et eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus usque ad annum duodecimum Volaterris: inde Romæ apud grammaticum Remmium Palæmonem, et apud rhetorem Virginium Flavum. Quum esset annorum sedecim, amicitia cœpit uti Annæi Cornuti, ita ut ab eo nusquam[2] discederet: a quo inductus aliquatenus in philosophiam est. Amicos habuit a prima adolescentia Cæsium Bassum poetam, et Calpurnium Suram[3], qui eo vivo juvenis decessit. Coluit ut patrem Servilium Nonianum. Per Cornutum cognovit Annæum etiam Lucanum, æquævum auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore Tragicus fuit, sectæ Stoicæ, qui libros Philosophiæ reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se illo recitante a clamore,

1. *Natus est*, etc. A. U. 787; decessit ann. 815. *Publio* Mario pro *Rubrio* emendavit Lips. ad Tacit. Annal. XIV, 48.

2. *Nusquam*. Auctorem dedisse puto *nunquam*.

3. *Suram*. Ita Wolfius pro *Staturam*.

[quin « illa esse vera poemata » diceret[4]. Sero cognovit et Senecam, sed non ut caperetur ejus ingenio. Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum, acriter tum philosophantium, Claudii Agathemeri, medici Lacedæmonii, et Petronii Aristocratis, Magnetis, quos unice miratus est et æmulatus, quum æquales essent, et Cornuto minores. Ipse etiam decem fere annis summe dilectus a Pæto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam uxorem habente. Fuit morum lenissimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulchræ, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis. Fuit frugi et pudicus. Reliquit circa HS. vicies matri et sorori: scriptis tamen ad matrem codicillis, rogavit eam, ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centum; ut alii volunt, argenti facti pondo viginti, et libros circa septingentos, sive bibliothecam suam omnem. [Verum Cornutus, sublatis libris, pecuniam sororibus, quam frater heredes fècerat, reliquit[5]]. Et raro, et tarde scripsit. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui demti sunt ultimo libri: et quasi finitus esset, leviter retractavit Cornutus[6], et Cæsio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum. Scripserat etiam in pueritia Flaccus *Prætextam* [Vescio[7]], et ὀδοιπορικῶν librum unum, et paucos uxori Thraseæ in Arriam matrem versus, quæ se ante virum occiderat. Omnia autem ea Cornutus auctor fuit matri ejus, ut aboleret. Editum librum continuo mirari homines, et diripere[8] cœperunt. Decessit

4. *Quin.... diceret.* Desunt hæc in MSS. atque sunt inepta.

5. *Verum Cornutus.... reliquit.* Ut spuriam uncis inclusit hanc periodum Oudendorp.

6. *Et.... leviter retractavit Cornutus.* Vulgo, « et... leviter recitavit Cornuto. » Vide Oudendorp. et Wolf.

7. *Vescio.* Suspectam vocem inclusimus uncis cum Wolfio.

8. *Editum librum..... diripere.*

autem vitio stomachi, anno ætatis tricesimo[9]. Sed mox, ut a schola et magistris diverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer Satiras componere studuit: cujus libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit. Cujus versus in Neronem quum ita se haberet,

Auriculas asini[10] Mida rex habet,

in hunc modum a Cornuto ipso tantummodo est emendatus,

Auriculas asini *quis non* habet?

ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.

Ita nos Galli, *s'arracher un livre.*

9. *Anno... tricesimo.* Immo *vicesimo octavo:* vide supra. Ita scripsit Wolfius. Plerumque in Suetonio, si is auctor vitæ, Consules et vitæ annos non convenire, antea demonstravimus.

10. *Auriculas asini*, etc. Sat. I, 117.

C. SUETONII TRANQUILLI

OPERUM, QUÆ PERIERUNT,

FRAGMENTA.

SUIDÆ CATALOGUS OPERUM TRANQUILLI.

Τραγκυλλος ὁ Σουητόνιος, χρηματίσας γραμματικός, Ῥωμαῖος, ἔγραψε περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν βιβλίον ά. περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις θεωρικῶν καὶ ἀγώνων βιβλία β'. περὶ τοῦ κατὰ Ῥωμαίους ἐνιαυτοῦ βιβλίον ά. περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων ά. περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας ά. ἀντιλέγει δὲ τῷ Διδύμῳ, περὶ ὀνομάτων κυρίων καὶ ἰδίων ἐσθημάτων καὶ ὑποδημάτων, καὶ τῶν ἄλλων, οἷς τις ἀμφιέννυται. περὶ δυσφήμων λέξεων, ἤτοι βλασφημιῶν, καὶ πόθεν ἑκάστη. περὶ Ῥώμης καὶ τῶν ἐν αὐτῇ νομίμων καὶ ἠθῶν βιβλία β'. Συγγενικὸν Καισάρων. περιέχει δὲ καὶ βίους καὶ διαδοχὰς αὐτῶν ἀπὸ Ἰουλίου ἕως Δομετιανοῦ, βιβλία ή. στέμμα Ῥωμαίων ἀνδρῶν ἐπισήμων.

DE REGIBUS LIBER.

Ausonius Paulino, Epist. XIX.

His longe jucundissimum poema subdideras, quod de

tribus Suetonii libris, quos ille *de Regibus* dedit, in epitomen coegisti tanta elegantia, solus ut mihi videare assecutus, quod contra naturam est, brevitas ut obscura non esset. In his versibus ego ista cognovi:

Europamque Asiamque duo vel maxima terræ
Membra, quibus Libyam dubie Sallustius addit,
Europæ adjunctam; possit quum tertia dici.
Regnatas multis, quos fama obliterat, et quos
Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ.
Illibanum, Numidamque Avelim, Parthumque Vononem,
Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina regum,
Quique magos docuit mysteria vana Necepsus,
Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

DE INSTITUTIONE OFFICIORUM LIBER.

Priscianus, lib. VI, pag. 679 edit. Putsch.

Quod tamen comprobat etiam Suetonius, diversos ponens usus in libro, qui est *de Institutione Officiorum.*

Chronicon Paschale, Fastorum Siculorum antea nomine insignitum, ad Olympiadem XVII (pag. 117 edit. Cangianæ).

Οὗτος Νουμμᾶς, ὁ καὶ Πομπήλιος, δεξάμενος πρεσβευτὰς ἐκ τῆς χώρας τῶν λεγομένων Πελασγῶν, φορούντων χλαμύδας ἐχούσας ταβλία ῥούσαια, καθάπερ οἱ ἀπὸ τῆς Ἰσαυρίας χώρας, καὶ τερφθεὶς τοῦ σχήμαματος, ἐπενόησεν πρῶτος ἐν Ῥώμῃ χλαμύδας φορεῖσθαι, τὰς μὲν βασιλικὰς πορφυρᾶς, ἐχούσας ταβλία χρυσᾶ, τὰς δὲ τῶν

Συγκλητικῶν καὶ τῶν ἐν ἀξίαις καὶ στρατείαις χλαμύδας σήμαντρον τῆς βασιλικῆς φορεσίας ταβλία πορφυρᾶ, ἀξίαν δηλοῦντα Ῥωμαϊκῆς πολιτείας καὶ ὑποταγήν· κελεύσας μηδένα συγχωρεῖσθαι εἰσελθεῖν εἰς τὸ αὐτοῦ Παλάτιον πρὸς αὐτὸν δίχα τοῦ σχήματος τῆς αὐτῆς χλαμύδος. καὶ οὐ συνεχώρουν τινὶ εἰσελθεῖν οἱ φυλάσσοντες τὸ Παλάτιον, εἰ μὴ ἐφόρει χλαμύδα ἔχουσαν φιλοτιμίαν βασιλικῆς ἐσθῆτος, καθὼς ὁ σοφώτατος Σουετώνιος Στραγκύαλος (*leg.* Τράγκυλλος) Ῥωμαίων ἱστοριογράφος συνεγράψατο.

PRÆTORUM LIBRI.

Priscianus, lib. VIII, pag. 744.

Suetonius autem passive protulit in quarto Prætorum: « Lætoria, quæ vetat minorem annis XXV stipulari, ἐπερωτᾶσθαι. »

Idem, lib. VIII, pag. 743.

Suetonius in IV Prætorum, « Minor XXV ann. stipulari non potest » passive dixit.

Idem, lib. XVIII, pag. 1164.

Suetonius in VIII Prætorum: « Fasti dies sunt, in quibus fatur, id est, dicitur, ut nefasti, in quibus non dicitur. »

DE LUDIS ET SPECTACULIS LIBER, AUT LIBRI VARII.

A. Gellius, lib. IX, cap. 7.

Sed de fidibus rarius dictum et mirabilius est: quam

rem et alii docti viri, et Suetonius etiam Tranquillus in libro ludicræ historiæ primo satis compertam esse, satisque super ea constare affirmat: « nervias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare. »

Tertullianus, de Spectaculis, cap. 6.

Qui, quotque in ordinem, et quibus idolis ludos instituerunt, positum est apud Suetonium Tranquillum, vel, a quibus Tranquillus accepit.

Diomedes grammat. lib. III, pag. 489.

Primis temporibus* omnia, quæ in scena versantur, in comœdia agebantur. Nam Pantomimus, et Pythaules, et Choraules, in comœdia canebant. Sed quia non poterant omnia simul apud omnes artifices pariter excellere, si qui erant inter actores comœdiarum pro facultate et arte potiores, principatum sibi artificii vindicabant. Sic factum est, ut, nolentibus cedere mimis in artificio suo ceteris, separatio fieret reliquorum. Nam dum potiores inferioribus, qui in omni ergasterio erant, servire dedignabantur, se ipsos a comœdia separaverunt: ac sic factum est, ut exemplo semel sumto, unusquisque artis suæ rem exsequi cœperit, neque in comœdiam venire: cujus rei indicia produnt nobis antiquæ comœdiæ, in quibus inveni-

* *Primis temporibus*, etc. « Non dubitandum, quin hæc sint e libro Suetonii de Ludis ac Spectaculis, quem ab eo scriptum esse, testis Suidas; variaque inde depromunt A. Gellius, Tertullianus, Servius, Diomedes, Tzetzes. Absque eo esset, dicerem esse ex libro ejus de Poetis, unde et fragmentum adducit Isidorus, Orig. lib. VIII, 7. Immo ex eodem supersunt Vita Terentii et Horatii; ac, ut censeo, Lucani, etiam Persii et Juvenalis. » Ita Ger. Jo. Vossius, Instit. Poet. II, 29, qui tamen debuerat agnoscere Casaubonum, quippe primum hujus indicem, cujus sunt quoque multa sequentia. GRONOV.

mus, ACTA TIBIIS PARIBUS, AUT IMPARIBUS, AUT SARRANIS. Quando enim chorus canebat, choricis tibiis, id est, choraulicis, artifex concinebat. In canticis autem, Pythaulicis responsabat. Sed quod PARIBUS TIBIIS, vel IMPARIBUS, invenimus scriptum, hoc significat: Si quando monodio agebat, unam tibiam inflabat; si quando synodio, utramque.

Joannes Tzetzes, Histor. Chiliade VI, vs. 877.

Τράγκυλλος Σουητῖνος τὶς ἐν παιδιαῖς Ἑλλήνων,
Πολλὰς μὲν ἄλλας παιδιὰς καὶ συμποσίων λέγει.
Ὧν συμποσίων μία μὲν ἡ ἑωλοκρασία·
Ἑτέρα δὲ ὁ κότταβος, ὁμοῦ καὶ ἡ λατάγη.
Οἱ νέοι γὰρ κωμάζοντες τόποις ἀφωρισμένοις,
Περὶ ἑσπέραν τοὺς χοᾶς καὶ τοὺς βίκους τιθέντες,
Ἕκαστος ἀνδριζόμενος, ἔπινε τὸν οἰκεῖον.
Ὃς δὲ οὐ πιεῖν ἴσχυσε τὸν ἑαυτοῦ χοέα,
Περιεχεῖτο ἕωθεν, τῶν συμποτῶν γελώντων.
Τόδ᾽ ἑωλοκρασία μέν. τὸν κότταβον δὲ μάθε.

Τῷ συμποσίῳ ἵστατο ζυγὸς καὶ λεκανίσκαι,
Παρ᾽ ἑκατέρῳ τοῦ ζυγοῦ κάτωθεν τῶν πλαστίγγων.
Αἱ λεκανίσκαι μέσον δὲ εἶχον ἀνδριαντίσκους,
Ἀνδριαντίσκους, οὓς μανᾶς ὠνόμαζον τότε
Οἱ κωμασταί. πληροῦντος οὖν οἴνου τὸ τούτων στόμα
(Ὁ λάταξ καὶ λατάγη δέ, ἤγουν ὑγρὸν καὶ ῥῦσις),
Τοῦτο ἀπεκοττάβιζον εἰς μίαν τῶν πλαστίγγων,
Τουτ᾽ ἔστιν, ἐξετίνασσον, ἀπέπτυον, ἐκένουν.
Κότταβον καὶ τὸ ὄργανον ἅπαν ἐκάλουν τοῦτο.
Ἂν οὖν πλάστιγξ τῇ φορᾷ κατέῤῥεψε τοῦ οἴνου,
Καὶ τὸν μανᾶν εἰς κεφαλὴν ἤχησε κεκρουκυῖα,
Ὁ κωμαστὴς συγκωμασταῖς ἐδόκει τῶν γενναίων,
Εἰ δ᾽ οὐ, πολὺν ἐλάμβανεν, ὡς ἀσθενής, τὸν γέλων.

Servius ad Virgil. Georgic. III, 24.

Apud majores theatri gradus tantum fuerunt. Nam

scena de ligno tantum ad tempus fiebat, unde hodieque permansit consuetudo, ut componantur pegmata a ludorum theatralium editoribus. Scena autem, quæ fiebat, aut versilis erat, aut ductilis. Versilis tunc erat, quum subito tota machinis quibusdam convertebatur, et aliam picturæ faciem ostendebat. Ductilis tunc, quum tractis tabulatis hac atque illac species picturæ nudabatur interior. Unde perite utrumque tetigit, dicens, *versis discedat frontibus*, singula singulis complectens sermonibus. Quod Varro et Suetonius commemorant.

Idem ad Æneid. V, 602.

Ut ait Suetonius Tranquillus, « Lusus ipse, quem vulgo Pyrrhicham appellant, Troja vocatur: » cujus originem expressit in libro de Puerorum Lusibus.

DE VITIIS CORPORALIBUS LIBER.

Servius ad Eclogam III, 8.

Hirqui autem sunt oculorum anguli, secundum Suetonium Tranquillum, in Vitiis Corporalibus.

Isidorus, Originum lib. III.

Nam hirci sunt oculorum anguli, secundum Suetonium, etc.

Servius ad Æneid. VII, 629.

Secundum Suetonium, in libro de Vitiis Corporalibus, « Arvina est durum pingue, quæ est intercutem et viscus. »

DE RE VESTIARIA LIBER.

Servius ad Æneid. VII, 612.

Suetonius in libro de Genere Vestium dicit, tria esse genera trabearum: unum Diis sacratum, quod est tantum de purpura; aliud regum, quod est purpureum, habet tamen album aliquid; tertium augurale, de purpura et cocco.

DE REBUS VARIIS LIBER.

Sosipater Charisius, lib. II, pag. 210.

Suetonius Tranquillus, de Rebus Variis, Præpositiones, inquit, omnes omnino sunt Græcæ duo de viginti, qui numerus inter omnes criticos Grammaticos perfecte convenit. Nostras vero esse has, *ab*, *ad*, *præter*, *pro*, *præ*, *in*, *ex*, *sub*, *super*, *subter*.

Idem, lib. II, pag. 175.

Suetonius Tranquillus Præverbium putat dici debere, quod ante, vel adverbium, quod post verbum appellatio etiam nomenque ponatur.

DE VOCIBUS OMINOSIS.

Servius ad Æneid. II, 683.

Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, *apicem*, *tutulum*, *galerum*: sed *apicem* pileum sutile, circa medium virga eminente; *tutulum*, pileum

lanatum metæ figura; *galerum*, pileum ex pelle hostiæ cæsæ.

Auctor Etymologici magni.

Ἀρχολίπαρος, ὁ λιπαρῶν ἵνα ἀρχῆς τύχῃ, ὁ ἐκ τοῦ ἄρχειν λιπαινόμενος. οὕτω Τράγκυλλος περὶ βλασφημιῶν.

DE GRAMMATICIS ET RHETORIBUS LIBRI.

D. Hieronymus, in præfatione Catalogi Scriptorum ecclesiasticorum.

Hortaris, Dexter, ut Tranquillum sequens, Ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram; et quod ille in enumerandis literarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam.

Idem, in Epistola ad Desiderium.

Scripsi librum de illustribus viris ab Apostolis usque ad nostram ætatem, imitatus Tranquillum, Græcumque Apollonium.

EX LIBRIS INCERTIS.

Censorinus, de Natali Die, cap. 20.

Annum vertentem Romæ Licinius quidem Macer, et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt; sed magis Junio Gracchano, et Fulvio Varroni, et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensium putaverunt fuisse, ut tunc Albanis erat, unde orti Romani.

A. Gellius, lib. XV, cap. 4.

Eumdem Bassum Suetonius Tranquillus præpositum esse a M. Antonio provinciis Orientalibus, Parthosque in Syriam introrumpentes tribus ab eo præliis fusos scribit, eumque primum omnium de Parthis triumphasse, et morte obita publico funere sepultum esse.

Servius ad Eclogam III, 105.

Dicta *ulna* ἀπὸ τῶν ὠλενῶν, id est, a brachiis : unde et λευκώλενος Ἥρη· licet Suetonius unum cubitum velit esse tantummodo.

Idem ad Georgic. III, 27.

Quod autem ait, *victorisque arma Quirini*, non est contrarium : nam, ut etiam in primo Æneidos, v. 292, diximus, Suetonius Tranquillus hoc de Augusto commemorat, « quodam tempore tres partes populi consentiente Senatu obtulisse ei tria nomina, Quirini, Augusti, Cæsaris. Ille, ne, unum eligendo, alias offenderet partes, primo Quirinus est dictus : inde Cæsar : post in nomine permansit Augusti. »

Isidorus, Orig. lib. XVIII, cap. 2.

Tranquillus autem, triumphum Latine potius appellatum, quod is, qui triumphans Urbem ingrederetur, tripartito judicio honoraretur.

Idem, eodem lib. cap. 6.

Tranquillus autem dicit : Dum cujusdam gladiatoris in

ludum emissi gladius curvatus fuisset ex acie recta, procurrit unus ad eum corrigendum: tumque a pugnante responsum est, *Sic pugnabo* (al. *sica pugnabo*): inde sicæ nomen datum est.

Commentator v us Horatii, ad Art. Poet. vs. 354.

Scriptor, librarius, bibliopola, uti veteres dicebant, quod et Tranquillus affirmat.

Suidas.

Ἀσσάρια, ὀβολοί. Νούμμας ὁ πρῶτος βασιλεὺς μετὰ Ῥωμύλον Ῥωμαίων γεγονώς, ἀπὸ σιδήρου καὶ χαλκοῦ πεποιημένα (νομίσματα) πρῶτος ἐχαρίσατο Ῥωμαίοις, τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων διὰ σκυτίνων καὶ ὀστρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ὠνόμασεν ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νούμμια, ὥς φησι Τράγκυλλος.

Servius ad Georg. IV, 127.

Corycos enim civitas est Ciliciæ, in qua antrum illud famosum pæne ab omnibus celebratum. Et per transitum tangit historiam memoratam a Suetonio. Pompeius enim, victis piratis Cilicibus, partim ibidem, partim in Græcia, partim in Calabria, agros donavit.

Idem ad Æneid. VI, 799.

Quod autem dicit, verum est. Nam et Suetonius ait in Vita Cæsaris, responsa esse data per totum orbem, Nasci invictum Imperatorem.

Idem ad Æneid. XII, 185.

Homo *rebellis* dicitur: res ipsa *rebellio*, non *rebellatio*: sic Suetonius. (*Vid. Calig. cap.* 51).

Isidorus, Originum lib. VIII, cap. 7.

Poetæ unde sint dicti, sic ait Tranquillus: Quum primum homines exuta feritate rationem vitæ habere cœpissent, seque ac Deos suos nosse, cultum modicum ac sermonem necessarium commenti sibi, utriusque magnificentiam ad religionem Deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut templa illis domibus pulchriora, et simulacra corporibus ampliora faciebant, ita eloquio quasi augustiore honorandos putaverunt, laudesque eorum et verbis illustrioribus et jucundioribus numeris extulerunt. Id genus quia forma quadam efficitur, quæ ποιότης dicitur, poema vocitatum est, ejusque fictores poetæ.

Diomedes, lib. I, pag. 362.

Inchoavi ab inchoo. Sic dicendum putat Julius Modestus, quia sit compositum a *chao*, initio rerum. At Verrius et Flaccus in postrema syllaba adspirandum probaverunt. *Cohum* enim apud veteres mundum significat. Inde tractum *incohare*. Tranquillus quoque his assentiens, libello suo plenissime *ædem incohatam* ita disseruit.

Commentator vetus in Horat. Sat. I, 7, 20.

Bithus et Bacchus, gladiatorum nomina celebrata apud Suetonium.

Charisius, Inst. Gramm. lib. II, pag. 180.

Istoc vilius. Rex qui vocabat ad cœnam, si sibi ea res exhibenda indiceretur, quam exhibere non posset, respondit, ut Tranquillus refert, « Isto vilius hominis erit cœna. »

Eustathius in Odyss. ῥαψ. Α, *vs.* 106.

Ὅδε τὰ περὶ Ἑλληνικῆς παιδιᾶς γράψας, διαφορὰν καὶ αὐτὸς εἰδὼς κύβων καὶ πεσσῶν, καὶ παλαιοτάτην εἰπὼν τὴν κυβιστικὴν παιδιάν, παράγει Σοφοκλέους μὲν ἐκ Παλαμήδους, ὁμωνύμου τῷ ἥρωϊ δράματος τό· Ἐκεῖνος ἐφεῦρε πεσσούς, κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος. καὶ Εὐφορίωνος τό· Πεσσὰ Ναυπλιάδαο. λέγει δὲ καὶ, etc.

Hoc excerptum ex libro MS. de Natura Rerum retulit Oxonio Jac. Gronovius.

De omnibus maris ac fluminum in pratis in Annalibus Tranquillus sic ait: extremum mare Oceanus; internum medius, quod ex Oceano fluit. Supernum et infernum, quibus Italia alluitur. Ex his superum et Adriaticum dicitur et Tuscum inferum. Fretum angustum quasi fervens mare, et Siculum et Gaditanum (MS. *Gaditianum*). Æstuaria sunt omnia, per quæ mare vicissim tum accedit (MS. *occidit*), tum recedit. Altum proprie mare profundum. Vada (MS. *vaga*), quibus in mari potest stari, quæ Virgilius brevia appellat, quæ eadem Græci brachia. Sinus majores recessus maris dicuntur, ut Caspius, Arabicus, Indicus: majores autem anguli, ut Pæstanus, Matrestæ,

Amyclanus et similes, nomina maris dixerunt. Flustra motus maris sine tempestate fluctuantis. Nævius in bello Pœnico (MS. *Pontico*) in inscriptione quod ait, « honerariæ honustæ stabant in flustris, » ut si diceret in salo (MS. *Sola*). Moles, quæ eminent et procurrunt mari, de quibus Pacuvius (MS. *Fauculius*) ait, « omnes latebras sublætu mole abstrusas sinus. » Cæcus fluctus tamen, nec dum tamen canus, de quo Atta (MS. *aota*) in togata sic ait: « Populo fluctos cæcos faciunt per discordiam; » et Augustus ait: « Nos venimus Neapolim, fluctu quidem cæco. » Litus, quicquid aqua alluitur. Flumen omnis humor, qui vel modice fluit. Torrens fluvius, qui a pluvia crescit, siccitate torrescit, id est, arescit, de quo Pacuvius ait, « Flammeo vapore torrens torret. » Ostia exitus fluminum in mare. Tolli aquarum projectus, quales sunt in Aniene (MS. *assiense*) flumine quam se maxima præcipitio.

ERNESTII

EXCURSUS

AD

SUETONII CÆSARES.

EXCURSUS I

AD CALIGULAM, CAP. 8.

APUD *hibernas legiones*, etc. Contra Suetonium, pro Plinio et Tacito, acriter disputat Lipsius, Excurs. 50 ad Tacit. Annal. 1, 41, ejusque rationes refellere conatur : parum, ut opinor, feliciter. Quædam e. c. videamus. Negat, vulgo non notos fuisse natales Caligulæ, atque ausum esse quemquam, in versibus tam impudenter mentiri. Respondeo : si vir gravis auctor esset, non faceret; sed hi versus sunt ἀδέσποτοι. Quid autem poetæ non audent adulationis caussa? quam impudenter in privatis mentiuntur? quanto plus ergo in principibus. Tacitus et Plinius, inquit, copiam et curam inspiciundorum actorum non habuerunt? Copiam quidem habuerunt : Suetonius maximam, ut qui publicas Cæsarum litteras tractavit. Curam quidem, in hoc capite, non habuisse illi videntur, cessuri alioqui publicarum litterarum auctoritati, si reperissent, in Germanici et Fonteii consulatu Antii natum Caium Cæsarem. Sed Tacitus quidem non scribit, quod ipse de natalibus Caligulæ sentiat, sed quid vulgus hominum dixerit, quod potuit propter multitudinem liberorum Germanici errare. Mittamus cetera, quæ pleraque sunt fingentis potius, quam docentis, ut : quid si eo anno ne quidem natus Caligula, sed paullo ante? aut paullo post? quid si absente patre in castris natus est, relicta in Germania Agrippina, parte vicina? quid si, quæ in actis de Caii natalibus scripta erant, ad alium pertinebant? Si talibus quæstiunculis velimus convellere auctoritatem et fidem diligentissimi scriptoris, qui ostendit, se de re ista summa cura quæsisse, nihil jam erit, quod non dubium reddi possit. Ecce vero, exoritur hic etiam Pagius, Crit. Baron. ad a. C. XI, n. 3, qui Plinium quidem et Tacitum cum Lipsio, sed etiam Suetonium (quanquam non video qua in re, quando, quæ dicit, omnia in Lipsium potius et Plinium, quam Suetonium conveniunt) hallucinatum scribit. Quomodo ergo? « Caius alio, inquit, in loco genitus, alio in loco natus. Incidit ejus natale in diem ultimum Augusti mensis, Germanico et Fonteio coss., ideoque mense circiter Octobri anni antecedentis, quo Germanicus adhuc in Germania erat, procreatus est : sicque accurate Tacitus ait, hunc in castris genitum et in contubernio legionum eductum. Ex quibus tamen verbis perperam infert Lipsius, existimasse Tacitum, in Germania Caium natum esse. Versiculi vero laudati neque ei, neque Plinio favent. In castris enim natus idem est, quod in castris genitus, quomodo eos

divulgatos existimo, quibusque verbis eos Lipsius ipsemet exhibet.» Nova sane ista ratio, et mira. Ergo jam, non ubi nati illustres viri et principes, sed ubi concepti sint, commemorabitur ab Historicis et Poetis? et vulgus conceptionis tempus computabit, ut in laudibus hominum commemoretur? Nihil vidi magis. Nihil dicam amplius. Nam vanitas rationis hujus per se patet. Atque etiam *genitos* apud Suetonium esse *natos*, aliis locis doceri potest. Tiber. c. 5, «Servilii Isaurici, Antoniique consulatu genitum scribunt.» Ceterum quod actorum auctoritatem agnoscit, et Anti natum Caligulam statuit, recte atque ordine facit. Videtur autem Agrippina ibi potissimum parere voluisse, propter suavitatem et salubritatem loci notissimam. Manifestum sane est hoc, in actis duorum Caiorum natales proditos exstitisse: alterius majoris Tiburi, alterius minoris Antii. Plures his duobus Caii, Germanici filii, non fuerunt. Constabat porro, Caligulam esse minorem Caium. Ergo sine omni errandi periculo videbat et credebat Suetonius, hunc esse Caligulam, qui Antii natus sit. Conferri etiam possunt, quæ super hac re pro Plinio et Lipsio dixit Rezzonicus, Disquiss. Plin. t. I, p. 154.

EXCURSUS II

AD CALIGULAM, CAP. 14.

Artabanus, *Parthorum rex*, etc. Insignis est h. l. negligentia Virorum doctorum in comparandis inter se scriptoribus. Primo Torrentius laudat Dionem, lib. LIII extr. ubi de Artabano quidem, sed de longe alia re, sub Tiberio gesta, sermo: quæ nihil huc pertinet. Ad Vitell. c. 2 porro, hanc rem copiose narrasse dicunt Josephum, lib. XVIII. Sed ibi sermo est de re simili quidem, et a Vitellio itidem, sed sub Tiberio, gesta. Ad Josephi autem locum Spanhemii nota Usserium et Basnagium laudat, arguentes Josephum erroris in eo, quod dicat Augusti et Caii simulacris sacrificatum ab Artabano, idque sub Tiberio factum, quum Suetonius et Dio sub Caio factum tradant, fide digniores haud dubie auctores. Sed Dio hanc rem quidem attingit lib. XLIX, p. 661, addita etiam temporis nota, sed ut tamen manifestum sit, sermonem esse de re, sub Tiberio gesta, quam ipse lib. LVIII, pag. 637 seq. ad Tiberii tempora retulerit. Unde mihi aliquando etiam suspicio orta est, locum illum in nomine Caii corruptum esse. Ceterum εἰκόνες apud Dionem non sunt *statuæ*, ut Interpres habet, sed illi ipsi, quos dixi, clypei e signis

militaribus suspensi. Quod ad dissensum Josephi et Suetonii attinet, neuter videtur rem, uti gesta esset, aut ignorasse, aut, uti nosset, tradere noluisse. Itaque optimum fuerit, existimare, de rebus diversis loqui utrumque. Olim summis artibus precibusque Tiberii, a Vitellio invitatus, Artabanus ad ripam Euphratis et colloquium venit, in medio fluminis ponte, ubi etiam convivio excepti sunt ab Herode. Hoc tradit Josephus, l. c. cap. 4, nil amplius. Nunc autem, quum idem adhuc Vitellius Syriæ præesset, ultro venit, amicitiam petiit, ipsum flumen transiit, venitque in castra Romana, et signa adoravit. Ern. Non profecto talis auctor est Josephus, ut ejus defendendi caussa rem per se parum probabilem fingere oporteat. Wolfius.

EXCURSUS III

AD CALIGULAM, Cap. 17.

Primum (*consulatum*) *ex Kal. Juliis*, etc. Prima hic Burmanni dubitatio est, quare, quum mense Martio jam mortuus esset Tiberius, Kalendis Julii demum inierit consulatum: quam dissolvere ille non potuit. Ego solvendam puto sic, ut dicamus, Kalendas Julias sollemnes inprimis fuisse Consulibus suffectis, sub Augusto inprimis, ut non facile, nisi mortuo aliquo Consule, succederetur ordinariis, nisi Kalendis Juliis: id quod Fasti consulares planissime demonstrant. Caussa autem ejus rei fuit hæc, quod eæ sunt initium alterius semestris, anno vulgo in duas partes diviso, propter quam caussam etiam locationes et conductiones ædium hac die factas, vidimus Excursu ad Tiber. cap. 35. Dio quidem, lib. LIX, pag. 644, diserte tradit, Caium noluisse, popularitate quadam, prius consulatum inire, quam semestre Consulum ordinariorum exiisset, additque, in tot menses iis consulatum datum fuisse, quod de more factum, dubitari nequit. Altera dubitatio nascitur e Claud. c. 14, ubi Claudius dicitur, « novo circa principem exemplo, in locum demortui suffectus esse. » Sed hæc facillime tollitur. Nam primo, qui Kalendis Juliis sufficiuntur, non demortuo sufficiuntur, sed de more, a longo tempore recepto, ut Kalendis Julii alii Consules procedant, instituto illo ab Augusto propterea, ut honores cum plurimis communicarentur; quod illum de consilio Mæcenatis instituisse, e Dione discimus. Tum hic sufficitur Caius, non currente imperio, sed initiis ejus, quæ ornari

credebantur et illustrari suscipiendo consulatu. Non ergo fefellit Suetonium memoria in illo Claudii loco.

EXCURSUS IV

AD CALIGULAM, CAP. 17.

Ex *omnibus duos novissimos conjunxit.* Difficilis locus, quicquid statuas, cum Petavio et Pagio, legendum *tres*, et alterum consulatum ponendum in A. U. DCCXCII, ut privati fuerint Consules A. U. DCCXCI: sive vulgatum serves, et alterum consulatum tribuas A. U. DCCXCI. Nam has partes si sequare, etiam duo primi conjuncti sunt, quicquid Torrentius dicat, hoc est, duobus continuis annis gesti. Sin sequare Pagium, Latinitas et sensus non videtur pati: *ex omnibus* (h. e. quatuor) *consulatibus, tres* (*tantum:* nam id jubet intelligere τὸ *omnibus*) *novissimos conjunxit.* Dixisset etiam fortasse *posteriores*, non *novissimos*. Atque hoc videtur ipse post sensisse Pagius. Nam quum in Dissert. Hypatica sic locum proposuerit: *ex omnibus tres novissimos conjunxit:* in Crit. Baron. ad A. U. DCCXCII dicit: Norisium in Epistola consulari probasse suam emendationem: *ex omnibus tres ordinarios conjunxit.* Sed ita manet difficultas in verbo *omnibus:* deinde frustra additur *tres*, qui numerus per se intelligitur, si ordinarius primus in A. U. DCCXCII illigatur: denique, pro *duos novissimos* legere *tres ordinarios*, est vim facere. Itaque proclivis sum in hanc sententiam, ut legendum putem: *ex ordinariis duos novissimos conjunxit.* Ita Panvinii ordo Consulum manet, Latinitas recte se habet, et fecit Suetonius id, quod Burmannus eum facere debuisse dicit, ut consulatus Caii distinxerit in unum suffectum, et tres ordinarios. *Ordinarius consulatus* est Galb. cap. 6, Domit. cap. 2. Quodsi cum Pighio, Pagio, aliisque Fastorum concinnatoribus et correctoribus secundum consulatum, propter Dionis et antiquorum Fastorum auctoritatem, illiges A. U. DCCXCII, idque rectum esse constet, malim Suetonium lapsum credere, cum Petavio, Doctr. Temp. lib. X, cap. 8, quod fieri potuit, quam aliquem sensum admittere, quem Latinitas non patiatur.

EXCURSUS V

AD CALIGULAM, CAP. 20.

ASTICOS *ludos*. In judicio hujus loci inprimis tenendum esse hoc arbitror: « Ludos, peregre a Caligula editos, fuisse peregrinos, in istis locis, ubi editi sint, usitatos. » Indicio sunt ludi Lugduni editi. Ergo ludi Syracusis editi fuere ludi Græci, inter Siculos, inprimis Syracusis, solennes et usitati. Quo constituto repudiantur primo *hastici* et *Attici*, quæ est multorum codd. et edd. lectio, præsertim quum ne explicari quidem, quales fuerint, possit; deinde *Actiaci*, qui placebant Torrentio, præsertim quum repugnet etiam hic locus alii, cap. 23. Noti autem contra sunt inter Græcos ludi *astici* et *iselastici*, vel *selastici*: quarum lectionum altera est codd. nonnullorum: altera facile corrumpi potuit in *astici* vel *hastici*, propter terminationem vocis antecedentis, prima syllaba excidente. Si *asticos* probemus, cum magno Scaligero et sequaci Casaubono, erunt ludi Græci, moris Atheniensis, ex eo genere, quod in Urbe agebatur, quod dictum est ἀστυκὸν, sive, ut Stephanus mavult, ἀστικὸν (unde concidit argumentum Grævii contra Scaligerum, quod scriptum sit *asticos*, non *astycos*), ut distinguerentur ab iis, qui extra Urbem celebrarentur. Sic Baccho celebrabant ludos in Urbe et extra Urbem: illi ἀστικοὶ, hi ἐπὶ Ληναίῳ dicti: vide Casaubonum ad Athen. p. 388. Verum in hac lectione mihi restat hoc dubium, quod ita aut nullum certum genus ludi indicatur a Suetonio, quod tamen et voluisse, et debuisse facere videtur: sunt enim, late sumto verbo, omnia genera ἀστυκὰ, quæ in Urbe aguntur: aut sola Dionysia illa urbana sic dicta intelligenda sunt. Ea an hic locum habeant, quod videtur velle Scaliger et ejus sequaces, omninoque est probandum, adscita illa lectione, possumus videre, indagando, quo anni tempore Caius, Syracusis commoratus, ludos illos ediderit. Docet autem Suetonius ipse, cap. 24, Caium a morte Drusillæ, sororis, impatientia doloris, Urbe profugum, Syracusas petiisse, neque diu ibi moratum esse. Ea mors evenit A. U. DCCXCI, parte anni ultima, ut e narratione actorum ejus anni apud Dionem colligas. Atqui Dionysia majora, quæ *astica* dicta sunt, veris initio celebrata fuisse constat. Contra ludi *iselastici* potuere incidere in quamcunque anni tempestatem: et, quum casu tum celebrandi essent, advenienti Imperatori honoris caussa deferri, ut iis præesset. Id fieri solitum, ut principibus hoc deferretur, docent exempla apud Petavium ad Julian. Ep. XXXV, e quibus locis etiam de tempore ludorum cogno-

sces. Syracusani fuere coloni Corinthiorum : quare Isthmios ludos fuisse arbitror. *Iselasticorum* nomen sæpe corruptum in antiquis monimentis monet Bouhier. in Epist. ad Hagenbuchium, p. 11. Itaque cum Grævio et Burmanno probo *iselasticos*, qui tum celeberrimi et Imperatoribus Romanis grati fuere; unde a Trajano in Bithynia, ab Antonio Puteolis instituti. Vide Scaliger. de Emend. Temp. lib. V, p. 477. *Iselastici* autem dicti, quia victores, hieronicæ, εἰσελαύνουσιν, h. e. per partem murorum dirutam, velut in triumpho, in urbem vehuntur : cujus generis fuerunt antiquissimi Olympici, post Pythii, Nemei, Isthmii, aliique ad eorum similitudinem instituti. Ceterum illos, sive iselasticos, sive asticos, ludos a Caio Syracusis institutos esse, ut Scaligero l. c. placet, id e loco Suetonii non apparet. Adde Bouhierium, Ep. ad Hagenbuchium, p. 9.

EXCURSUS VI

AD CLAUDIUM, Cap. 10.

Prorepsit *ad solarium proximum*, etc. Viri docti fuerunt, qui e vestigiis codicum scriptorum, qui *scolarium* præferunt, legerent *scalarium*, valde probante Burmanno, Viro longe doctissimo, eamque sententiam non parum juvari a Dione Cassio et Josepho, putarent: quorum alter, Antiqq. XIX, 3, Claudium latuisse tradit, κατά τι προσβατὸν ὀλίγαις βαθμίσι χωρίον, *in loco, ad quem paucis gradibus adscenderetur:* alter autem, lib. LX init. ἐν γωνίᾳ που σκοτεινῇ, *in angulo quodam obscuro.* Sed non unum tamen obstat, quo me fateor impediri, quo minus eam sententiam probare possim. Nam primo Claudius timore recesserat in diætam, non, opinor, in prima parte atque aditu Palatii, sed remotiorem, id quod ipsum verbum, *recesserat*, indicat. Audita cæde, quum augeretur timor, magis ille latere cupiens, confert se in locum, ubi minus quæratur, aut animadvertatur. Hoc intelligere de scalaribus non possum. Quomodo enim quis in scalis, aut prope scalarum gradus, per quos itur, se putet latere posse? Porro, abdidit se intra vela foribus prætenta. Hoc quomodo, si *scalarium* legamus, commode interpretabimur? Neque enim vela foribus, qua scalaribus obversæ sunt, sed in cubiculum versus, prætenduntur, ut intelligi potest ex iis, quæ de velis januarum congessit Lipsius ad Tacit. Ann. XIII, 4. Scalare autem ipsum quas fores habeat, nisi forte in aditu, intra quarum vela nemo se occultet? Jam illud quis non videt, *prorependi* verbum aptius esse, si ad solarium Claudius processit, quam si ad scalaria in interiora domus regressus est? Denique ipsa verbi reponendi forma suspecta esse potest. Veteres enim

inscriptiones in singulari numero semper *scalare* habent. Solum Glossarium Labbæi *scalarium* præfert, atque id ipsum forte errore auctoris, qui pluralem *scalaria* a singulari *scalarium* duci putabat: uti quidam pro singulari *scalarium* laudant Vitruvium, V, 6, apud quem tamen ille numerus non reperitur. Et hujus tamen Glossarii auctoritatem ita amplectitur Lexicon Fabri, ut hanc unam formam, relicta rectiori, ponat. Nam infimæ ætatis scriptores, qui *scalarium* habent (vide Cangium in Glossar. in h. v.), nihil moramur. Neque argumento, quod e Josepho et Dione arcessitur, non satis, ut opinor, facere possumus. Nam quod Dio eum in obscuro angulo stetisse dicit, nihil impedit, quo minus in aditu solarii, alicui cubiculo adjuncti, se abdiderit. Lampridius quidem, cap. 14, Elagabalum etiam prodit, « subito militum strepitu exterritum, in angulum se condidisse, objectuque veli cubicularis, quod in introitu cubiculi erat, se texisse. » In quem, quæso, angulum? nempe ejusdem cubiculi, in quo erat, ut contextus orationis docet. Neque illi pauci Josephi gradus alieni sunt a solarii aditu, ad quod per eos adscendi potuit.

EXCURSUS VII

AD CLAUDIUM, Cap. 20.

Fucinum (*lacum*) *aggressus est*, etc. Viri docti, Torrentius, Casaubonus, Grævius, Burmannus, inducti Dionis Cassii loco, negant, lacus Fucini opus a Claudio perfectum esse. In quo mea sententia ab ipsorum ratione discedit. Dico igitur primum: « Suetonium absolutum opus credidisse et prodidisse. » Nam, primo, emissionem lacus Fucini refert inter Claudii opera perfecta, una cum Ostiensi portu, et aqua Claudia, etc. Deinde, diserte dicit, post undecim annos absolutum: tertio, sollemnitatem emissionis addit, cap. 21. Quæ sunt omnia ejusmodi, ut indicent, Suetonium de perfectione operis non dubitasse, de eaque ex certis et diligenter perscriptis monimentis prodidisse. Nam quod Burmannus e verbo *aggressus* argumentum ducit, fallitur. Suetonius voluit indicare, quo consilio ad opus illud accesserit, et dicit: *Fucinum aggressus est*, etc. An vero non aggredimur etiam ea, quæ post perficimus? Livius, VI, 2 extr. *Sed urbem etiam aggressus, impetu primo cepit. Adversus hanc* autem tam perspicuam *Suetonii affirmationem*, dico secundo, *nihil valere Dionem*, qui e posteriorum temporum statu lacus Fucini videtur collegisse, opus absolutum non fuisse. *Neque*, tertio, *obest*, *quod Nerva lacum Fucinum emisisse dicitur* in inscriptione apud

31.

Gudium, p. 88, 3: non quo fidem inscriptionis in dubium vocari velim, sed quod Nervæ opus instauratio potius operis fuit, quam absolutio. Nempe tale opus diligentia quadam indigebat, ut conservaretur, quam ei non præstiterunt successores Claudii, inprimisque Nero. Auctor rei Plinius, Hist. Nat. XXXVI, 15, qui *hoc opus destitutum esse,* ait, *successoris odio.* Quod si aliter statuamus, et Claudio absolutionem operis negemus, quia a Nerva dicitur emissus lacus in inscriptione, sequetur, ut etiam Nerva non absolverit, quia Spartianus tradit, eundem ab Hadriano emissum fuisse. Sed et hoc non aliter accipiendum, quam, post Nervam, destitutum opus negligentia Trajani, et ab Hadriano instauratum fuisse. An vero credibile est, si Hadrianus illud opus absolvisset, Suetonium, qui in Hadriani aula fuit, absoluti operis gloriam tributurum tam clare Claudio? Maneat ergo, Claudium primum absolvisse hoc opus, instaurasse primum Nervam, mox Hadrianum. Similiter aquas Curtias et Cærulas perductas a Claudio, sed intermissas, h. e. neglectas a successoribus, nec satis diligenter conservatas, et hinc dilapsas, instauravit Vespasianus, ut docet inscriptio apud Gruterum, pag. 133, 1. Ern. Conf. Fabretti singularis libellus de Emissar. Lac. Fuc. Wolf.

EXCURSUS VIII

AD NERONEM, Cap. 17.

In hoc capite aliquoties reprehendi a Jure Consultis indicavimus Suetonium, quasi lapsum memoria, ut Neroni attribueret, quæ superiorum Imperatorum essent. De ea re nonnulla universe dicemus, ut etiam ad alia historicorum loca intelligenda et vindicanda prodesse possint.

Primum igitur mihi ridiculum videtur, dici, Suetonium in his peccasse memoriæ lapsu. Etenim si quis scriptor alius generis, orator, philosophus, aut poeta, qui obiter rem talem, tamquam exempli caussa, attingeret, ἁμαρτήματος μνημονικοῦ argueretur, ferri posset hæc reprehensio. Nam his non necessaria est maxima diligentia, iique exempla fere e memoria depromunt. Itaque videmus et concedimus, eos interdum memoria lapsos in nominibus locorum hominumque, in numeris, etc. Sed longe aliter est in historico diligente, et eo loco, ubi est sedes propria argumenti alicujus; ibi ineptum esse, aio, memoriæ lapsus jactare; veluti in hoc Suetonii loco, ubi Suetonius instituit commemorare, quid novi in jure constituerit Nero. Non hic e memoria scribere poterat,

aut scribebat Suetonius, sed tabulas publicas, quarum copiam summam habebat, consulebat, et hinc in Commentarios suos præcipua, a Nerone constituta, referebat. Si aliter egit, male functus est historici officio, quod nullo modo credi potest. Jam illa reprehensio multo sit absurdior, si cogitemus, unde ea ducta sit. Nempe tota commovetur e Digestis, hoc est, non e legibus et litteris publicis, sed e libris veterum Jure Consultorum. Quæ autem ista iniquitas et inscitia est, Jure Consultorum Commentarios de jure opponere historicis in rebus historicis. An hi sunt homines isti, qui in rebus historicis plus fidei habeant, quam ipsi historici, et ii quidem diligentissimi? Ergo Sleidanos, Thuanos, Pufendorfios, aliosque, quamvis insignes historicos, memoria lapsos dicemus, si qua in re historica ab iis dissentiant Jure Consulti, Finkelthusii, Schneidewini, Treutleri. Immo vero Jure Consulti ex historicis emendandi et redarguendi sunt, non hi ex illis. Ergo vel sic totum istud reprehensionum genus concidit. Verum, quoniam prisci illi Jure Consulti plerumque studiosiores litterarum et doctiores erant, quam nostri, æquum est, ipsis quoque consuli, quoad fieri potest. Dico itaque, talia loca, atque nominatim hæc, de quibus sermo, conciliari posse cum locis Jure Consultorum interpretatione commoda. Ea facilis erit, si teneamus, « Jure Consultos veteres atque etiam alios scriptores nomina legum et Senatus Consultorum usurpare non modo de iis, quorum proprie ea sunt nomina, sed etiam de his, quibus addita sunt, vel explicandi, vel emendandi, vel confirmandi caussa, et quæ ipsis postea adjecta sunt, iisdem de caussis. » Hanc observationem exemplis quibusdam illustrabimus. Tacitus, Annal. XIII, 42, commemorat *pœnam legis Cinciæ*. Atqui non modo non constat, certam lege Cincia, proprie sic dicta, pœnam fuisse constitutam, sed adeo Ulpianus, Fragm. I, 2, auctor est, legem Cinciam imperfectam fuisse, hoc est, nullam pœnam constituisse; hoc enim Jure Consulti legem imperfectam dicunt. Ergo *lex Cincia* apud Tacitum ponitur pro Senatus Consulto, quod ad legem Cinciam sanciendam et emendandam factum erat, in quo pœna constituta. Plinius porro, Paneg. c. 42, « locupletabant et fiscum et ærarium non tam Voconiæ et Juliæ leges, etc. » Quis credat, e lege Voconia proprie sic dicta, fiscum locupletari potuisse; quæ libera republica scripta est, quum nullus adhuc fiscus esset. Intelliguntur ergo eo nomine Senatus Consulta a principibus ad legem Voconiam facta. Jam quis adeo hospes est in Digestis, quin sciat, sæpe *legi Corneliæ* tribui, quæ postea principes ei per Senatus Consulta, aut alia quacunque ratione, addiderunt, ut l. XV, § 4; l. XXV, XXXIII, ad L. Cornel. de Falso. Atque hoc dudum vidit Gothofredus in Quatuor font. Juris, cap. 17, in notis ad Leg. Pap. Popp. Conf. Nordkerk. de Leg. Petron. p. 18. Ex quibus sit, ut possit Claudius quoque quædam de singulis his rebus constituisse, quæ aucta sint et emendata a Nerone ita, ut Suetonius tradit.

EXCURSUS IX

AD VESPASIANUM, CAP. 2.

Ædilitatis *mox ac præturæ candidatus*, etc. Hunc locum corruptum esse, nemo ambigit. Itaque hoc liberius in eo poterimus versari. Ac primum eum de nostra sententia constituemus; deinde breviter illustrabimus, et aliorum sententias refellemus. Sic igitur totum locum legendum putamus: « Quæstor Cretam et Cyrenas, provinciam, sorte cepit: ædilitatis mox, ac præturæ candidatus. Et illam non sine repulsa, sextoque loco, vix adeptus est: at prima statim petitione, et inprimis, Prætor, infensus Senatui, etc. » Primum igitur τὸ *mox* suo loco restituimus transpositione. Intervallum plurium annorum, quod Lex Annalis ponit inter quæsturam et ædilitatem, item unius tantum inter hanc et præturam fecit, ut *mox* ad præturam transferretur. Sed illi plures anni tum demum quæsturam et ædilitatem intercedunt, ubi quis Quæstor anno suo factus est. Potest autem Vespasianus non suo anno, sed multis annis post demum Quæstor factus esse, quod e familia obscura esset. Porro τὸ *etiam* vitiosum esse, dudum docti Viri observarunt, alio *ædilitatem*, alio *illam*, quod melius, reponente. Nostra emendatio proxime accedit et ad vestigia vulgatæ lectionis, et ad consuetudinem Suetonii, rem, summatim propositam, per partes explicare: in quo addere solet etiam *quidem*, sed non semper. Supra, Vitell. cap. 5, « in provincia.... at in urbano officio. » Conf. cap. 9. Denique *at* pro *ac* legendum dudum plurimi viderunt, propter oppositionis rationem. Hoc autem certiorem reperient lectores nostram emendationem, his consideratis. Primum verba, *non sine repulsa*, *sextoque loco vix*, unice pertinere patet ad ædilitatem, quum propter structuræ rationem, tum quia Prætor dicitur in primis factus esse: qui autem sexto loco sit Prætor, non sane sit in primis: ut nihil dicam de verbis, *prima statim petitione*, quæ et ipsa de prætura capienda mox ostendemus. Dubitationem movet Burmannus inde, quod, si sexto loco Ædilis fuerit, frumenti curam habuerit: quod repugnare loco alteri, c. 5, ubi curam viarum habuisse tradatur. Enimvero, unde demonstrabimus, eos, qui quinto et sexto loco Ædiles creati fuerint, semper Cereales fuisse? An, quia frumenti caussa quintus et sextus accessere, necessario ultimus locis electi hanc curam habuere? Non hoc consequens est. Locus, quo quis creatur, tantum indicat, quam quis gratiosus sit apud eos, qui creant: non quam partem

muneris habiturus sit. Nam nec, qui primus Prætor creatus est, statim sit Prætor primus, sive urbanus: nec, qui ultimus creatus est, illam curam habet, propter quam ultimus locus olim accessit. Ubi plures eodem nomine magistratus creantur, qui non communiter idem curent, ut Consules, sortiuntur illi partes muneris publici, ut Prætores. Ergo Vespasiano sorte illa viarum cura evenit, etsi ultimo loco creatus erat. Jam verba, *prima statim petitione*, ad nullam aliam rem, nisi ad præturam referri possunt; non ad ædilitatem, ut Burmannus vult. Nam *prima petitio* Latinis non aliter dicitur, quam hoc sensu, ut primum quis aliquem magistratum petat, ambiat: dicique de omnibus potest, qui primo conatu magistratum quemcunque capiunt, et sine repulsa creantur. Ergo *prima petitio* h. l. non est ædilitatis, quam non prima petitione consecutus est, sed post repulsam, verum præturæ. Dicit ergo, non modo sine repulsa, sed etiam ita factum esse Prætorem, ut prius, quam plerique cæterorum, creatus sit. Est ergo manifesta oppositio ædilitatis et præturæ, et quidem duabus rebus: Ædilis post repulsam, ultimo loco; Prætor sine repulsa, priori loco creatus est. Ergo necessarium est, legi *illam*, et *at*. Jam debuerat Suetonius dicere: *at prima statim petitione, et in primis præturam;* sive, si malebat constructionem mutare: *Prætor factus*, vel, *creatus est*: orsus deinde esset novam sententiam: *Infensus Senatui*, etc. sed maluit hanc partem cum sequenti sententia conjungere, studio illius per participia et absolutos nominativos constructionis, et ne bis præturæ mentio facienda esset. Etenim ludos Victoriæ depoposcit, quum Prætor esset. Ergo sententia hæc est: at Prætor statim factus, quum infensus esset Senatui, voluit ei ægre facere, Caii gratiam captando, et depoposcit ludos Victoriæ, etc. Cumulatorum talium nominativorum, talisque adeo constructionis, a qua melius abstinuisset, passim apud Suetonium exempla diligens lector animadvertet. Dukerus locum hunc, quem corruptum agnoscit, sic constitui vult: « Ædilitatis, ac mox præturæ candidatus, illam non sine repulsa, sextoque loco, vix adeptus est: hanc prima statim petitione et in primis. Prætor, etc. » Oudendorpius: « illam non sine repulsa, sextoque vix adeptus est loco: hanc prima statim petitione et in primis. Prætor, etc. » Ern. Non reperit ergo Vir summus, quod maxime necessarium erat, nec vidit, HANC undecumque erui et referri oportere ad ILLAM. Neque placet constructio, *ædilitatis.... candidatus*, etc. Wolf.

EXCURSUS X

AD VESPASIANUM, CAP. 22.

PERDUCTÆ. Mirum sane est, Viris tantis, quales Casaubonus et Burmannus fuere, potuisse in mentem venire, ut putarent legendum esse *perducta*. Ut non dicam ultra modum sordidum esse, Imperatorem pro concubitu accipere mercedem, idque Suetonium, ut omnium sordidissimum cap. 16 commemoraturum fuisse; ratio grammatica repugnat. Nam deberet esse ab initio, *expugnato* (non *expugnatus*)... *quum perducta... donavisset*. Sed Burmannus occurrit sic, ut dicat: si vulgata vera sit, in sequentibus esse debere *inferri*, non *referri*, item *Vespasianus adamatus*, non *adamato*. Ad primum quod attinet, concedimus, *inferri* scribendum, sicque rescripsimus, post Grævium. Ita enim clare codex Memm., ita MSS. Torrentii: sic etiam MS. Lyser. *Summam referre rationibus* non est Latinum: ne addito quidem *in*, ut vult Burmannus, satis Latinum putem. *In rationes referri* dicitur pecunia. Cicero Verr. I, 41, « Tutores, quemadmodum eam pecuniam in rationes referrent, non videbant. » Deinde, unde intelligitur, *referri* esse pro *acceptum referri*? Etenim, sive in acceptis, sive in expensis aliquid scribatur, utrumque *referri* dicitur *in rationes*. At dativus, *Vespasiano*, hanc interpretationem postulat. Quare? An dicitur tantum, *referre acceptum alicui*: non etiam, *referre expensum alicui*? Apud Ciceronem, pro Flacco, cap. 19, *referunt operi publico*, non est expensum operi publico, sive operis publici caussa? *Expensum ferre alicui* quoties est apud Ciceronem, pro Roscio Comœdo, et alibi! Ex quibus sit, ut *perductæ* verum sit. *Vespasiano adamato expensum*, est acute dictum. Feminæ, haud dubie nobilis, nomen et caussam datæ pecuniæ in tabulis scribi, parum decorum erat. Volebat ergo scribi, pecuniam eam propterea expensam esse, quia Vespasianus adamatus sit: ejus caussa illam pecuniam consumtam esse: plane ut in illo *operi publico referri*. Cæterum sentit nobiscum Dukerus, probatque Oudendorpius.

EXCURSUS XI

AD TITUM, CAP. 9.

FERRAMENTA *pugnantium*. Manifestum primo esse arbitror, solos gladios hic intelligendos esse. Etenim Aurelius Victor diserte gladios nominat, et res est ejusmodi, ut gladii soli intelligi possint. Volebat porro docere Titus, se nihil ab iis timere: quod, nulla alia parte ornatus gladiatorii porrigenda, efficere poterat. Neque vero quicquam, mos erat, inspiciendum præbere, præter gladios: nam cæterorum nulla vis in pugnando. Tum reliquus ornatus gladiatorum ab Imperatore ipso, quum editor muneris esset, suppeditabatur; unde *apparatus aulicus* dicitur (Domit. cap. 4), nec opus erat, eum inspici. His positis, quæramus, an gladii soli possint *ornamenta pugnantium* dici. Id ego vero prorsus nego. In omnibus exemplis, quæ proferuntur, plurimum aliquis confidat exemplo Burmanni, qui e Taciti Hist. V, 22, laudat *ornatum militarem*: nam *ornatum Neronem* e Nerone, cap. 21, jam repudiavit Grævius. Sed, si locum inspexeris, videas, ornatu illo militari gladios non comprehendi. Etenim militibus, sine ornatu militari procurrentibus, arma mucronesque strictos tribuit. Ergo ornatus militaris est in sago, galea, lorica, scuto, ocreis, non in gladiis et telis. Sic Samnitici milites ornati fuere, sed non, qua tela et gladios, verum scuta, galeas, vestes. Locus apud Livium in primis huc pertinens est, IX, 40, « Campani, ab superbia et odio Samnitium, gladiatores eo ornatu armarunt. » Miror, hoc loco neminem hic usum. Nam hic diserte *ornatus gladiatorum*. Sed qualis ille ornatus, docet Livius, ejusdem capitis initio: « Scuta auro vel argento cælata, spongia pectori tegumentum, ocrea in sinistro crure, galeæ cristatæ, tunicæ versicolores, et candidæ. » Hic ornatus totus: nihil amplius: non etiam gladii et tela. Itaque Imperator Romanus, confirmaturus milites suos, non isto ornatu militibus opus esse, dixit, sed *ferro* et *animis*. Itaque multo magis miror Dukerum, ad illum potissimum Livii locum sibi demonstrandum sumsisse, non modo *ornatum* de armatura dici, sed etiam male in loco Suetonii *ferramenta* a nonnullis, pro ornamentis, rescribi. Ergo sunt quidem gladiatoribus sua ornamenta, eaque arma, sed in iis aut gladii non numerantur, aut, si vel maxime, aliquo forte loco, *ornandi* verbo etiam gladii et tela contineantur, tamen maxime ad cæteram armaturam potius, quam ad gla-

dium et tela respicitur. Tamquam, si quis apud eumdem Livium, VII, 14, ubi agasones, mulis impositi, dicuntur partim *captivis, partim ægrorum armis ornati*, velit gladios quoque intelligere, non repugnem: sed, quia ibi res magis refertur ad speciem externam, manifestum est, maxime cætera, galeas, scuta, etc. intelligi. Accedit etiam hoc, quod, ubi apud veteres de armorum ornatu ac pulchritudine sermo est, reperimus, gladios, et ea, quæ sunt ad vim faciendam, non commemorari. Caligula, auctore Nostro, c. 55, « mirmillonum armaturas recidit, » i. e. imminuit, minori impensa faciendas curavit. Id non tam de gladio, aut telo, quo vis fieret, intelligendum, sed de cætero ornatu, planissimum est. Vide ad Cæs. c. 67. Omnino nullum adhuc locum video esse prolatum, ubi gladii et tela separatim, ornatus aut ornamentorum nomine, dicantur. Atqui talis locus desideratur, ad probandum, *ornamenta* hic locum habere. Quare, quia hic de gladiis solis sermo, *ornamenta* locum non habent, sed *ferramenta*. Ex his poterit ad omnia exempla, quæ proferuntur, vel ad hunc locum, vel ab Lipsio, ad Tacit. Hist. III, 63, vel ab Heinsio, ad Virg. Æneid. XII, 344, Drakenborch. ad eumdem Livium, XXIV, 48, responderi.

EXCURSUS XII

AD DOMITIANUM, Cap. 2.

Relictum *se participem imperii*. Non pugnabo, *principem imperii* a Suetonio fuisse: cæterum illam lectionem non tam absurdam, ut visa est, puto. Etenim, primo, consortem et participem imperii initio agnovit Titus: vide in Tit. cap. 9. Similiter apud Philostratum, in Vita Apollonii, lib. VI, cap. 32, diserte consors imperii vocatur. Domitianus dicitur Titum sustulisse, *οὐ τὸ ξὺν ἀδελφῷ ἄρχειν δεινὸν ἡγούμενος, ἀλλὰ τὸ ξὺν πρᾳῷ καὶ χρηστῷ*. Atque id consortium ei debebatur, quia Cæsar erat, quod tum erat nomen imperii. Sic Lactantius, de Mort. Persec. cap. 7, Diocletianum dicit, *tres participes regni sui fecisse*, etiamsi unus tantum Augustus, duo Cæsares fuere. Manifestum porro est, Domitianum non consortionem imperii quæsisse, aut societate imperii contentum fuisse, sed solum imperare voluisse, atque primas tenere, atque hac de caussa sollicitasse exercitus. Neque dubitavit ipse, vivo adhuc Tito, se consortem imperii esse. Nam quum Flavius Sabinus, patruelis et Titi gener,

albatos ministros haberet, sicut Titus, et ipse, *οὐκ ἀγαθὸν*, dixit, *πολυκοιρανίη*. Ergo particeps imperii fuit, et se esse consortem imperii credidit. Quid? quod, vivo adhuc patre, quodammodo particeps imperii fuit. Itaque infra, c. 9, initia ejus ponuntur in principio imperii paterni. Quam ergo diceret testamento fraudem adhibitam, per quod particeps imperii esse debuisset? Neque denique volebat, Titum non participem esse imperii, sed non principem. Scilicet, ut, patre vivo, Titus imperii particeps fuisset, sed ita, ut pater major ipso, et princeps imperii esset: ita volebat hominibus persuadere, patrem testamento cavisse, ut ipse princeps imperii esset, Titus tantum consors. Nam, quod cap. 9 *privatus* dicitur, ante Titi mortem fuisse; illis temporibus etiam participes imperii sic vocabantur: quia *principi* opponitur *privatus; princeps* autem proprie unus erat. Burmannus dubitabat, an eleganter et ex usu antiquæ Latinitatis dici posset *princeps imperii*. Ego vero non dubito. Ut, apud Ciceronem, Senatores alii *participes consilii publici*, alii *principes consilii publici* dicuntur: sic, quum duo imperant, sed inæquali jure, ut sæpe factum est ante Antoninos, alter est *princeps imperii*, alter *particeps*, sive *consors imperii*. Itaque fateor, mihi antiquam illam lectionem magis placere, restituissemque loco, unde depulsa est, ni codd. boni obstarent, propter quorum auctoritatem in contextu alteram toleravi. Ern. Manifestum mendum esse *principem imperii*, et rei et Latinitatis ratio vincit. Longe diversum genus loquendi est *princeps consilii*, quo mireris Ernestium abuti potuisse ad illud defendendum. Wolf.

EXCURSUS XIII

AD DOMITIANUM, Cap. 3.

Domitiam, *ex qua in secundo consulatu*, etc. Valde torsit hic locus Viros doctos, quorum sententias sigillatim recensere, longum foret. Explicanda autem nostra qualicumque sententia, præcipuas attingemus. Ac primo, *secundum consulatum* aliter capere consuetudo perpetua Suetonii non sinit, quam de eo, quem patre vivo A. U. DCCCXXVI, a. C. LXXIII gessit. Itaque non audiendi Rupertus et Pagius, qui de altero ordinario capiunt, ut recte monuit jam Grævius. Nam, quod ait Pagius, historicos interdum suffectos consulatus in Imperatoribus negligere; primum id non est hujus ætatis, ut ipse Pagius in Dissert. Hypatica, p. I, cap. 7, n. 3 init. docet, sed seculi III. Deinde, non profecto est diligentium historicorum, qualis Suetonius est. Exemplum Dionis et Chro-

nici Alexandrini, quo utitur, ut Domitiani suffectos consulatus non numeratos ostendat, profecto nihil efficit. Nam primo Chronici Alexandrini nulla est auctoritas: Dionis autem ipsius librum de Domitiano non habemus, sed Epitomen tantum Xiphilini, parum accurati et diligentis Epitomatoris. Tum, si vel maxime ei aliquid tribuerem, tamen nihil hic caussæ Pagii prodesset; quod tum demum futurum esset, *si omnes consulatus suffectos omisisset.* Nunc Xiphilinus quatuor tantum omittit, duos numerat: Chronicon Alexandrinum tres omittit, tres numerat. Quid inde efficitur? Non profecto, diligentes historicos consulatus suffectos Domitiani non numerasse: sed, parum diligentes illos scriptores aliquot consulatus suffectos male omisisse. Eadem responderi argumento Pagii, e numo Domitiani petito, debent, in quo consulatus VI pro VII ponitur, neglecto uno suffecto, non omnibus: meritoque audiendus Petavius, qui illas epigraphas mendosas putat, præsertim quum in cæteris omnibus numis Domitiani et inscriptionibus consulatus suffecti numerentur, ut docet Norisius, Epistola consulari, p. 52. Maneat ergo, intelligendum esse consulatum eum, quem dixi. Neque mirum est, eo anno Domitianum ex uxore Domitia prolem sustulisse: quum eam tribus annis ante, quum Prætor consulari potestate esset, duxisset, auctore Nostro, supra c. 1; de eoque adeo dubitandi caussa idonea nulla est. Nam, quod Grævius e Martiale, III, 6, docet, post Titi mortem, quum solus imperaret, ei filium natum esse, qui mox mortuus et consecratus est; id etsi verum est, tamen non impedit, quo minus et ante, vivo patre, sustulerit prolem. Si consuetudinem eam, qua in Cæsare, Augusto, aliisque usus est Suetonius, in Domitiano conservasset; et de ejus matrimonio et prole separatim, et proprio aliquo loco, dixisset, aut Dionis Cassii librum de Domitiano haberemus, clarior res foret. Nunc verbis his standum, quæ sunt clarissima.

Major difficultas est in sequentibus verbis, *alteroque anno consalutaverat ut Augustam.* Quem dicemus illum *alterum annum* esse? Scaliger capiebat ita, ut Latinitas et verba sinunt, ut sit alter annus a consulatu illo secundo. Si verba non corrupta sunt, alium sensum ea per Latinitatem habere non possunt. Verum hic exoritur magna dubitatio: quomodo, illo tempore, Domitia *Augusta* appellari potuerit, quum ipse Domitianus nondum Augustus esset. Eam Scaliger, ad Eusebium p. 202, sic tollebat, ut diceret, morem fuisse, ut non solum Augustorum uxores Augustæ dicerentur, sed etiam filiæ, sorores, nurus et socrus. Jam, quamquam nullum exemplum ex primo seculo afferri potest nurus Augustæ, cujus maritus Augustus non esset, tamen id, non adeo absurdum est, existimare, primum factum in Domitia. Caussa potuit hæc esse, quod peperisset, cui aliquando imperium deberetur, quando Titus cælebs esset, nec videretur uxorem ducturus, essetque adeo aulæ domusque Augustæ subsidium unum. Molesta porro est conjunctio *ut,* quæ in hac forma loquendi usitata non est. Verum eam natam dicere possumus e finali syllaba præcedentis verbi, ejiciendamque esse, ut visum Torrentio, Gronovio et Oudendorpio. Adjuvare porro hanc nostram

explicationem hujus loci videtur hoc, quod repudiatio Domitiæ facta dicitur *inter initia imperii:* quæ verba non satis attendisse videntur Viri docti. Nam si secundum consulatum de ordinario secundo capimus, et alterum annum de altero anno post consulatum secundum ordinarium, divortium ad minimum cadit in tertium annum imperii Domitianei: quod mihi non videtur satis convenire verbis istis, *inter initia imperii.* Atque ego non ignoro, ista verba mòdo latius, modo angustius patere apud scriptores: sed tamen apud Suetonium fere de primo anno dicuntur. Sic in Claud. c. 7, « Sub Caio, fratris filio, secundam existimationem circa initia imperii omnibus lenociniis colligente; » ubi primus annus intelligendus. Conf. infra, c. 9 init.

Quod si cui hæc ratio, a nobis explicata, non placeat, quoad posteriorem scilicet partem, de Augustæ appellatione (nam priorem illam certam putamus); is poterit etiam sic legere: « Domitiam, ex qua in secundo consulatu filium tulerat, alteroque anno suo consalutaverat Augustam.... repudiavit. » Nempe illud *suo,* quod parum elegans est eo, quem obtinet, loco, potuit ex hoc loco, quem ei in hac lectione assignamus, migrasse in superiorem. *Altero anno suo*, intellige altero anno imperii Domitianei. Dicimus *primo, secundo,* etc. *anno Tiberii, Caii,* etc. pro imperii Tiberiani, etc. cur non etiam dicatur Imperator aliquid fecisse *altero anno suo?* Atque ita Suetonius in concordiam redigetur cum Chronico Eusebiano, quod in altero imperii Domitianei anno ponit hoc: *Domitiani uxor Augusta appellata.* Hæc ratio si probetur, initia imperii paullo latius, de primis imperii annis, capienda sunt. Accuratius hoc definire liceret, si Dionis liber integer restaret, ut, quo anno Paris interfectus esset, scire possemus. Atque non negabo, mihi hanc rationem melius placere illa superiori, propterea quod Domitianus eam dicitur consalutavisse Augustam, quod ille facere, nisi princeps, non potuit. Ern. Etiam in hac disputatione veris et bonis admixta sunt falsa, quæ tamen singulatim refellere nihil attinet in loco, qui vix ad certam et liquidam rationem redigi posse videatur. Est enim mendosus, et in optimo cod. margini adscriptum, *Deest aliquid.* Sed hoc *aliquid* satis probabiliter supplet Oudendorpius, ex MSS. vestigiis sic scribendo: « Deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filiam tulerat, alteroque anno filium, ac consalutaverat Augustam, eandem, etc. » In secundo consulatu, sive primo ordinario a. Chr. 826 genuit filiam, cujus memoria interiit. Conf. Drakenb. ad Silium, III, 629. Sed *altero anno;* non ab illo consulatu, sed altero anno *principatus* (de quo a capitis initio cœpit agere Auctor), *filium* accepit, nempe ann. 835, eodemque anno uxorem consalutaverat Augustam, et Censor est factus. At infans ille brevi mortuus et consecratus est, *Divusque* Augusti *filius* dictus: quod clare patet ex Martiale, per Grævium citato, et numis consecrationis ejus multis. Inspice præter alios Scheuchzer. in Miscell. Lips. vol. IX, pag. 221. Domitiam vero non ante Titi mortem, neque primo Domitiani principatus anno, sive ann. 834, sed altero declaratam esse Augustam, docet Eusebius. Sic omnia erunt dilucida. At si

quis contendat, vocem *principatus*, seu *imperii* non subintelligendam, sed addendam fuisse, addat ille, per me licet. Verum et cap. 9, *inter initia*. Nam *altero anno suo* pro sui imperii anno, scriptum a Suetonio, non credo. WOLF.

EXCURSUS XIV

AD DOMITIANUM, CAP. 4.

TOGA *Græcanica*. Scrupulus restat in hac lectione unus, quem mihi eximi velim. Nempe debebant Viri docti, si satis asserere hanc lectionem vellent, docere, quemquam Latinorum scriptorum veterum *togam* dixisse de veste Græca, *pallio* aut *chlamyde* : quod illi, sive quia in mentem non venit, sive quia non potuere, non fecere. Mihi quidem, attendenti et quærenti, non licuit observare aut reperire vel unum exemplum. Immo *togæ* verbum semper Latinæ vestis nomen fuit, quo ea a Græcis distingueretur: ut pallium numquam de toga dictum, eadem de caussa, reperimus. Quare nondum liquidum puto de hac lectione. Bimardus in Dissertationibus apud Muratorium, Thes. Inscriptt. tom. I, p. 16, probat *Germanicam togam*, intelligitque vestem talarem, qua olim Germanos, in primisque Francos, usos constet: quæ sane, comparatione cum togis lautiorum et molliorum, ad talos demissis, toga potuit appellari. Quod vestis Germanica non respondet crepidis, non mirandum in Domitiano, qui in multis aliis pro libidine egit, nihil curans consuetudinem et morem. Potuit autem toga Germanica uti favore cognominis, quod a Germanis victis assumserat, in quo quomodo sibi placuerit, ex eo intelligi potest, quod mensem unum Domitianum, alterum Germanicum, appellari voluit, infra cap. 13, item ostentatione victoriæ atque triumphi e Germanis, tum adhuc recentissimi. Etenim agon Capitolinus primum celebratus est a. C. LXXXVI, qui est A. U. DCCCXXXVIII, ut docet Pagius ad illum annum. Sed triumphum de Germanis in eumdem annum incidisse, ibidem docetur. Oudendorpius togam Græcanicam interpretatur *cyclada*, togam muliebrem rotundam et talarem, mixtam e Græco et Romano genere, quæ et a Servio ad Virgil. Æneid. I, 282, *togis* accensetur.

EXCURSUS XV

AD DOMITIANUM, Cap. 5.

Deustis *utrinque lateribus*. Pro lectione MS. Lyser. *decisis* hæc dici possunt. Dionis Epitomator, p. 772, ait, Circum a Trajano ampliatum διαφθαρέντα πη. Zonaras, qui Dionem compilavit, φθαρέντα. Id Interpretes verterunt *collapsum*, non satis accurate. Ac non negem, φθαρέντα dici etiam ea, quæ incendio corrupta sunt. Sed nemo veterum scriptorum hujus incendii mentionem facit. Num quod Donatus, in Roma Vetere, huc refert incendium Neronianum, quo etiam Circus arsit, auctore Tacito, Annal. XV, 38, a quo tempore usque ad Trajanum negat instauratum Circum fuisse; id mihi propterea non satis probatur, quia non credibile, tam diu Circi usu carere potuisse. Atque etiam sub Tiberio arsit Circus, ut vidimus: neque traditur, a quo instauratus fuerit. An vero Imperator Nero, tam studiosus Circensium, sivisse in ruinis jacere Circum? Neque Latinitas ei opinioni satis convenit. Nam ablativi illi sic positi sunt, ut ad tempora Trajani referantur necessario: omninoque ille locus, inter *Circus maximus* et *exstructus* aptior est τῷ *decisis lateribus*, quam τῷ *deustis lateribus*. Dixisset etiam, opinor, potius *instauratus* vel *restitutus* est, quam *exstructus*. Præterea non abhorret, διαφθαρέντα nihil aliud esse, quam, *qui vitium fecerat, aliqua parte* seu *aliquo loco* (πη) indigebatque instauratione. Trajanus eam occasionem arripuit ampliandi Circi, ut majorem multitudinem caperet (Plinius, Paneg. c. 51), idque fecit *decisis*, h. e. dejectis ac destructis, lateribus utrinque, ut ab utraque parte Circi spatium latius promoveret. Haud dubie præferenda est hæc lectio vulgatæ. Ern. Immo certa videntur pleraque omnia, quæ vulgo dicta hic arguendi caussa repetuntur. Ne Latinum quidem est *decidere latus*, seu *partem ædificii*, ut et Oudendorpio visum est. Wolf.

EXCURSUS XVI

AD DOMITIANUM, Cap. 8.

Perfusoriæ *assertiones* (nam ita legendum) quid sint, dubitatur. Cujacius, ad l. XIII Pandect. de Excusat. p. m. 256, ait esse, ter quaterve, dicis caussa, repetitas, in liberalibus caussis: de quibus idem Jure Consultus maximus scripsit ad Paulli Sentent. lib. V, tit. 1. Janus a Costa, Cujacii discipulus, ad Instit. I, 13, de actionibus, explicat de assertione ficti assertoris, quum dominus per collusionem cum assertore patitur liberum judicari servum: eaque sententia placebat Burmanno. Valde contra dubitabat Noordkerkius, de Lege Petron. pag. 54, recte a Costa explicari assertiones perfusorias. Ipse nihil aliud esse putat, *perfusoriis assertionibus se accommodare*, quam, sacramentum in libertatem recipiendo, ac vindicias decernendo permittere, ut assertiones instituantur. Sed his verbis arbitror explicari tantum posse, quid sit, *assertionibus se accommodare*, non quid *perfusoriis*. Tum, *dare vindicias*, h. e. permittere, ut vindiciæ instituantur, non est judicum, sed Prætoris: quod ipse mox demonstrat, quum Prætoris fuisse dicit, examinare caussam litigandi, eaque probata, disponere assertiones. *Accommodare se caussæ*, quum de judice dicitur, in utramque partem dici potest ex usu Latinæ linguæ. In bonam partem quum dicitur, est nihil aliud, quam quod Cicero dicit, diligentiam in cognoscenda caussa adhibere. Sed h. l. dicitur in deteriorem partem, et est, favere caussæ contra jus et æquitatem, et connivere ad fraudes: quod intelligitur ex eo, quod Imperator recuperatores admonet severe, ne id faciant: neque aliud esse potest. Nam si Prætor dat recuperatores, hi necessario judicant. Ergo non potuit eos Cæsar admonere, ne tales caussas cognoscerent: sed ne in iis contra jus de industria pronuntiarent. *Perfusoriam* vero *actionem*, vel *assertionem* puto esse eam, quæ fit per calumniam, qua innocens præter jus vexatur. Sic manifeste dicit Cicero, pro Roscio Amer. c. 29, *perfundere aliquem judicio*, quod ibi nihil aliud est, quam alicui calumnia litis molestiam creare, et in periculum capitis adducere: neque ullo modo audienda alterutra interpretatio Grævii, cujus fluctuatio manifesta est. Nam Cicero dicit, iniquum esse, Erucium re vera accusare eos, a quibus mercedem acceperit, et tamen judicio perfundere, h. e. in judicium et capitis periculum sine caussa adducere hominem, quem innocentem esse videat et credat. Hinc ergo ductam esse puto *perfusoriam assertionem*, qua dominus justus adducitur, per calumniam litis, ut Cicero vocat,

pro Milone, c. 27 (*per calumniam litium fundos alienos petebat*), in periculum servi amittendi. Ergo Domitianus admonuit recuperatores, ne per gratiam, aut alia quacunque de caussa, secundum calumniatores in caussa liberali pronuntiarent. Suetonius in hac inprimis caussa severitatem Domitiani commemorare voluit, quod recuperatores tali iniquitate non modo legitimos dominos servis súis privarent, sed etiam civitatem inquinarent, servis improbis ingenuitatem adjudicando : quamquam ceterum non ignoro, assertionem perfusoriam etiam esse, quum lis per calumniam intenditur ingenuo.

EXCURSUS XVII

AD DOMITIANUM, Cap. 8.

Nummarios *judices*, etc. Casaubonus et Guietus interpretantur assessores, sive consiliarios. Non improbem. Sed vellem planius dixissent, quales essent ii judices, qui assessores et consiliarios haberent. Quodsi hanc sententiam probamus, intelligenda res erit de judiciis iis, quæ singulis judicibus exercebantur : item, de arbitriis, quæ et ipsa judicia dicuntur. Sic Aquillius datus judex solus in caussa Quintiana. Et tribuitur *consilium* cap. 2, 10, 15. Id ille ipse adsciverat, constabatque tribus Jure Consultis, M. Marcello, P. Quintilio, et L. Lucullo. Sed mirum videatur, Domitianum severitatem illam suam tantum exercuisse in hoc genere judicum, qui singuli dati se corrumpi passi essent, non omnino in omnibus : quod tamen factum videtur. Nam superiora duo pertinent ad genera caussarum, hoc universe ad judices. Atqui in iis judiciis, ubi plures judicant, dici non potest, judices habere consilium, quod quidem sciam. Igitur arbitror verba, *judices nummarios cum suo quemque consilio*, etiam sic capi posse, ut *consilium* sit totum judicium, omnis numerus judicum, qui in caussa aliqua sedissent. *Consilium* de judicio dicitur quocunque. Cicero in Cæcil. cap. 4, *scit, qui est in consilio, C. Marcellus :* is autem erat in judicibus. Conf. Verr. II, 29, etc. Res autem sic habet : quum cognitum esset, in judicio pecuniam esse versatam, totum illud consilium, sive judicium, notavit Domitianus, ut corruptum et injustum. Sic quondam, in caussa Oppianici, quum constaret, pecuniam in judicio versatam esse, etiam judex quæstionis, quamvis innocens, et plerique judices, etiam innocentes, vel damnati vel a Censoribus notati sunt, totumque illud consilium infame fuit. Videturque Domitianus ea severitate tanto majorem terrorem injicere,

atque efficere voluisse, ut observarent se invicem judices, ne quis accipere pecuniam auderet. *Notavit* autem referendum ad Domitiani censuram.

EXCURSUS XVIII

AD DOMITIANUM, CAP. 9.

NEGOTIANTES *ex consuetudine*, etc. Difficilis explicatu locus duabus in rebus: primum, *qui scribæ quæstorii* intelliganter? urbani, an provinciales, an omnes; deinde, *quæ ista lex Clodia sit?* Quod ad primum attinet, non videtur intelligendum de urbanis cum Torrentio: quia nulla caussa, quare iis negotiatione interdiceretur, quum illis temporibus Quæstor urbanus pecunias publicas non tractaret; quod non veniebat in mentem Torrentio, quum in h. l. commentaretur: neque ulla caussa reperitur, quare Quæstoris tantum scribæ ab negotiatione arceantur, non et cæterorum magistratuum, quibus ea interdictum fuisse, nemo nec tradidit, nec credit. Capio igitur de provincialibus, remque sic concipio. Cautum erat clare olim legibus, idque post principalibus constitutionibus repetitum, ne Præsides provinciarum, et qui circa eos essent, fœnus exercerent, negotiarenturve: vide Modestinum in Pandect. leg. 33, de rebus credit; sed, ut excepti essent comites, sive officiales ii, qui perpetui essent, et in provincia, etiam mutato Præside, manerent, ut Paullus docet I, 34, eod. tit. et Sentent. lib. II, tit. 1, §. 5. Nam iniquum videbatur, eos, qui perpetuo in provincia aliqua manerent, ab omni negotiatione excludi, ut recte monet Schultingius. Ex quo ipso per analogiam quandam colligere licet, scribis urbanis magistratuum idem licuisse. Jam quia iisdem principalibus constitutionibus non et diserte de Quæstorum provincialium scribis cautum erat, cœperunt negotiationem exercere, neglecta lege antiqua, velut oblitterata temporis diuturnitate. Itaque visum est Domitiano, de ea re nova constitutione cavere.

Quod ad *legem Clodiam* attinet, arbitror, intelligi legem, liberæ reipublicæ temporibus latam: a quo lata sit, ignoro. Putant partem ejus legis fuisse, quæ Senatores prohibuit, naves ædificare aut emere. Sed incertissima conjectura est, et solo nomine communi nititur. Res ipsa est ejusmodi, ut lege aliqua de provinciis caveri potuerit, vel cauta esse videatur: nisi lex de scribarum officio fuit, quæ cum multis aliis ignoratur.

EXCURSUS XIX

AD DOMITIANUM, Cap. 17.

Dolonem *interjecit.* Emendationem elegantem ac certissimam Ferrarii, *dolonem interjecit*, improbat, præter alios Burmannus, hac allata ratione, quod dicendum fuisset *injecit*, non *interjecit:* quod an Latinum sit, dubitat. Enimvero hæc verba non debent significare petitionem Domitiani, dolone factam, quod esset *injicere:* nam de hac mox, *suffodit inguina:* sed modum abscondendi dolonis, ne deprehenderetur. Ego vero non dubito, conjecturam hanc esse certam. Nam de dolo ante dictum, *consilium operamque obtulit;* et mox, *sinisteriore brachio*, etc. In his est dolus. Sed pars doli est etiam in hoc, quod instrumentum cædis ipsa hora, rei dicta, inseruit fasciis, et ita occultavit, ne deprehenderetur : id factum, *interjecto inter lanas et fascias dolone.* Quum ita parasset se, instruxissetque, professus est indicium, et admissus, etc. Sic apud Horatium in Epodis, *Libelli inter pulvillos jacent.* Philostratus porro diserte tradit, ita absconditum a Stephano dolonem, in Vita Apollon. VII, 25, nec credibile, hoc prætermissum a Suetonio; quum sit memoratu dignissimum. *Dolum interjicere,* latine quidem dici posse arbitror, sed non pro *adhibere*, quomodo esset h. l. capiendum: nec ad rem perficiendam, sed impediendam potius; quod ab hoc loco est alienum. Tacitus quidem, Ann. I, 24, dicit *minas interjicere*, sed ibi duæ partes sunt. Ad locum Philostrati miror nihil dixisse Olearium, quod ad hanc rem pertineat. Ignoraverit oportet hunc locum Suetonii, et notam Casauboni. Casaubonus in suo exemplo legit ὑφόρας, pro quo legendum putat ὑφαρμόσας. Olearius autem habet in textu ὑφείρας πήχει, vertitque: *subnectens cubito:* quod intelligi non potest: nec ullam alterius lectionis mentionem in notis facit, aut indicat, unde hanc lectionem habeat. Nihili autem vox est ὑφείρας. Nam ex analogia deberet esse ὑπείρας : sed ejus compositionis exemplum nullum exstat in Lexicis. Inserendi autem et interjiciendi vim habent alia e verbo εἴρω composita, ut ἐνείρω, διείρω et παρείρω, apud Longinum Sect. 3, ex Æschylo, quod verbum nondum est in Lexicis vulgatis. Itaque legam aut ὑπείρας, aut παρείρας.

INDICES

IN

SUETONIUM

INDEX
HISTORICUS.

GAL GAL

MÆC MAL

RHO RUT

TER THR

ZEN

INDEX

LATINITATIS SELECTÆ.

victoribus Græculis, *Tib.* 56. — acquieverunt principes sequentes his amicis, *Tit.* 7. — ut præsentes honori acquiescerent, *Tib.* 31.

Acroamata interposita cœnis, *Aug.* 74. — vetera revocat in ludis, *Vesp.* 19.

Actionem eam deposuit, *Cæs.* 15. — actiones continuas omisit, *Ner.* 15. — actiones Dolabellæ, *Cæs.* 49. — actiones restituit iis, qui formula excidissent, *Claud.* 14.

Actuarius, *Cæs.* 55.

Actus diurni residua conficit in lectica, *Aug.* 78. — actus rerum, 23; *Claud.* 15.

Ad (pro circiter), *Cæs.* 20, 41. — ad manum, 84. — ad Malum Punicum, *Dom.* 1. — ad Gallinas, *Galb.* 1. — ad exemplar exigere, *Aug.* 31. — ad breve, *Tib.* 67. — ad ipsam horam dolonem interjecit, *Dom.* 17, 21. — ad multam noctem, *Aug.* 78. — ad lucem, *Cæs.* 3. — ad lumina reversus, *Cal.* 45; *Cæs.* 73. — ad summam ubertatem vini, edixit, *Dom.* 7. — ad quartum lapidem, *Aug.* 94. — ad tot millia passuum patet], *Cæs.* 25. — ad libidinem, 76. — — ad verbum nonnulla transtulit, 30, 55; *Aug.* 89. — ad occasionem auræ, 97. — ad similem sententiam, *Cæs.* 84. — ad prætextum, *Aug.* 12. — ad cyathum et vinum stare alicui, *Cæs.* 49. — prosiluit ad flumen, 32.

Adæquare se fratri operibus, *Dom.* 2.

Addere ad, *Aug.* 32.

Addormiscere, *Claud.* 8.

Adducto fere vultu, *Tib.* 68.

Adesse cui, *Aug.* 56. — adversus se intemperantius adfuisse, *Claud.* 38.

Adhibere, *Cæs.* 33. — fraudem testamento, *Dom.* 2.

Adigere legiones in verba alicujus, *Vesp.* 6. — adigi sacramento in nomen Senatus, *Galb.* 16. — adegit ferrum jugulo, *Ner.* 49.

Adipisci; in adipiscenda morte, *Dom.* 14. — post adeptum regnum, *Tib.* 38.

Adjurare *Aug.* 31.

Adjutores, imperii, *Cal.* 26.

Adjutocium facere alicui, *Grammat.* 10.

Admissionis officium, *Vesp.* 4.

Admoveri in convivium et ad aleæ lusum, *Claud.* 39. — ad spem successionis, *Cal.* 12. — ad curam reipubl. *Aug.* 64.

Adnotare; noxios adnotavit, *Cal.* 27. — (de Critico), *Gramm.* 24.

Adnotus, *Gramm.* 1.

Adolescens, *Aug.* 20.

Adorare citharam, *Ner.* 12. — — cælum, 41.

Adscitus in bona et nomen, *Galb.* 17.

Adscribi in albo, *Ner.* 21. — adscripsit se titulis omnibus pronepotem Catuli, *Galb.* 1.

Adsessor, *Galb.* 14.

Adsistere aræ, *Dom.* 17.

Adventitia cœna, *Vit.* 13.

Adversæ partis, scil. vir, *Cæs.* 63, 75, etc.

Advocatio (de caussæ forensis actione), *Gramm.* 22.

Æneatores, *Cæs.* 32.

Æqualis membris omnibus, *Tib.* 68.

Æquitas membrorum, *Aug.* 79.

Æquus; prope ex æquo officia mutua usurpans, *Tib.* 11. — æquum tempus, *Cæs.* 35.

Æstimatio possessionum, *Cæs.* 42. — æstimatione magna fuit, *Aug.* 3.

Ætas constans, *Galb.* 4.

Affectus febre, *Vit.* 14. — affectus, sed adhuc spirans, *Tib.* 21.

Affectum parentis unicum præstitit, *Tit.* 7.

Affectatione obscurabat stilum, *Tib.* 70.

Afflixit ream testimonio coram, *Ner.* 7. — amicitias ejus afflixit, *Tib.* 51. — afflicti in amicitia Augusti pauci, *Aug.* 66. — pro afflicto eum lamentata est mater, *Vit.* 3. — afflixit negotium, *Rhetor.* 6.

Affluens numerus Senatorum, *Aug.* 35.

Africanæ, *Cal.* 18; *Claud.* 21.

Abfuit in propinqua oppida Antio tenus, *Tib.* 38.

Agere principatum, *Tib.* 24. — umbone obvios agens, *Cæs.* 65. — Senatum, *Aug.* 35. — conventum, *Galb.* 9. — agere privatum, trepidum, obnoxium, *Tib.* 12. — civilem, 26. — qui se pro equitibus Romanis agebant, *Claud.* 25. — agi solitæ res mense Nov. et Dec. *Aug.* 32. — agere hac fortuna, his moribus, 61. — egit extorres oppido, 12. — non principem se, sed ministrum egit, *Claud.* 29. — canticum egerunt, *Galb.* 13. — actus est acerbissime fiscus Judaicus, *Dom.* 12.

Aggravante morbo quartanæ, *Cæs.* 1. — aggravata valetudine, *Aug.* 98.

Aggredi legibus aliquem, *Aug.* 10.

Agitator, *Cal.* 55. — agitator prasinus, *Ner.* 22.

Alæ præfectus, *Tib.* 30. — alis singulis duos præposuit, *Aug.* 38.

Albati ministri, *Dom.* 12.

Aleam ludere, *Aug.* 70.

Alias (pro alioquin), *Aug.* 94.

Allegare, *Aug.* 5.

Allegere judices, *Aug.* 32. — in Senatum, 35.

Allicefacti omnibus blanditiis ad, *Vit.* 14.

Allicere, *Cæs.* 28.

Alludens, *Cæs.* 22.

Alveus aleæ, *Claud.* 33.

Alumnum appellant, inter cæteras acclamationes, *Cal.* 13.

Ambirent multi, *Aug.* 31.

Ambitio; per ambitionem, *Cæs.* 28. — sine ambitione tribuit coronas, *Aug.* 25. — per ambitionem restitui posse frumentationes censet, 42. — ambitionis nullum genus omittit in quemquam, *Oth.* 4.

Ambitiosus princeps, *Aug.* 42. — ambitiosæ sententiæ, *Dom.* 8. — ambitiosius id existimans, quam majestas sua postularet, *Aug.* 25.

Ambubaiarum ministeria, *Ner.* 27.

Amicorum cohors, *Cal.* 19. — amicorum in cohortem receptus, *Galb.* 7. — e cohorte dimissus, *Ner.* 5. — super amicos consiliarios sibi poposcit, *Tib.* 55; *Cal.* 33.

Amovere creditores, *Vit.* 7.

Ampliavit numerum magistratuum, *Cæs.* 41. — privilegia athletarum, *Aug.* 18, 45.

Ampliore cognomine, *Aug.* 7. — amplissimus ordo, de equestri, *Vesp.* 9.

Angusticlavius tribunus, *Oth.* 10.

Animadverti a lictore jussit, *Cæs.* 80. — quæ animadvertit Augustus, *Tib.* 68.

Animosissime comparare aliquid, *Cæs.* 47.

Animus; ad animum responderat, *Cæs.* 46.

Annona artior incidit, *Tib.* 8. — artissima, *Galb.* 7. — annona tandem convaluit, *Aug.* 42. — an-

Assertores dignitatis patriciorum, *Tib.* 2.

Assiduus circa scholas, *Tib.* 11. — assiduissimus usus, *Aug.* 71.

Assimulavit apte naturam ejus, *Tib.* 57.

Athleta, *Cæs.* 39; *Aug.* 45.

Atque (post comparativ. pro quam), *Cæs.* 14.

Attendere eruditioni, eloquentiæ, *Cal.* 53. — juri, *Galb.* 5. — extispicio, *Ner.* 56.

Attenuatus continuatione laborum, *Tib.* 21.

Attrectare uxores, *Ner.* 26.

Attritum bello patrimonium, *Aug.* 40.

Auctor legis, *Cæs.* 16. — necis, *Tit.* 9.

Auctoritas ducis; (apud milites), *Cæs.* 69. — auctoritatem absentia tueri, *Tib.* 10. — formæ, *Claud.* 38.

Audens in expeditionibus Cæsar, *Cæs.* 58.

Audire soli sciunt Græci, *Ner.* 22.

Auditorium; in cœtu amicorum, velut in auditorio, *Aug.* 85.

Augere; in semet augendo parcus, *Claud.* 12. — augeri amplissimis sacerdotiis, *Vit.* 15. — maximis honoribus et præmiis, *Cæs.* 52. — augeri hostias imperat, *Aug.* 96.

Augurare; in augurando, *Oth.* 7.

Augurato aliquid consecrare, *Aug.* 7.

Aurea chlamys, *Cal.* 19.

Aurem præbere, *Cal.* 22.

Aurum ad obrussam, *Ner.* 44. — promercale, *Cæs.* 54.

Auspices, *Claud.* 26 (nuptiarum).

Auspicari initium, *Cal.* 54.

Auspicia; partim ductu, partim auspiciis bella gessit, *Aug.* 21.

Aversæ picturæ, *Aug.* 75. — aversus paries, *Ner.* 48.

Avertere rumores, *Cal.* 48.

BET

Bacchantem ita et grassantem non defuit plerisque animus adoriri, *Cal.* 56.

Baceolus (verbum Augusti, pro stulto), *Aug.* 87.

Basis Apollinis Palatini, *Aug.* 31.

Batuebat pugnatoriis armis, *Cal.* 54. — batuentem secum rudibus confodit, *Cal.* 32.

Bene diu, *Vit. Juven.*

Beneficium populi, *Cæs.* 29. — beneficii sui fecit commeatus, *Claud.* 23. — per quosdam centuriones beneficii sui data mandata, *Tib.* 12.

Benevolentissimus natura, *Tit.* 8.

Bestiarii, *Claud.* 34.

BUT

Betissare (verbum Augusti), *Aug.* 87.

Biferæ ficus, *Aug.* 76.

Bis anno, *Aug.* 31.

Blandiente profectu, *Ner.* 20.

Bonum factum, ne quis, *Cæs.* 80; *Vit.* 14.

Brabeutæ humi in stadio assidebant, *Ner.* 53.

Brachium; circumducto brachio, *Claud.* 20.

Breviarium totius imperii, *Aug.* 101. — rationum, *Galb.* 12. — breviaria omnium officiorum perlegit, *Vesp.* 21.

Bucceæ, *Aug.* 76.

Buccula (puerorum), *Galb.* 4.

Buthysia, *Ner.* 12.

Cæs. 23. — suscipere, *ibid.* — recipere, *Claud.* 9.

Cognitura; cognituris compendium nactus, *Vit.* 2.

Cognoscere; (de judiciis), *Tib.* 8. — (de judicibus), *Aug.* 33.

Cohortes urbanæ, *Claud.* 10. — amicorum, *Cal.* 19.

Coire ad facinoris societatem, *Aug.* 32. — (de Senatu), 35.

Collocare filiam, *Aug.* 21.

Color obsoletior, *Ner.* 48.

Coma pinguissima pueri, *Ner.* 20.

Comes et rector Cæs. Lollius, *Tib.* 12. — comites, *Cæs.* 2, etc.

Comitas exquisita, *Oth.* 3.

Comitium ornavit, *Cæs.* 10.

Commeatus (venia discedendi), *Tib.* 10, 12. — commeatum petens, *Tib.* 72; *Claud.* 16; *Ner.* 35. — commeatus classis, *Ner.* 20. — commeatibus dispositis, *Tib.* 38. — commeatus (annona), *Aug.* 16. — (quicquid deportatur), *Tib.* 18; *Cal.* 43.

Commentarii, *Cal.* 15.

Commentus est vigiles, *Aug.* 30.

Commercio communium studiorum gratus, *Claud.* 42. — commercium mutui stupri, *Cal.* 36.

Committere ludos, *Cal.* 18; *Claud.* 21. — naumachiam, *Claud.* 21. — committere (discordiam serere), *Cæs.* 39; *Cal.* 56. — historiam auditorio committere, *Claud.* 41. — peditibus hinc inde commissis, *Cæs.* 39. — multa commissa fiebant, *Cal.* 41.

Commissione ludorum, *Aug.* 43. — commissiones meræ de scriptis Senecæ, *Cal.* 53. — commissionibus obsolefieri nomen suum, *Aug.* 89.

Commoda præmiorum, *Aug.* 24. — missionum, *Aug.* 49; *Vit.* 15; *Aug.* 24. — sacerdotum, *Aug.* 31.

Commodiorem de se spem facere, *Claud.* 3.

Communis sermo, *Ner.* 38. — nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat, *Claud.* 21.

Comœdiam docere, coronare, *Claud.* 11.

Comparare (pro emere), *Cæs.* 42. — comparavit eum Thraci, *Cal.* 35 (pugnare jussit cum Thrace).

Compellare apud aliquem, *Cæs.* 17.

Comperta in stupro generi uxor, *Tib.* 35.

Compescuit ritus, *Tib.* 36. — motus, *ibid.* 37. — compescuit (repulit instantes), *Cal.* 1.

Competere; si cujusquam neptium ætas competeret, *Aug.* 31. — feriæ messis non competebant æstati, *Cæs.* 40. — tanto animo nequaquam corpus competit, *Oth.* 12.

Competitores consulatus, *Cæs.* 41.

Compluvium deorum Penatium, *Aug.* 92.

Componere, *Aug.* 89.

Comprehendere; comprehensis vehiculis, *Tib.* 38; *Cal.* 39.

Conceptus (substantiv.), *Dom.* 22. — ex conceptu camini flagrante triclinio, *Vit.* 8.

Conchyliata vestis, *Cæs.* 43.

Conciliare Cæsari filiam suam existimabatur Servilia, *Cæs.* 50.

Concinere; concinentibus signis, *Tib.* 37.

Concipere; perpetuam singularemque concepit felicitatem, *Ner.* 40. — spem per hæc sibi conceptam, *Vesp.* 5. — concipere litem judicium, *Cal.* 40.

Concreta calla, *Aug.* 80.

tudo, *Gramm.* 4 (usus loquendi).
Consulatus ordinarius, *Dom.* 2; *Galb.* 6.
Consulibus sequentibus, *Cæs.* 1.
Consultatio, *Tib.* 14 (de oraculo).
Consummare opera, *Cæs.* 30. — ante paucos, quam consummaturi essent, dies, *Cal.* 44.
Contabulavit Hellespontum Xerxes, *Cal.* 19.
Contemptus; contemptissimæ inertiæ homo, *Dom.* 15.
Continere se (sc. domi), *Galb.* 19.
Contingere; familiæ, quas ipse contingeret, *Ner.* 32.
Continuare consulatus, *Aug.* 26; *Ner.* 34.
Continuus; continuis XXX millibus operantibus, *Claud.* 20. — continuæ actiones, *Ner.* 15.
Contortis faucibus, *Cæs.* 62.
Contra opinionem, *Vit.* 7.
Contrahere libros, *Gramm.* 24.
Contrarius; philosophiam imperaturo contrariam esse, *Ner.* 52.
Contribuit regna alienigenis, *Aug.* 48.
Contubernium, *Cæs.* 2, 49; *Aug.* 89; *Tib.* 14, 96; *Cal.* 10, 22; *Claud.* 5; *Vesp.* 4. — latera sibi contubernio ejus defessa, *Cal.* 36. — in contubernium revocat libertam, *Vesp.* 3.
Contubernales magistratuum, *Cæs.* 42.
Contumacius parere, *Aug.* 24.
Convalescunt rami languentis ilicis, *Aug.* 92. — convaluit annona, 42.
Convenire nihil minus in duce, *Aug.* 25. — bene conveniens uxor, *Tib.* 7.
Conventus jure dicundo, *Ner.* 28; *Cæs.* 7, 30, 56
Convertere; quo, quicquid calidarum esset, converteretur, *Ner.* 30. — paullatim in segnitiem conversus est, *Galb.* 9.
Convicio magis quam precibus extudit, *Vesp.* 2.
Convinci in fraude, *Claud.* 14, *Tit.* 9.
Convivari recte ac dapsile, *Vesp.* 19. — assidue, nec nisi recta, *Aug.* 74. — frequenter et large, sed pæne raptim, *Dom.* 21; *Cæs.* 48.
Convivium dimissum, plenum, *Aug.* 76.
Cooptavit sibi collegam, *Aug.* 27.
Copæ, *Ner.* 27.
Copia; ex omni provinciarum copia, *Cæs.* 22. — ducibus cum magna copia cæsis, *Aug.* 21. — ex copia præsenti divisit pecunias, *Oth.* 10. — copiis provincialibus gulam ejus expleri posse ratus, *Vit.* 7.
Copiosissimus hostis, *Cæs.* 35.
Copreæ, *Tib.* 61.
Corinthiarius, *Aug.* 70.
Corniculum; corniculo meruit, *Gramm.* 9.
Corollaria, *Aug.* 45.
Corona radiata inter insignia Jovis, *Aug.* 94. — civica, *Cæs.* 2; *Tib.* 26. — quercica, *Cal.* 19. — vallaris, muralis, *Aug.* 25. — exploratoria, *Cal.* 45. — coronæ sacræ, *Ner.* 25. — scenicæ, 53. — citharœdorum, 22; *Vesp.* 19. — coronarum plurium certamen instituit, *Dom.* 4.
Coronare comœdiam, *Claud.* 11.
Corpus; volumina novem unius corporis, *Gramm.* 6.
Correctio morum, *Tib.* 42.
Corrigi malas labentes, *Aug.* 99.
Corripuit impensas ludorum ac munerum, *Tib.* 34.

Corroboratis his (adultis), *Tib.* 11.

Crediti servandi caussa, *Claud.* 16. — crediti quarta pars deperibat, *Cæs.* 42.

Crepidatus, *Dom.* 4.

Cresco; in cujus domo creverat, *Oth.* 1.

Criminosum et exitiale habebatur, *Cal.* 50. — criminosissimus liber, *Cæs.* 75.

Criminosissime insectatus est, *Tib.* 53.

Criminari dictum factumque alicujus, *Aug.* 16.

Criminatio; ex criminationibus Lollii alienior Tiberio Caius Cæsar, *Tib.* 12.

Crura repleta, *Cal.* 3.

Cubans ex duritie alvi, *Ner.* 34.

Cubiculares imagines principis, *Aug.* 7.

Cubicularii, *Cæs.* 3.

Cucumeris frustum pro potione sumit, *Aug.* 77.

Cultrarius, *Cal.* 32.

Cultus Romanus, *Cæs.* 24 (de armatura).

Cunctantior, ad dimicandum factus, *Cæs.* 60. — cunctantius, 19; *Galb.* 12.

Cunei equestris et senatorii ordinis, *Dom.* 4. — cuneum suum prætextatis et proximum pædagogis assignavit, *Aug.* 44.

Cupide condemnare, *Cæs.* 12. — cupide fruaris ætate tua, *Galb.* 20.

Cupiditas; nec cupiditate tanta dilexit, *Cal.* 24.

Curam et imperium legionum demandavit ei, *Cæs.* 76.

Curare cadaver, *Ner.* 49. — curavit reparare bibliothecas, *Dom.* 20. — nec adesse ægræ curavit, *Tib.* 51.

Curiosus et speculator, *Aug.* 27.

Currus laureatus, *Aug.* 94. — curru ingredi Urbem, *Tib.* 9.

Custodiæ quod ubique esset, *Ner.* 31. — custodiæ (vincti ob scelus), *Cal.* 27; *Tib.* 61. — custodias audire, *Dom.* 14 (reos vinctos).

Custodire; custodivit non adeo orthographiam, *Aug.* 88. — custoditum est, ne, *Tib.* 41.

Cycladatus, *Cal.* 52.

DAR DEC

Damnare; reum fecit et damnavit, *Tib.* 8. — (de accusat. vid. Condemnare).

Damnosus; non in alia re damnosior, quam in ædificando, *Ner.* 31.

Dapsile convivari, *Vesp.* 19.

Dare; (sensu obscœno), *Cæs.* 49. — dedit se frequenti convivio, 31. — dedit ad terram corvos aquila, *Aug.* 96. — dabat facillime secundum præsentes, *Claud.* 10 (in decernendo). — darent petitionem, *Cæs.* 26. — dare alicui honorem, imperium, etc. *Tib.* 29. — fabulas, *Vit. Terent.* 4 (de magistratu).

De oratoribus coronatus, *Dom.* 13.

Debili crure, *Vesp.* 7.

Debilitatus lapsu, *Aug.* 43.

Decedentibus rebus, *Cæs.* 25.

Decemjugem currum aurigavit, *Ner.* 24.

Decens ac pulcher in juventa toto corpore, *Dom.* 18.

Deceris Liburnica, *Cal.* 37.

Decidit ad angustias, *Claud.* 9.

Decimare milites, *Cal.* 48; *Galb.* 12; *Aug.* 24

Dispensatio, *Oth*. 5; *Vesp*. 23; (de munere dispensatoris).

Disponere diem, *Tib*. 11.

Disputare sabbatis solitus, *Tib*. 32 (de lectionibus grammatici).

Disquisitio; ad disquisitionem Senatus eum vocavit, *Ner*. 2; *Cæs*. 15.

Dissecare serra, *Cal*. 27.

Dissedit cum Julia, *Tib*. 7.

Disseruit assidue (de grammatico), *Gramm*. 2; cf. 4.

Dissolvere collegia, *Aug*. 32. — cohortem milit. *Galb*. 22.

Distendere tormento, *Tib*. 62.

Distentus et madens, *Claud*. 33 (cibo vinoque scil.).

Distillationibus jecinore vitiato, *Aug*. 81.

Distortos abhorret, *Aug*. 83. — distortissimis manibus pedibusque, *Galb*. 21.

Distrahere pluris (quæ vilius empta), *Vesp*. 16. — distrahere controversias, *Cæs*. 85. — collegia, 42.

Ditio; redire in ditionem domini, *Claud*. 25.

Diversa pars (adversa, contraria), *Cæs*. 29.

Divexare, *Ner*. 34; *Cal*. 3.

Divinitus, *Cæs*. 1.

Divisores, *Aug*. 3 (operæ campestres).

Diurna, *Cæs*. 20; *Claud*. 41.

Docere comœdiam, *Claud*. 11.

Documenta multa egregii principis dabat, *Galb*. 14. — documentis sero tandem apparuit, *Aug*. 49.

Dolo; cum dolone, *Claud*. 13; *Dom*. 17.

Dominatio; (sensu honesto), *Cæs*. 76. — omnem vim dominationis exercuit, *Dom*. 1.

Dominus appellari non vult, *Aug*. 53; *Tib*. 27. — domini insularum, *Cæs*. 41; *Tib*. 48. — ergastulorum, *Tib*. 8. — factionum, *Ner*. 22.

Domus prope afflicta, *Cal*. 13. — domus disciplina lætum et sobole Fortuna destituit, *Aug*. 65. — sua domusque suæ majestas, 25.

Donare negotium (litem deponere), *Cal*. 40. — (pro ignoscere), *Aug*. 5.

Ducatu in omni, *Tib*. 19. — ducatus ludere et imperia, *Ner*. 35.

Ducenarii judices, *Aug*. 32. — procuratores, *Claud*. 24.

Ducentesima auctionum (s. rerum venalium), *Cal*. 16.

Ducere funus, *Aug*. 100.

Duntaxat (scilicet), *Aug*. 66.

Duracina uva, *Aug*. 76.

Dureta (Hisp. verbum; solium lign.), *Aug*. 82.

Durities alvi, *Ner*. 34.

EDE EFF

E studio, *Claud*. 10. — ex fide, *Galb*. 9. — ex decursu, *Ner*. 1.

Edere; edebat per libellos (sc. candidatos), *Cæs*. 41. — perperam ediderit (de historico), 56. — operam scenæ edere, *Tib*. 35. — vitem edidisse (quantum vini), *Gramm*. 23. — munus memoriæ patris edebat, *Claud*. 2. — cachinnum, *Cal*. 57.

Edicere; edictus Senatus in curiam, *Cæs*. 80. — edictis jam comitiis, *Cæs*. 18.

Effeminatus (de pathico), *Aug*. 68.

Efferare vultum, *Cal*. 50.

Efferre; voluptate canendi efferebatur, *Cal*. 54. — popularitate, *Ner*. 49; *Galb*. 30.

Exasserunt pretia Corinthiorum, *Tib*. 34.

Excalceandos pedes præbere, *Vit*. 2.

Excidere formula, *Claud*. 14.

Excipere injurias, *Cæs*. 37. — simultates, 73. — vulnus, *Aug*. 20. — exceptus effuse, *Ner*. 22 (sc. plausu). — excepta gravius sententia, *Cæs*. 14.

Excitare templum, ædem, *Aug*. 29; *Dom*. 5. — honorarium tumulum, *Claud*. 1. — excitari (de eo, qui consedit et sponte surgit), *Aug*. 14.

Excludi consulatu, *Cæs*. 18.

Excogitatus. honor, *Dom*. 14. —excogitatissimæ bostiæ, *Cal*. 22.

Excoluit Urbem, *Aug*. 28, 29.

Excubitor tribunus, *Claud*. 42; *Ner*. 8.

Excusare valetudinem, *Cal*. 27; *Claud*. 5. — languorem faucium, *Ner*. 47.

Excussus titulus ex basi, *Dom*. 15.

Exemplaria sævitiæ, *Tib*. 61.

Exemplo ad capessendam mortem ut se aliquis juvaret, orabat, *Ner*. 49.

Executor offensarum, *Vesp*. 14 (ultor).

Exequi delicta (punire), *Cæs*. 67.

Exercere (omisso *se*), *Cæs*. 26; *Aug*. 98. — legem, *Cæs*. 43. — tabernam unguentariam.... pistrinum, *Aug*. 4. — exercita infantia, *Tib*. 6.

Exhibere liberalitatem, *Aug*. 41.

Exigere benevolentiam mutuam, *Aug*. 66. — disciplinam, *Tib*. 19. — exigere ad exemplar, *Aug*. 31. — maculam 94 (eximere).

Eximere; medium tempus religio exemit, *Oth*. 6.

Existere; pleraque pessimi exempli, quæ exstiterant, *Aug*. 32.

Existimatione aliqua læsisse dictum vel factum Augusti, *Tib*. 58.

Exitus; apparuit exitu Malloniæ, *Tib*. 45. — sibi tam honestum exitum dii darent, *Claud*. 1. — dignum exitum facturos, *Ner*. 46.

Exodium scenicum, *Dom*. 10. — Atellanicum, *Tib*. 45.

Expallidus, *Cal*. 50.

Expellere; expulsus ad componendum Orientis statum, *Cal*. 1.

Experimentum artis dare, *Cal*. 57. — experimenta (doctrinæ), *Claud*. 3.

Experiri; experiebatur grammaticos quæstionibus, *Tib*. 70. — experti et ætate provecti, *Tib*. 54. — expertæ industriæ, *Vesp*. 4; *Cæs*. 44. — expertissimo sibi ostento, *Tib*. 19.

Explicare; spectaculum, quo argumenta inferorum explicarentur, *Cal*. 57.

Exponere; exponunt aliter, *Aug*. 94.

Exprimere quæstione, *Aug*. 19.

Expungere decurias, *Claud*. 15.

Exquirere; matrem exquirentem sua dicta et facta, *Ner*. 34.

Exquisitius sermocinans, *Tib*. 56.

Exquisitissimo genere calumniæ, *Cal*. 38. — exquisitissima comitas, *Oth*. 3.

Exsculpere; elogium tumulo ejus exsculpsisse, *Claud*. 1.

Exsecrare principem, *Tib*. 33.

Exsolvi jure ac dignitate, *Tib*. 35.

Extractus rumoribus falsis, *Galb*. 19; *Cæs*. 24. — promissis, *Tib*. 37.

Extrarius canis, *Vesp*. 37.

Extudit magis convicio, quam precibus, vel auctoritate, *Vesp*. 2.

Exuviæ Jovis, *Aug*. 94.

Fabula; cœna ejus in fabulis fuit, *Aug.* 70.

Fabularis historiæ notitia, *Tib.* 70.

Facere rem divinam Marti, *Aug.* 1. — stipendia, *Cæs.* 2; *Aug.* 2. — pecuariam, *Cæs.* 42. — coactiones argentarias, *Vesp.* 1. — facit ad viperæ morsum, *Claud.* 16.

Facile, *Cæs.* 80 (haud dubie, sine hæsitatione).

Facilis; sermone Græco, quamquam alias promptus et facilis, non usus est, *Tib.* 71.

Factio optimatium, *Cæs.* 11. — pantomimorum, *Ner.* 16. — aurigarum, *Vit.* 7. — prasina, *Cal.* 55. — veneta, *Vit.* 14; *Dom.* 7.

Facultate ducis præbita, *Aug.* 15.

Familia multiplici undique comparata, *Cæs.* 10 (de familia gladiatoria). — familiæ venalitiæ et lanistarum, *Aug.* 42.

Familiaris; minus familiaris vultus, *Cæs.* 78.

Famosum judicium, *Tib.* 35. — famosi equi, *Cal.* 19.

Fastidium; exegit magno fastidio nummum asperum, *Ner.* 44.

Fastigium domus, *Cæs.* 81. — fastigio navalem coronam fixit, *Claud.* 17.

Fatales libri, *Cæs.* 79.

Favere adversus studium alterius, *Cal.* 30.

Favorabilis, *Cal.* 4. — favorabile nomen ejus fuit apud, *Ner.* 57.

Favorabiliter lusit, *Ner.* 7.

Feliciter! (acclamante populo), *Claud.* 7.

Fenebris pecunia, *Cal.* 41.

Feneratores filiorum familias, *Vesp.* 11.

Fenus gratuitum leve, *Cæs.* 27.

Fercula pompæ, *Cæs.* 37. — ferculis duobus cineres Mausoleo intulit, *Cal.* 15. — ferculis tribus cœnam præbet, *Aug.* 74.

Ferre; ferebant se palam succincti ferro, *Aug.* 32. — inter quas (orationes Cæsaris sc.) temere quædam feruntur, *Cæs.* 55. — de hac quoque liberos tulit, *Vit.* 6. — Lachetem se, mutato nomine, ferre, *Vesp.* 23.

Ferrum; ad ferrum exhibuit etiam Senatores, *Ner.* 12.

Ferus aper, *Aug.* 67.

Ficus biferæ, *Aug.* 76.

Figuræ caussidicorum, *Vesp.* 13; *Dom.* 10.

Figurate aliquem notare, *Vit.* *Juvenal.*

Finiit annum, diem, *Aug.* 101.

Fiscales calumnias repressit, *Dom.* 9.

Fiscus Judaicus acerbissime actus, *Dom.* 12.

Fistulatæ tabulæ, *Ner.* 31.

Flagitare; acciri flagitavit, *Claud.* 15.

Flaminium Diale, *Aug.* 31.

Flos ætatis contaminatus, *Cæs.* 49. — flores aspersi tumulo, *Aug.* 18.

Fluctuare inter spem et metum, *Claud.* 4.

Fluxior cinctura, *Cæs.* 45. — fluxioris animi, *Tib.* 52.

Focillata reconciliationis societas, *Aug.* 17.

Folliculus; ad pilam folliculumque transiit, *Aug.* 83.

Forensia (sc. vestimenta, i. e. togæ), *Aug.* 73; *Cal.* 17.

Forma regni, *Cal.* 22. — forma, qua ludum ædificaturus erat, *Cæs.* 31.

Formalis epistola, *Dom.* 13.

Formare; Latine formabat Au-

gustus quod aliis Græce vertendum daret, *Aug.* 89. — epistolas alieno ingenio, *Dom.* 20. — formata in admirationem, *Claud.* 37 (femina). — sermo ejus de hac re formatus, *Ner.* 47.

Formula certa stipendiorum præmiorumque, *Aug.* 49. — ad certam formulam adstrictus commeatus, *Tib.* 18. — formulam injuriarum alicui intendere, remittere, *Vit.* 7. — formula excidebant plus petendo, *Claud.* 14.

Fornix Bithynicus a Curione dictus Cæsar, *Cæs.* 49.

Fortuna (singulariter, pro fortunis, censu, patrimonio), *Cæs.* 65.

Forus; forum aleatorium calfecimus, *Aug.* 71.

Fragrans unguento, *Vesp.* 8.

Frequentare dies cujusque solemnes, *Aug.* 53.

Frigidum sit addere, etc. *Cal.* 26.

Frivolus in cognoscendo amentique similis, *Claud.* 15.

Frugifera quercus, *Galb.* 4.

Frumentationes, *Aug.* 40.

Fungi munera, *Aug.* 35.

Furere adversus liberos Germanici, *Tib.* 61.

Furnariam exercere, *Vit.* 2.

Furor impendiorum, *Ner.* 31.

Fusis armamentis, *Aug.* 17. — togæ fusæ, 73.

Galerus, *Ner.* 26.

Galericulo capiti, propter raritatem capillorum, adaptato, *Oth.* 12.

Generare; versus a cogitante et generante scripti, *Ner.* 52.

Generatim immolare, *Cal.* 22.

Genesis imperatoria, *Vesp.* 14; *Dom.* 10.

Genitura, *Aug.* 94; *Cal.* 57; *Ner.* 6; *Vit.* 3; *Vesp.* 24; *Tit.* 9.

Genitus, *Tib.* 5.

Gens præcipua, *Aug.* 1.

Gentile stemma, *Ner.* 3. — gentile nomen, 41. — gentilis copia, *Vit.* 1. — gentile id in illo videbatur, *Tib.* 68.

Gentilitiæ hereditates, *Cæs.* 1. — gentilitia nomina, *Claud.* 25.

Genitivæ notæ, *Aug.* 80.

Genua; per genua orare, *Tib.* 27.

Genus et familia, *Galb.* 3.

Gerere annum ætatis, *Vesp.* 24.

Gerulorum diurni quæstus, *Cal.* 40.

Gestare, *Dom.* 11 (passiva signific.).

Gestatio, *Claud.* 33.

Gestatoria sella, *Ner.* 26; *Vit.* 16.

Gesticulandi studio qui tenebatur, Senatu motus, *Dom.* 8.

Gesticulatio mollis digitorum, *Tib.* 68.

Gibbam sibi pone cervicem auream enatam somniat, *Dom.* 23.

Gloriosus animus, *Claud.* 1. — gloriosissimæ Germanici victoriæ, *Tib.* 52.

Gradus secundi loco et possessione cedit, *Tib.* 10. — gradum præturæ non egressus, *Galb.* 3; *Oth.* 1. — in ampliorem gradum promoti milites, *ibid.* — pro gradu cujusque, *Aug.* 49. — gradu artissimo contingebat Pompeium, *Aug.* 4. — coma in gradus formata, *Ner.* 51.

Graphium, *Cal.* 28; *Claud.* 15.

Graßari omni rapinarum genere, *Vesp.* 6. — livore, superbia,

sævitia, *Cal.* 34. — avare, superbeque, *Aug.* 67.

Grassatores, *Cæs.* 72; *Aug.* 32, 43; *Tib.* 37.

Gratia Narcissi, *Vesp.* 4. — gratiam parem referre, *Cæs.* 72. — facere, *Aug.* 17; *Cal.* 15.

Gratuitus usus superfluentis pecuniæ, *Aug.* 41. — fenus gratuitum, *Cæs.* 27. — gratuita loca in Circo, *Cal.* 26.

Gratulans inter pœnam piscator, *Tib.* 60.

Gratus; tertiam classem fecit gratorum, *Tib.* 46. — scyphus gratissimi usus, *Ner.* 47.

Gravioris cæli provincia, *Tib.* 36.

Gravabatur matrem hactenus, ut, *Ner.* 34; *Tib.* 50; *Vit.* 12.

Greges (aurigarum et equorum sc.) ducere (locare), *Ner.* 22.

Habere aliquem in honore et usu maximo, *Aug.* 67. — habuit eum incognitum, 94. — consolandos magis, quam puniendos habuit, *Cæs.* 68. — provincias sine legatis habuit, *Tib.* 41.

Habilis nulli publico privatoque muneri, *Claud.* 2. — habilior annonæ urbicæ Ægyptus, *Aug.* 18.

Habitatio Romæ annua remissa, *Cæs.* 38.

Habitus (corporis), *Cæs.* 44.

Hærere; circa libidines hæsit, *Aug.* 71 (libidinis crimen refutare non potuit). — in qua superstitione pertinacissime hæsit, *Ner.* 56. — in explicandis oneribus hæreret, *Dom.* 12. — hæsit Pompeio et Memmio, *Gramm.* 13 (in clientelam s. cohortem comitum se contulit).

Haruspicium; haruspicio insuper confirmatum, *Vesp.* 5.

Hebetare; animo et corpore hebetato, *Claud.* 2.

Hemicyclium, *Gramm.* 17.

Hians per somnum, *Claud.* 33.

Hiemare; hiemavit assidue in Urbe, *Aug.* 72.

Hieme anni, *Cæs.* 35.

Hilare prosecutus, *Ner.* 54.

Hircum vetulum capreis naturam ligurire, *Tib.* 45.

Hodieque, *Claud.* 19.

Honeste natus, *Aug.* 43.

Honestorum copia ne deficeret, *Aug.* 46. — historia honestissimo quoque scribi solita, *Rhetor.* 3.

Honorare (donis afficere), *Aug.* 45. — ornamentis, *Claud.* 28; cf. *Tib.* 9. — honoratus etiam dictatura, *Tib.* 3.

Honorarii ludi, *Aug.* 32. — tumulus honorarius, *Claud.* 1.

Honos; sine censuræ honore, *Aug.* 27. — honores legitimi (oppon. ornamentis consularibus), *Claud.* 5.

Hora; illud horæ, *Ner.* 26. — spatium horarum, 37. — secretum horarum, *Dom.* 3.

Hospitia cum paucis adiit, *Ner.* 47.

Humentes oculi, *Claud.* 30.

Hydraulam prodere destinat Nero, *Ner.* 54.

Hydraulica organa, *Ner.* 41.

Hypocrita, *Ner.* 24.

Intercalaris mensis, *Cæs.* 40.

Interclusi commeatus, *Aug.* 16.

Interjicere dolonem, *Dom.* 17.

Interior et familiaris ejus vita, *Aug.* 61. — interiore animi sui nota patefacta, *Tib.* 54. — interiores aulici, *Cal.* 19.

Interpellare (appellare), *Tib.* 75; *Vesp.* 23. — fame interpellante, *Ner.* 48.

Interponere aliquem epulis familiaribus, *Ner.* 22. — interponi decretum passus est pro, *Tib.* 35.

Intervenire; interveniebat eatenus, ne quid, *Tib.* 33. — nisi ut interveniret Macro, *Cal.* 23 (secreto adesset). — ut quibusdam bellis interveniret, aut non longe abesset, *Aug.* 20. — neque Senatu interveniente, *Cæs.* 30. — intervenientem villicum senator in ædil. flagellaverat, ob id relegatus, *Claud.* 38.

Interventu sponsorum removet creditores, *Cæs.* 18.

Intervisere aliquem, *Aug.* 24.

Intolerantia morum ejus, *Tib.* 51.

Intra (in); intra ædem publicam sacrificaret, *Galb.* 8. — stans intra porticum mediam, *Cal.* 27.

Invalescere (de conjuratione), *Aug.* 19.

Invenire (accipere, nancisci), *Tib.* 3.

Invidia a plebe, *Cæs.* 14. — in invidiam venire, *Tib.* 8.

Invitare se largissime, *Aug.* 77.

Irritare ingenia, *Ner.* 39.

Iter ingressus ad gestandum, *Galb.* 8.

Iterare honorem (iterum accipere), *Claud.* 17.

JUS JUV

Jacere; jecit significationes, *Ner.* 37. — jacta alea esto, *Cæs.* 32.

Jecur, *Gramm.* 21 (de sapientia ironice).

Jubere; quibus jubebatur, ut id faceret, *Tib.* 22.

Judicia suprema, *Aug.* 66. — necessitate magis quam judicio, *Tib.* 23. — famosa, 35.

Jus publicum et translatitium, *Aug.* 10; *Tib.* 50. — jure dicundo conventus circumit, *Cæs.* 7. — rem non esse cognitionis, sed ordinarii juris, *Claud.* 15. — juris studiosi dictant vel scribunt testamenta, *Ner.* 32. — ut jure pari essent, quo ceteri, *Aug.* 56. — jure ordinario agebantur, *Tib.* 31. — jus (consuetudo), *Ner.* 16.

Juvenalis dies Saturnalibus adjectus, *Cal.* 17. — juvenales ludi, *Ner.* 11.

LAC LAR

Labantem ordinem confirmare, *Cæs.* 14. — si qua in moribus labarent, *Tib.* 33.

Labefactæ machinæ, *Cal.* 57. — labefacta fides, *Vesp.* 4.

Laboriosa pueritia, *Tib.* 6.

Laceratus est literis Parthorum regis, *Tib.* 66. — lacerata existimatio, *Cæs.* 75.

Lachanizare (pro languere), *Aug.* 87.

Lactes murænarum, *Vit.* 13.

Lactuculæ thyrsus, *Aug.* 77.

Lares exornari Kal. Jan., *Ner.*

46. — **Lares compitales**, *Aug.* 31. — cubiculi, *Dom.* 17. — familiares abjecti (in morte Germ.), *Cal.* 5.

Largiter; in quibus largiter præstabat, *Aug.* 89.

Lastaurus, *Gramm.* 15 (scortator).

Laticlavius, *Aug.* 38; *Ner.* 36.

Laudatio judicialis, *Aug.* 56.

Laurea corona, *Cæs.* 45.

Laxe; quo laxius dimicaretur, *Cæs.* 39.

Lectionibus duabus Senatum recognovit, *Aug.* 35.

Legatio libera, *Tib.* 31. — legationis perferendæ patronus, *Claud.* 6.

Legator, *Tib.* 31.

Legatus legionis, *Tib.* 19. — legatus ab Augusto, 12. — legatum se pop. Rom. profitetur, *Galb.* 10.

Legere aliquid (interpretari, prælegere), *Gramm.* 12 et 24.

Legitimi pugiles, *Aug.* 45. — honores, *Claud.* 5.

Lemnisci ingesti, *Ner.* 25.

Lenire gravitatem odoris, *Vit.* 10.

Lenocinii et fraudis nihil non adhibet, *Cal.* 9. — lenociniis omnibus colligere existimationem, *Claud.* 7. — lenocinium profiteri, *Tib.* 35. — facere, *Cal.* 40.

Lenta natura, *Tib.* 57. — lentæ maxillæ, 21.

Levis; levior majestati titulus, *Claud.* 17.

Libellus memorialis, *Cæs.* 56. — libellus propositus est (sc. famosus), 80; cf. *Tib.* 66.

Liberalitates revocatæ, *Claud.* 29.

Libertini (qui tempore Appii Cæci dicti)? *Claud.* 24.

Libidinatus inceste, *Ner.* 28.

Linere; lita auro cuncta, *Ner.* 31.

Linqui repente animo, *Cæs.* 45.

Litare non potuit Cæsar, pluribus hostiis cæsis, *Cæs.* 81; *Ner.* 56. — victima litavit, *Oth.* 8. — sacrificio non litante, *Aug.* 96.

Literati; (qui)? *Gramm.* 4.

Literatores; (qui)? *Gramm.* 4.

Litus unumque (de Capreis), *Tib.* 40.

Locusta (piscis), *Tib.* 60.

Longum est exsequi, *Tib.* 61.

Ludere ducatus et imperia, *Ner.* 35. — simpliciter et palam, oblectamenti caussa, *Aug.* 71. — lusimus γεροντικῶς *ibid.* — ludere mendacia, 70.

Ludibria naturæ, pumili et distorti, *Aug.* 83. — aulæ, *Ner.* 6. — inter magna rerum verborumque ludibria, *Vit.* 17.

Ludicrum Trojæ, *Aug.* 43.

Ludicræ partes, *Ner.* 11.

Ludii triviales ex circo, *Aug.* 74.

Ludis (die ludorum), *Cæs.* 39. — ludos dare, *Tib.* 7.

Lustricus dies, *Ner.* 6.

MAD MAG

Macellarii, *Cæs.* 26; *Vesp.* 19.

Maceria, *Ner.* 33.

Machæra carnificis, *Claud.* 15.

Machinosum navigium, *Ner.* 34.

Macteæ venenatæ, *Cal.* 38.

Madens et distentus (vino scil.), *Claud.* 33.

Mæniana, *Cal.* 18.

Magister (appellatio doctorum grammaticorum et rhet.), *Gramm.* 23. — magistri vicorum, *Aug.* 30.

Magisterio Equitum honorata familia, *Tib.* 3. — magisterio fungi (in collegio Minervæ scil.),

Dom. 4. — magisteria sacerdotii, *Cal.* 22. — magisteriis municipalibus contentus, *Aug.* 2.

Magistratus; conservata Senatui et magistratibus dignitate pristina, *Tib.* 30.

Magnifice; egregie prorsus atque magnifiee, *Vit.* 10.

Majestas sortium Prænest. *Tib.* 63. — in fidem majestatis, *Ner.* 1. — ad majestatem augendam, *Tib.* 15.

Male; male præcinctus, *Aug.* 45. — subsequi, 55. — quietus, 21. — dissimulare, *Tib.* 42. — male focillata societas, *Aug.* 17. — male fractus animus, *Ner.* 42.

Maleficentissimus emissarius, *Galb.* 15.

Maleficium, negotiumve ne quod impunitate vel mora elaberetur, *Aug.* 32.

Manceps operarum, *Vesp.* 1.

Mandare; mandasse ad Pisonem, *Cal.* 24. — quum mandasset interimi, 29.

Mandatores, *Tit.* 11.

Mandatu Prætoris, *Cæs.* 1.

Mansio; ad primam statim mansionem febrim nactus, *Tib.* 10.

Mangonici quæstus, *Vesp.* 4.

Manipularis miles, *Oth.* 10; *Aug.* 24.

Manipularius habitus, *Cal.* 9.

Manubiæ et præda, *Ner.* 38. — manubiarum ne quod genus non experiretur, *Cal.* 41. — ad manubias et rapinas compulsus, *Vesp.* 16. — de manubiis forum inchoat, *Cæs.* 26. — de manub. templa dedicata, *Tib.* 20.

Manubialis pecunia viis muniendis adhibita, *Aug.* 30.

Manuleatus, *Cal.* 52.

Manus remittere, exigere, *Aug.* 71 (in ludo aleæ). — sub manum, 49. — in manibus esse, lectitarique, *Cal.* 16.

Mappam mittere, *Ner.* 22.

Maritavit filiam hostis sui, *Vesp.* 14.

Materia triumphorum, *Cæs.* 22. — rerum novarum ne esset Ægyptus, 35. — materia ei inde præbita exprobrandi, *Aug.* 16. — præcipua calumniandi, 32. — ne quid materiæ præberet Neroni, *Galb.* 9. — materiam tumultus subducere, *Tib.* 22. — materia nunquam deficiente (crudel.), 61. — materiæ prioris duo volumina reliquit, *Claud.* 41.

Mathematica, *Tib.* 96.

Mathematicus (astrologus), *Aug.* 94; *Tib.* 14, 36; *Cal.* 57; *Ner.* 40; *Oth.* 4; *Vit.* 14.

Matrimonium; matrimonio dedit operam, *Galb.* 5. — in matrimonium petere aliquam, *Cæs.* 27; *Aug.* 63. — matrimonia dimittere, tenere, *Cal.* 25. — matrimonia obnoxia, 40. — matrimoniis abstinere, *Cæs.* 51.

Matronali jure et dignitate exsolvi, *Tib.* 35.

Mechanicus præmio donatus, *Vesp.* 18.

Medendi rationem contrariam et ancipitem necessario subiit, *Aug.* 81. — medendæ valetudini nullam opem non adhibuit, *Tit.* 8.

Medicatum boletum offert, *Claud.* 44 (venenatum).

Medii et neutrius partis, *Cæs.* 73. — quod discrepat, sit in medio, *Vit.* 2. — in medium conferebat singulos denarios, *Aug.* 71.

Mediocritatem pristinam non dissimulavit, *Vesp.* 12.

Meditatus eam strangulare, *Ner.* 35. — meditari paulatim (citharœdicam), exercerique cœpit, 20.

Morari inter homines, prima (syllaba) producta, *Ner.* 33.

Morboniam abire, *Vesp.* 14.

Morigerari ore, *Tib.* 44.

Morosissime pensitavit judicia amicorum, *Aug.* 66.

Morositate obscurat stilum, *Tib.* 70.

Motiunculis levibus tentatus, *Vesp.* 24 (sc. febris).

Movit invidiam hinc maxime, *Cæs.* 78. — quoties terra movisset, *Claud.* 22. — movebatur crebro exspectatio novarum tabularum, *Cæs.* 42. — ne qui novi cœtus moverentur, 41. — crimen majestatis ei motum, *Claud.* 16. — mota regni mentio, *Cæs.* 79. — motis conditionibus deditionis, 75.

Morte sua defungi, *Cæs.* 89. (naturali).

Mortalitas; accessisse ad finem mortalitatis, *Claud.* 46.

Mox, *Ner.* 6 (i. e. post undecim annos).

Mulcare (male habere), *Cæs.* 17.

Multifariam inscriptum, *Tib.* 52 (pro, Multis locis; sæpe occurrit).

Munditiarum pæne muliebrium, *Oth.* 12.

Municipatim dividere conjuratos, *Cæs.* 14.

Munire viam (lapidibus sternere), *Cæs.* 44. — muniri feminalibus, tibialibus, *Aug.* 82.

Munitio viæ, *Tib.* 31. — munitio Dyrrhachina, *Cæs.* 68.

Munus apparatissimum largissimumque, *Tit.* 7. — justum atque legitimum, extraordinarium ac breve, *Claud.* 21. — ad munus populi comparatæ bestiæ, *Cæs.* 75.

Munerario impar Thrax, *Dom.* 10.

Munificentiam publice bis exhibuit, *Tib.* 18; *Cæs.* 10; *Tit.* 7; (de ludis editis).

Murrhinus calix, *Aug.* 71.

Mutare sacramentum, *Claud.* 13.

Mutatione temporum evasit, *Ner.* 59.

Nancisci; nactus febrim, *Tit.* 10.

Nasus a summo eminentior, ab imo deductior, *Aug.* 79.

Nasci; natus sermo super cœnam, *Cæs.* 87.

Natricem se populo Romano educare, *Cal.* 11.

Natura sæva et lenta, *Tib.* 57. — sæva et probrosa, *Cal.* 11. — naturam ligurire, *Tib.* 45.

Necessario introire (necessitate urgente), *Aug.* 6.

Necessarius; quasi aliquis ex necessariis quæstioni adesset, *Tib.* 62.

Necessitates ceteræ, fames, etc. *Cæs.* 68. — necessitatum justas caussas probare Senatui, *Tib.* 47.

Necessitudinem alicujus retinere, *Cæs.* 27. — necessitudinibus mutuis junxit reges, *ibid.*

Negligens (oppos. Parco), *Galb.* 14.

Negligentia (simpl. pro negligentia antiqui moris), *Cal.* 17.

Negotium; in magno negotio habuit, *Cæs.* 23. — ad negotiorum consuetudinem rediit, *Tib.* 52.

Nepotini sumptus, *Cal.* 37.

Neque... et, *Aug.* 45, 66. — neque... sed et, *Tib.* 39. — neque... ac, *Vesp.* 12.

Nexibus elidere, *Ner.* 53.

Nimis (admodum), *Gramm.* 24.

Nitens; vultu veluti nitentis, *Vesp.* 20.

Nix mulso perfusa, *Dom.* 20 (de capillis).

Nivatæ piscinæ, *Ner.* 27.

Nota; interior animi nota, *Tib.* 54. — nota in Atell. exodio, 45. — rami omnis notæ, *Aug.* 75. — per notas scribere, 88. — notæ et nomina morti destinatorum, *Cal.* 49. — notam appositam demit cuidam, *Claud.* 16.

Notabilis cultu, *Cæs.* 45. — notabilis externorum favor, *Cal.* 14. — notabile fuit, tulisse eum, etc. *Ner.* 39; *Dom.* 20; *Tib.* 29.

Notabiliter quædam usurpat, *Aug.* 87.

Notare; notatus est, ut præcupidus Corinth. *Aug.* 70. — notatus ob hæc et sororis joco, *Ner.* 5. — notante omni exercitu, *Aug.* 69. — notatum proverbio est, *Tib.* 38. — summa notata, non perscripta, *Galb.* 5.

Notus sermo, *Gramm.* 10. (Alibi Notus est Clarus, Nobilis; *Ner.* 11; *Gramm.* 3, 4, etc.).

Novellare, *Dom.* 7.

Novitas; ne quid in novitate fieret acerbius, *Tib.* 25.

Nox; noctem alicui polliceri, *Dom.* 1 (obscœne).

Noxa, *Cæs.* 81 (quodvis damnum s. detrimentum).

Nudati opere censorio, *Cæs.* 41.

Nudus, *Cæs.* 56 (de oratione simplici).

Numeri ad officium revocati, *Vesp.* 6 (cohortes).

Nummariæ rei copiam efficere, *Aug.* 41. — magna difficultate nummaria, *Tib.* 48. — nummarii judices, *Dom.* 8.

Nummularius, *Aug.* 4; *Galb.* 9.

Nummus asper, *Ner.* 44. — nummo addicere, *Cæs.* 50.

Nundinæ; nundinis declamaret, *Gramm.* 7.

Nundinari solitus in cognitionibus patris, *Tit.* 7.

Nutantes ac dubiæ civitates, *Cæs.* 4.

Nutrimentorum Augusti locus, *Aug.* 6.

OBL OBS

Obambulans gymnasia, *Tib.* 11.

Obhærentem Tiberino vado navem extraxit Claudia, *Tib.* 2.

Objicitur horror et metus, *Aug.* 6. — a quo objectus est incurrenti fero apro, *Aug.* 67.

Obire diem cædi destinatum, *Cæs.* 9. — expeditiones, 57. — ganeas et adulteria, *Cal.* 11.

Objurgari ferulis, *Cal.* 20. — flagris, *Oth.* 2.

Oblectamentum; in oblectamentis ei erat serpens, *Tib.* 12.

Obligare omnia prædia fratri, *Vesp.* 4. — obligare se in acta alicujus, *Tib.* 67. — obligari se curarique passus est, *Vit.* 2.

Oblitus; scripta verborum priscorum affectatione oblita, *Grammat.* 10.

Oblocata macellariis, *Cæs.* 26.

Obnoxium agit, *Tib.* 12. — matrimonia obnoxia, *Cal.* 40.

Obnuntiare per edicta, *Cæs.* 20.

Obrussa; aurum ad obrussam, *Ner.* 44.

Obscœnitatis in feminas reus, *Claud.* 15. — oris, *Tib.* 45.

Obscœnum ostentum (opp. Lætissimum), *Galb.* 4.

Obsecratio habenda dira avi visa, *Claud.* 22.

Observare auspicia et omina, *Aug.* 92. — observare (sectari), *Tib.* 10.

Obsolefieri commissionibus nomen suum noluit, *Aug.* 89.

Obsoletus; obsoletior color, *Ner.* 48.

Obstipa cervix, *Tib.* 68.

Obtrectare gloriæ, *Ner.* 18.

Obturbare lectorem, *Aug.* 86.

Occasio; multis ad occasionem stimulantibus, quietem prætulit, *Galb.* 7. — occasione temporum bellare, *Cæs.* 31. — nullam occasionem dedit, *Cal.* 10. — occasio in testificanda cura, 14.

Occumbere necem, *Aug.* 13.

Occurrere; si paullo serius occurrisset ad horam cœnæ, *Claud.* 8. — occurrere ad vadimonium, *Cal.* 39.

Ocellatis ludere, *Aug.* 83.

Octophoro vehi, *Cal.* 43.

Odeum excitat, *Dom.* 5.

Offendebatur vigilia matutina, *Aug.* 78. — componi de se aliquid offendebatur, 89. — offensus universis ordinibus, *Galb.* 16. — Patribus, *Cæs.* 19. — offensior ei, *Tib.* 13.

Officium; officia senatoria et equestria, *Galb.* 15. — officiorum datorum codicilli, *Claud.* 29. — officiorum civilium rudimenta, *Tib.* 8. — officiorum munere remisso, *Cæs.* 67 (in milit.). — officii aut humanitatis nihil impertit Juliæ, *Tib.* 50; vid. *Claud.* 6, 11; *Cæs.* 26; *Aug.* 16. — officiis omnibus assectatus est Pompeium, *Cæs.* 10. — ex officiis maximis quædam communicavit, *Dom.* 7. — officia præternavigantium vitans, *Tib.* 12. — prosequentium, *Cæs.* 71. — officii specie circumsteterunt, 82; *Cal.* 22. — officio novorum Consulum relicto, *Cæs.* 16. — sine solemni officio in Capitolium latus est, *Claud.* 2; vid. *Aug.* 27, 33. — quidam ex officio admissionis, *Vesp.* 14. — ad officium venit, *Cal.* 25 (nuptiar.). — celeberrimo officio, *Ner.* 28; *Claud.* 26. — officia cum multis mutuo exercuit, *Aug.* 53.

Omina fausta congerunt in, *Aug.* 89. — omine ad melius verso, *Cæs.* 59.

Omnino (additum numeralibus), *Aug.* 20.

Onerare sententia illa aliquem, *Cal.* 53. — oneratus larga vini potione, *Tib.* 62.

Onus; onera imperatoria et patria, *Cal.* 42. — onus pridiani cibi, 58. — explicare onera, *Dom.* 12.

Opera; in opera scenæ edenda, *Tib.* 35. — operæ campestres, *Aug.* 3. — scenicæ et gladiatoriæ, 43. — operarum manceps, *Vesp.* 1. — operas aliquas publico spectaculo præbentes, *Aug.* 45.

Opinari; desinant quærere aut opinari, *Cæs.* 66. — opinari male de, *Aug.* 51, 67; *Cal.* 27. — contemptu sui et nova spe id ausos opinatus, *Vit.* 14.

Opinio vetus et constans percrebruerat, *Vesp.* 4.

Opportunitas; ex opportunitate gloria augetur, *Tib.* 17.

Opus censorium, *Cæs.* 41. — ad opus damnari, *Ner.* 31. — operis antiqui vascula, *Cæs.* 81.

Oratione omni prædicare, *Claud.* 39.

Orbis (de tympano), *Aug.* 68.

Ordinare provinciam, *Galb.* 7. — ad ordinandum reip. statum con-

versus, *Cæs.* 40. — comitia, *Vit.* 11. — ordinandum Orientem suscepit, *Aug.* 13.—ordinare desideria militum, 17. —equestres militias, 46. — ordinavit sine mora, *Vesp.* 23 (dedit officium, quod petierat). — se perpetuum Consulem ordinavit, *Vit.* 11.

Ordinarii juris, non cognitionis res, *Claud.* 15. — ordinarii pugiles, *Aug.* 45. — ordinario jure cetera agebantur, *Tib.* 31. — ordinarius consulatus, *Galb.* 6; *Dom.* 2.

Ordinatio anni, *Aug.* 31. — ordinatione proxima præfecerit Ægypto Rufum, *Dom.* 4.

Ordo; ordinem vitæ hunc tenuit, *Tib.* 18; *Vesp.* 21. — ex ordine quotidiano nihil prætermisit, *Tib.* 72. — in ordinem redactus pæne, *Vesp.* 15. — in ordinem coactus, *Claud.* 38. — ordo uterque, *Tib.* 35. — ordo (simpliciter, de senatorio), *Cæs.* 14. — ordines proprii maritis assignati in spectaculis, *Aug.* 44. — quatuordecim, 14 (in quibus Equites spectant). — ordines, quibus dederat, *Cæs.* 75 (de centurionatu). — quum adhuc ordines duceret, *Vesp.* 1.

Organa hydraulica, *Ner.* 41. — scenica, 44.

Ornamenta consularia, *Cæs.* 76; *Claud.* 5, 24. — triumphalia, *Tib.* 9. — quæstoria et prætoria, *Claud.* 28. — uxoria, *Ner.* 35. — Augustarum, 28.

Ornare; antequam provinciæ ornarentur, *Cæs.* 10.

Ornatissimi viri (honoratissimi), *Cæs.* 1.

Ossa olearum et palmularum, *Claud.* 8.

Ostentare (ostendere, docere), *Cæs.* 14. — ostentant literæ ejus, *Aug.* 87.

Ostentum factum est, *Cæs.* 32. —ostentum interpretari, *Dom.* 23.

Pædagogia ingenuorum, *Ner.* 29.

Pædagogus, *Aug.* 67; *Claud.* 2; *Ner.* 6, 36. — pædagogi vultus, *Ner.* 37.

Pædicator, *Cæs.* 49.

Pagani, *Aug.* 27; *Galb.* 19.

Pagina; ad paginas, *Cæs.* 57.

Pallacæ, quas plurimas constituerat, *Vesp.* 21.

Palliolatus muneri præsedit, *Claud.* 2.

Palmarum numerum ampliare vult, *Ner.* 22. — palmarum mercede fraudare, 5.

Palmata vestis, *Claud.* 17.

Panaria cum opsonio, *Cal.* 18; *Dom.* 4.

Pangi ramulum placuit, *Galb.* 1.

Panificia, *Vesp.* 7.

Par quoddam mutuis ictibus concidit, *Claud.* 34 (gladiat.). — paribus paucioribus, quam destinaverat, munus edit, *Cæs.* 10. — essent jure pari, quo, *Aug.* 56.

Parapsis, *Galb.* 12.

Parastichis, *Gramm.* 6.

Paratus utroque sermone, *Claud.* 42.

Parcimonia instrumenti et supellectilis, *Aug.* 13. — parcimoniam publicam exemplo juvat, *Tib.* 34.

Parcissimus vini, *Cæs.* 53; *Aug.* 77.

Parere; inde arbitror parere,

Præterire licitatorem, *Cal.* 38.

Prætervehens Judæam, *Aug.* 93. — prætervehenti subsellia, *Cæs.* 78, 37; *Aug.* 98; *Ner.* 34.

Prætexta (pro Fabula prætextata), *Vit. Pers.*

Prætextum civilium armorum, *Cæs.* 30 (neutro gen.). — ad prætextum mutatæ voluntatis causatus, *Aug.* 12.

Prætoria stirps, *Cæs.* 29.

Prætorianæ cohortes, *Tib.* 37; *Vit.* 10; *Ner.* 10; *Tib.* 25.

Prætorium, cui Speluncæ nomen, *Tib.* 39. — prætoria ampla et operosa, *Aug.* 72. — prætoria atque villæ, *Cal.* 37.

Prætrepidus, *Tib.* 63; *Ner.* 41.

Prasinus agitator, *Ner.* 22.

Premere uxorem, *Cal.* 25.

Primipilaris, *Tib.* 37; *Cal.* 21.

Principatus speciem in regni formam convertere, *Cal.* 22. — principatum agit, *Tib.* 24.

Principia (castror.); ante principia, *Oth.* 1, 6.

Privatus; paullo minus quam privatum egit, *Tib.* 26. — privatum nomen, *Vesp.* 15.

Privilegium sacerdotum Atticæ Cereris, *Aug.* 93. — athletarum, 45. — privilegium eripere, *Cæs.* 28.

Pro modo, *Cæs.* 67. — pro comitio, *Aug.* 43. — pro vita rogare, 13. — pro partibus conjurare, 17. — pro maximo munere petiit, *Vit.* 2. — pro despectissimo habuit, *Claud.* 3. — pro contemptissimo se habitum fremens, *Tib.* 73. — ut relegatum pro libero esse sineret, *Aug.* 24. — pro deprehenso ad pœnam raptus est, *Claud.* 37. — pro Apolline ornatus est, *Aug.* 70. — nihil pro patre familias egit, *Tib.* 1. — pro bono cessit, *Tit.* 7.

Proauctor generis sui, *Claud.* 24.

Probare; probabat militem a viribus, *Cæs.* 65.

Probatione satis certa tradere, *Aug.* 7.

Probri plenus juvenis, *Claud.* 16. — probris omnibus contaminatus, *Vit.* 4.

Probrosæ feminæ, *Dom.* 8. — probrosa natura, *Cal.* 11.

Processum in Græcis literis habere, *Gramm.* 10.

Proconsulatus (de Proprætore), *Aug.* 3.

Proculcata desertaque respublica, *Vesp.* 5.

Procumbere, *Vit.* 2.

Procurare fulgur, *Galb.* 4.

Procuratio Urbis permissa amicis, *Cæs.* 79. — in procuratione Ægypti, *Ner.* 35.

Procurator rerum Augusti, *Vit.* 2. — Domitillæ, *Dom.* 17. — procuratores Galliæ, *Galb.* 12. — ducenarii, *Claud.* 24. — procuratores Cæsaris, *Cal.* 47; *Claud.* 12; *Vesp.* 16.

Proditus inter divisores, *Aug.* 3.

Producere; in Circo... produxit, *Aug.* 43. — per eosdem articulos et gradus producendus, per quos frater, sit, *Claud.* 4. — histriones producere, *Claud.* 21. — quos singuli binos produxerant (ad societatem adduxerant), *Oth.* 5. — productus pro rostris, *Cæs.* 20. — producto spatio Circi, 39.

Proferre artem, *Ner.* 25 (publicare). — periculum, quod non ultra Idus proferretur (duraret), *Cæs.* 81.

Profiteri se candidatum consulatus, *Aug.* 4. — profiteri lenocinium, *Tib.* 35. — medicinam, *Cæs.* 42. — professus inter suos, 34.

Professor sapientiæ, *Tib.* 14. —

professorum scholæ et auditoria, 11; cf *Gramm.* 9.

Professiones, *Rhetor.* 1.

Profligari plurimum posse, *Oth.* 9 (profici).

Profluxit magna copia rhetorum, *Rhetor.* 1.

Profugere concionem, *Cal.* 48.

Profundere vitia diu dissimulata, *Tib.* 42.

Profusissime celebravit festos dies, *Aug.* 75.

Progredi ; progressa ætate, *Claud.* 2.

Projectiore paullo quanquam ventre, *Tit.* 3.

Prolapsiones ædificiorum quæ Tiberim complebant, *Aug.* 30.

Prolixius fovere eos supersedit, *Tit.* 7.

Promereri omnium voluntatem, *Tit.* 1.— socios, *Aug.* 3.

Promiscue spectare, *Claud.* 21.

Promovere ad ampliora officia, *Vesp.* 16.

Promulgatis conjurationibus, *Ner.* 36.

Pronuntiare donativum, *Galb.* 16. — nummos, *Cæs.* 19. — munus, 26; *Cal.* 46. — pronuntiantur designati magistratus, *Cæs.* 41. — quamvis pronuntiatum esset (jussum), *Cal.* 4.

Pronus; cui spei pronior, *Ner.* 40. — in verum nepotem pronior, *Cal.* 20.

Propellere ; nullo propellente, *Tib.* 19.

Proponere vectigalia, *Cal.* 41. — proponere agere (constituere apud se), *Cæs.* 81; *Aug.* 72. — proposuerat commigrare (sibi), *Cal.* 49. — quædam secretiora proponerentur, *Aug.* 93. — proposito congiario (promisso), 42; *Ner.* 7. — proponebatur nullum non opsonii genus, *Ner.* 16 (intell. venale). — proposito millies HS. in triennium, *Tib.* 48. — propositus est libellus, *Cæs.* 80.

Proripere se e spectaculis, *Cal.* 35. — se ruina, *Cal.* 57.

Prosapia magna, *Galb.* 1.

Proscenii fastigium, *Ner.* 12.

Proscindere ut, *Cal.* 30.

Proscribere; edictis proscripsit (publice appellavit) collegam suum Bithynicam reginam, *Cæs.* 49.

Prosecare exta, *Aug.* 1.

Prosequi grate pieque, *Aug.* 66. — prosecutus digne merita cujusque, *ibid.* — omnes circa se largissime, *Dom.* 9; cf. *Aug.* 49. — prosequi oculis, *Tib.* 7. — eum ut peritissimum belli prosequitur (laudat), *Tib.* 21.

Prospera actio, *Cal.* 53.

Prospicit acie Pharsalica cæsos adversarios, *Cæs.* 30.

Prostitutarum capturæ, *Cal.* 40.

Protrahere in medium (sc. stadium), qui longius recessissent, *Ner.* 53.

Protinus, *Aug.* 38.

Provenit ostentum simile Alexandro, *Aug.* 94. — proventurum esse, quicquid cogitaret, *Vesp.* 5 (successurum).

Provincia, *Cæs.* 11 (plane quod Gallis est *Département*).

Psilocitharistæ, *Dom.* 4.

Publicare experimenta, *Claud.* 3. — publicatur forum, *Aug.* 29. — simulacrum Felicitatis, *Tib.* 5 (consecrare). — publicare se non cessavit, *Ner.* 21 (cantare publice). — publicavit libertinos, *Claud.* 25. — rem inusitatam publicare, *Aug.* 43.

Publice demandatus Lacedæmoniis, *Tib.* 6 (reip. Laced.). — publice orare, *Claud.* 40 (nomine

reip.). — publice accipere, *Tib.* 1 (a republ.).

Publicum quadragesimæ egit, *Vesp.* 1. — publico teneri, *Cal.* 40. — publica intervertere, *Vit.* 7. — publicum jus, *Aug.* 10; *Tib.* 50.

Pudendus circa cultum, *Ner.* 54. — pudendi parentes, *Vit.* 2.

Puerœ (antiquis erant, quæ puellæ), *Cal.* 8.

Puerascere, *Cal.* 7 (septimum fere annum ætatis attingere).

Pugiles Latini, Græci, ordinarii, legitimi, catervarii, *Aug.* 45.

Pugnatoriis armis batuebat, *Cal.* 54.

Pullati, *Aug.* 40, 44.

Pullum et puppum appellant, *Cal.* 13.

Pulvinar Cæsari decretum, *Cæs.* 76. — e pulvinari spectat Circenses, *Aug.* 45; *Claud.* 4.

Punctum; quadragenis in punctum sestertiis aleam lusit, *Ner.* 30.

Punitor acerrimus, *Cæs.* 67.

Puppus, *Cal.* 13 (vox blanditiæ).

Purgare rationem (atrox Caligulæ dictum), *Cal.* 29.

Purissimus penis, *Vit. Hor.*

Pustulatum argentum, *Ner.* 44.

QUA QUO

Quadrata statura, *Vesp.* 20.

Quadrigarii, *Ner.* 16. — quadrigario habitu, *Cal.* 19.

Quadrupes per angustias effossæ cavernæ receptus, *Ner.* 48.

Quamvis destinarat, *Aug.* 42.

Quandoque (Gall. *Tôt ou tard*), *Cæs.* 1, etc.

Quamtumvis (valde), *Cal.* 53; *Claud.* 10.

Quasi; hora quasi septima, *Cal.* 58. — quasi Augusti, ita et Liviæ, *Tib.* 50.

Quatenus sibi matrimonia male cederent, *Claud.* 26 (i. e. Quia).

Quatuordecim ; in quatuordecim sedere, *Cæs.* 39; *Aug.* 14 (gradus et subsell. Equit. in spect.).

Queri ; quamvis nullo querente, *Cæs.* 48 (deferente, accusante).

Quies temporum, *Aug.* 25; *Vit.* 15. — quietem prætulit, *Galb.* 7 (non rebell.). — ad quietem se contulit, *Tib.* 15 (a negotiis). — per quietem vidit, *Vesp.* 24; *Tib.* 74 (somn.).

Quintana domi constituta, *Ner.* 36.

Quoad Consul fieret, *Cæs.* 29, 20, etc. — usque eo, quoad, *Tib.* 14.

Quondam, *Cæs.* 24.

RAT REC

Radere; trajectos surculos rasit, *Ner.* 48. — radere capita ad indicium luctus, *Cal.* 5.

Rapere; rapiendæ dominationis occasio, *Cæs.* 30. — infantes adhuc rapti, *Cal.* 5.

Ratio militaris, *Aug.* 25.

Rationarium imperii, *Aug.* 28.

Recensitus et *Recensus*, *Cæs.* 41; *Vesp.* 9.

Recensus populi, *Cæs.* 41.

Recensio, *Cæs.* 41.

Recidere in discrimen, *Cæs.* 17.

Recidere ; commoda militiæ ad sex millia rescidit, *Cal.* 44, 55. — recisis mercedibus, *Tib.* 34.

Recipere in matrimonium, *Cæs.* 50. — recepit templa, *Aug.* 52. — honorem recipere publice (accipere), *Tib.* 50. — tutelam recipit, *Claud.* 2. — cognitio recepta est, *ibid.* — recipere (de eo, qui nocentem occultat), *Aug.* 12. — recipere alicui aliquid, *Cæs.* 23 (promittere, confirmare). — recipere ad se curam, *Tit.* 6.

Recognoscere; recognoscit Equites, *Aug.* 37; *Cal.* 16. — recognoscens seriem custodiarum, *Cal.* 27; *Tib.* 61. — ergastula, *Aug.* 32. — decurias judicum, 29.

Reconditorum verborum fœtores, *Aug.* 86. — reconditæ voces, *ibid.*

Rectæ cœnæ, *Dom.* 7. — convivabatur assidue nec nisi recta, *Aug.* 74. — rectiora servitia, *Cæs.* 47. — nudi sunt, recti et venusti Cæsaris commentarii, 56.

Recte et dapsile, *Vesp.* 19.

Rectorem apponere ætate parvis, *Aug.* 48. — rector equi, *Tit.* 4.

Recumbere, *Tib.* 72 (mensæ rursus accumbere).

Recuperare somnum interruptum, *Aug.* 78. — nec prius recuperavit usum togæ (repetiit, resumpsit), *Galb.* 11.

Recuperatores, *Dom.* 8; *Ner.* 17.

Recuperatorium judicium, *Vesp.* 3.

Reddere caussam, *Tib.* 10. — verbum, *ibid.*

Redegit se ad pallium et crepidas, *Tib.* 13. — redigere in ditionem, *Vesp.* 4.

Reducta coma a capite, *Vit.* 17.

Referre antiquum morem, *Cæs.* 20; *Tib.* 32. — referre ad Senatum, *Cæs.* 28. — de, 23. — super, 20. — ad principem, *Tib.* 32. — summam referre rationibus, *Vesp.* 22.

Refovere reliquias partium, *Cæs.* 35. — refotus piscinis calidis, *Ner.* 27.

Refrigeratus sæpe a semet ipso, *Claud.* 41.

Refugium ne quod esset alicui in tali fraude, *Tib.* 35.

Refutavit infamiam impud. castitate, *Aug.* 71.

Regaliolus avis, *Cæs.* 81.

Regere disciplinam severe, *Cæs.* 48. — regere pacem bellumque, *Aug.* 61.

Regia, *Aug.* 76. — regia theatri, *Aug.* 31.

Regionatim, *Cæs.* 30.

Regiones Urbis, *Aug.* 30.

Rejicere, *Aug.* 77 (sc. per vomitum).

Relevare publicanos parte mercedis, *Cæs.* 20. — castrenses sumptus, *Dom.* 12.

Religio exemit tempus, *Oth.* 6. — annua religio, *Cal.* 15.

Reliquiæ (de sacrif.) *Aug.* 1.

Remacrescere, *Dom.* 18.

Remaledici civile fasque esse, *Vesp.* 9.

Remanere in cœlibatu, *Galb.* 5.

Remisse vel serio quid agere, *Claud.* 30.

Remissionem petere, *Cæs.* 20 (mercedis). — remissio febris, *Tib.* 73.

Remissioris vitæ, *Tib.* 52. — remissiores hilarioresque sermones, 21. — remississimo ad otium et omnem comitatem animo, *Aug.* 98.

Remittere; remisit hosti necessitudines, *Aug.* 17. — repudium, *Tib.* 11.

Remollitum se, quo minus, *Aug.* 79.

Removere creditores, interventu sponsorum, *Cæs.* 18. — remoti

Tribuni (sc. a magistratu), 80. — remotus oculis, *Tib.* 42. — remove isthæc, *Cæs.* 49.

Remus; ad remum dati servi, *Aug.* 16.

Renuntiare vitæ, *Galb.* 11. — quæ renuntiarent amici, *Cæs.* 86.

Repetere reum, *Aug.* 32; *Dom.* 8 (denuo in jus vocare). — repetitus toxico, *Claud.* 44.

Repleta paulatim crurum gracilitas, *Cal.* 3.

Replicata jecinora victimarum, *Aug.* 95.

Reposcere (pro Poscere), *Aug.* 42.

Repræsentare mercedem, *Claud.* 18. — fisco pensionem annuam, *Ner.* 44. — spectaculum, *Cal.* 58. — pœnas, *Claud.* 34. — necem, *Vit.* 10. — repræsentaturum se pollicitus est, *Ner.* 21 (sc. cantum). — repræsentari jussit hanc summam, *Aug.* 101; *Cal.* 16; *Oth.* 5; *Ner.* 5. — quasi plane repræsentaretur somnii fides, *Claud.* 37.

Reprehendere profugum, *Vit.* 12.

Repromittens eo contentum fore, *Tib.* 17. — repromittere (pro Denuo promittere), *Oth.* 4.

Repudium remissum, *Tib.* 11. — repudium misit, *Cal.* 36.

Repurgare ergastula, *Tib.* 8.

Res; re et æstimatione magna fuit, *Aug.* 3. — magnis clamoribus rem gessit, 71 (de ludente).

Rescribere orationibus inimicorum, *Cæs.* 73; *Aug.* 85; *Cal.* 53; *Gramm.* 19 (respondere). — (Alibi est pro Retractare, ut *Cæs.* 56).

Residua diurni actus, *Aug.* 78. — crimina, *Cal.* 15.

Resipuit, *Ner.* 42 (qui animo fractus jacebat).

Resolutus repente Rhenus, *Dom.* 6.

Respectus cohortis obstitit, *Oth.* 6. — musicæ, *Ner.* 20.

Respondere; non responderat ei domus tota ad animum, *Cæs.* 46. — reponsum est, *Aug.* 97 (de interpret. omin.). — (de judice), *Claud.* 15.

Respublica; de summa republica se acturum, *Cæs.* 28. — appellatis de republica Patribus, 31.

Restrictæ togæ, *Aug.* 73. — restrictiores digiti pedum, *Dom.* 18.

Retaxare, *Vesp.* 13.

Retectis pedibus, *Aug.* 78.

Retiarii, *Cal.* 30; *Claud.* 34.

Retinere necessitudinem et voluntatem alicujus, *Cæs.* 27. — retinentes creditores, 18. — retinere jus, *Tib.* 15. (usurpare).

Retractare leges, *Aug.* 34.

Retrahere ab exercitu, *Ner.* 2. — retractus est paullatim ex magnis detrimentis, *Aug.* 71.

Reticere; reticuisset de scelere patroni, *Cal.* 16.

Reverens; minus reverens principis, *Vesp.* 13. — reverentior nihilo erga Senatum, *Cal.* 26.

Reverentissime alloquebatur judices, *Ner.* 23.

Revisere necessitudines, *Tib.* 11, 38; *Aug.* 46.

Revocare a vertice deficientem capillum, *Cæs.* 53. — nonnulla ad antiquum morem, *Aug.* 24. — præmia, *Ner.* 44. — vectigalia, *Vesp.* 6. — impetum, *Ner.* 48. — revocavit agona ante diem, 21. — revocatis rudiariis, *Tib.* 7 (ad pugnandum).

Rigere; rigentibus oculis, *Ner.* 49.

Rigida cervix, *Tib.* 68.

Rigoris suspicio, *Aug.* 66.

Rostrata navis, *Cæs.* 63.

Rudem indulsit essedario, *Claud.* 21. — rudibus batuere, *Cal.* 32.
Rudiarii, *Tib.* 7.
Rudimentum ponere, *Ner.* 22. — rudimento civilium officiorum, *Tib.* 8. — rudimenta alia, *Aug.* 64.
Rursus repetere, *Cæs.* 2, 17, (ut alibi, Rursus redire, Rursus revolvi, etc.).
Rutabulum, *Aug.* 75.

SCE SEC

Sabbatis disputat Diogenes grammaticus, *Tib.* 32. — sabbatis jejunium servat, *Aug.* 76.
Sacerdotes summorum collegiorum, *Aug.* 100. — cooptare, *Claud.* 22. — sacerdotum subrogandorum jus, *Ner.* 2.
Sacerdotium ; pro sacerdotii novi introitu, *Claud.* 9.
Sacramenti metus, *Tib.* 8. — detrectandi caussa, *Aug.* 24. — sacramenti mutati pœnitet, *Galb.* 10; *Claud.* 13. — ad sacramentum citare tribus, *Ner.* 44. — sacramento adigi, *Galb.* 16.
Sacrarium, *Aug.* 5; *Vesp.* 5; *Dom.* 15; *Tib.* 51.
Sagulatis comitibus, *Vit.* 11.
Saltare Turnum, *Ner.* 54. — Pyrrhicham, *Cæs.* 39.
Saltationis artifices, *Tit.* 7.
Saltator, *Cal.* 54.
Saluber princeps, *Aug.* 42. — suæ valetudini Urbem experitur salubrem, 72.
Sanctitas regum, *Cæs.* 6.
Sandapila popularis, *Dom.* 17.
Satisfacere, *Cæs.* 73; *Tib.* 27 (deprecai). — satisfaceret odio civium morte voluntaria, *Tib.* 66. — satisfacientis modo, *Claud.* 38.
Saxeus murus, *Ner.* 38.
Scabellum, *Cal.* 54.
Scalprum librarium, *Vit.* 2.
Scambus, *Oth.* 12.
Scelerata castra, *Claud.* 1.
Scenam tenere, *Tit.* 7. — scena non minore, *Cal.* 15.
Scenici, *Galb.* 15.
Scenici artifices, *Cæs.* 48; *Ner.* 21; *Tit.* 34. — scenicæ saltandi canendique artes, *Cal.* 11. — ad operas scenicas Equitibus usus, *Aug.* 43.
Schemæ exemplar, *Tib.* 42.
Schola ; circa scholas assiduus, *Tib.* 11.
Scopus, *Dom.* 19.
Scriba quæstorius, *Claud.* 38; *Vesp.* 3; *Dom.* 9. — scribarum decuriæ, *Claud.* 1.
Scriptum quæstorium, *Vit. Hor.*
Scriptura brevi et paucis verbis, *Cæs.* 4. — ignorantia scripturæ, *Cal.* 41. — bellum uno volumine et continenti scriptura expositum, *Gramm.* 2.
Scrutari salutantes, *Vesp.* 12.
Scrutatores salutatoribus appositi, *Claud.* 35.
Sculptura, *Ner.* 46; *Galb.* 10.
Sculpta imago, *Aug.* 50.
Secedere Rhodum statuit, *Cæs.* 4. — seque e medio amovere, *Tib.* 10; *Aug.* 98. — (de judice), *Ner.* 15.
Secespita, *Tib.* 25.
Secessus Campaniæ, *Tib.* 39, 43; *Aug.* 72, 94, 98; *Galb.* 8; *Dom.* 19.
Secreti licentiam nactus, *Tib.* 42. — secretum petere, 25; *Cal.* 23; *Claud.* 10. — horarum sibi sumi, *Dom.* 3. — agit, *Tib.* 21, 60; *Aug.* 72; *Oth.* 10.
Sectæ prioris pœnitentiam quo magis approbaret, *Aug.* 12 (de partibus in republ.).

Speculatoria caliga, *Cal.* 52.
Spe nova (novarum rerum), *Vit.* 14. — spe decidit, *Oth.* 5.
Speculator, *Claud.* 35; *Galb.* 18; *Oth.* 5.
Sphæristerium, *Vesp.* 20.
Spintriæ, *Tib.* 12; *Cal.* 16; *Vit.* 3.
Spiritu ingenti classicum exorsus, *Cæs.* 32.
Sponda interior lecti, *Cæs.* 49.
Sportula, *Claud.* 21 (de subito munere gladiat.).— publicæ cœnæ ad sportulas redactæ, *Ner.* 16; *Dom.* 7. — sportulas cum opsonio plebi distribuit, *Dom.* 4.
Spurcissimæ tempestates, *Cæs.* 60.
Stabilire; stabilito imperio (quum imperium teneret), *Claud.* 11.
Stabulum, *Cæs.* 49 (lupanar).
Stare; ut stare resp. posset, *Vesp.* 16. — stare alicui ad cyathum, *Cæs.* 49. — nisi principem se stare non posse, *Oth.* 5.
Statera examine æquo posita, *Vesp.* 24.
Statio militum, quæ tunc excubabat, *Ner.* 21.— statione disposita per ripas, *Tib.* 72. — ejusdem cohortis statione, *Oth.* 6. — aliter ad stationem susceptam (imperium) perventurus non fuisset, *Claud.* 38. — stationes militum per Italiam (auget), *Tib.* 37. — stationibus dispositis inhibiti grassatores, *Aug.* 32. — ad stationem tabernas civitatibus locare, *Ner.* 37.
Statura justa, *Galb.* 21.— excelsa, *Cæs.* 45. — modica, *Oth.* 12.— eminens, *Cal.* 50.—quadrata, *Vesp.* 20.
Status incolumis si permansisset sibi, *Ner.* 54. — status optimi auctor vult dici, *Aug.* 28. — in meliorem statum respubl. vertit, *Aug.* 23; *Dom.* 22.
Stilus; prout stilus cesserat, *Cal.* 53. — stilum affectatione et morositate obscurat, *Tib.* 70. — stilo, vel necessario, nullam operam dedit, *Dom.* 20.—stilo non succedente, *Aug.* 85. — stili acumen tentare, *Rhet.* 5 (obscœnum).
Stipatus pons impedimentis et calonibus, *Cal.* 31.
Stipendium quartum, *Dom.* 7.
Strangulatus piro, *Claud.* 27.
Studendi solatium, *Tib.* 61.
Studiosi juris, *Ner.* 32.
Studiosius plaudere, *Cal.* 35.
Studium; clarior studiis, quam dignitate, *Galb.* 3.
Sua morte defungi, *Cæs.* 89.
Sub lege, ne, *Aug.* 21. — exceptione polliceri, *Cæs.* 78. — pœna servitutis, *Tib.* 36. — sub crimine adulter occidit, *Ner.* 35. — sub exitu vitæ, *Claud.* 43; *Ner.* 54. — sub priore marito, *Tib.* 7. — sub edicto præfectorum venalis pependit, *Claud.* 9. — quo celerius et sub manum annunciari posset, *Aug.* 49.
Subbibere paullulum, *Ner.* 20.
Subdebile femur, *Vit.* 17.
Subditivum arguere quem, *Ner.* 7.
Subigere (sensu obsc.), *Cæs.* 49.
Subinde, *Aug.* 95; *Ner.* 3 (pro Deinde).
Subire aquilam humeris, *Aug.* 10.
Subjicere; subjecit, qui fateretur, *Ner.* 35. — subjicientem sibi alium panem, *Cæs.* 48. — subjecit auctione proposita, et venditavit reliquias, *Cal.* 38. — subjici (hastæ) ac venire imperavit delatores, *Tit.* 8. — subjectam sibi vidit matrem, *Cæs.* 7.
Subministrare occasiones, *Tib.* 61.

Submissim, *Aug*. 74.

Submissiore capillo, *Tib*. 68.

Submittere auxilia, *Cæs*. 28. — percussores alicui, *Ner*. 43. — submissis, qui dejerarent, *Ner*. 18, 32, 34; *Cæs*. 43. — submittere barbam capillumque, *Cæs*. 67 (sc. in luctu).

Submonente nullo, *Aug*. 53.

Submŏvere a petitione honorum, *Cæs*. 28. — adeuntes submovere, *Tib*. 40. — Germanos ultra Albim submovit, *Aug*. 21. — submoveri administratione reipublicæ, *Cæs*. 16.

Subnotare, *Cal*. 41.

Subrectum mucrone mentum, *Vit*. 17.

Subrutilum caput, *Dom*. 20.

Subscribere quædam, *Aug*. 27. — subscribens numerum puniendorum, *Cal*. 29. — nec quicquam prius pro potestate subscripsit, quam D HS., *Oth*. 7.

Subscriptio literarum publicarum, *Tit*. 32.

Subsedisse quosdam Nuceriæ, *Vit*. 1.

Subsellium tribunitium, *Claud*. 23.

Subsequi male verba dicentis, *Cæs*. 55.

Subsiciva residua, *Dom*. 9.

Subsidium unicum obæratorum, *Cæs*. 27. — tanti cœpti fuit, *Oth*. 5. — aulæ subsidia, *Cal*. 12.

Subsortitio facta, *Cæs*. 41 (de recensis).

Substernere pudicitiam, *Aug*. 68.

Substringere fascia propendentem carnem, *Galb*. 21.

Subsultim decurrere, *Aug*. 83.

Subucula et thorace laneo, etc. hieme muniebatur, *Aug*. 82.

Suburbano non laxo contentus, *Tib*. 11.

Suburere crura, *Aug*. 68.

Succedere; non succedente stilo, *Aug*. 85.

Successor ei nominatus, *Cæs*. 34.

Succidere vineta, *Dom*. 7.

Succollantibus vicissim in castra delatus lectica, *Claud*. 10. — succollatus, *Oth*. 6.

Sudabat ad flammam, *Aug*. 82.

Sufferti aliquid tinnire, *Ner*. 20.

Sufficiens exemplo, *Vit*. *Pers*.

Suffigere cruci, *Cæs*. 74.

Suffragatio, *Claud*. 40; *Oth*. 5.

Suffragator ejus, *Cæs*. 73; *Vesp*. 23.

Suffragio T. Vinii adjutus, *Vit*. 7 (suffragatione scilicet, commendatione.)

Sumere prælia ex occasione, *Cæs*. 60.

Summa respubl. *Cæs*. 28 (i. e. res, a qua omnis salus reipubl. pendet). — summa malorum suorum, *Tib*. 67. — ad summam perdidit non multum, *Aug*. 71. — summarum auctor, *Dom*. 11. — summa vitæ proposita, *Aug*. 9. — ordo et summa rerum, *Cæs*. 34. — summam omnium rerum privatarum et publicarum matri permisit, *Ner*. 9; *Dom*. 6.

Summatim exponere, *Cæs*. 44. — summatim attigit poeticam, *Aug*. 85.

Sumptuosus in libidines, *Cæs*. 50.

Super cœnam, *Vesp*. 22. — super ea re concionem habuit, *Cæs*. 5 (pro De, ut 20); *Tib*. 13. — super tali consternatione referre, 20. — super industriam itineris, *Aug*. 8.

Superare competitores, *Cæs*. 13.

TAN TEN

publico tenerentur, *Cal.* 40. — matrimonia teneri, 25. — tam artifices saltationis, ut mox scenam tenerent, *Tit.* 7.

Tenor; in tenore clementiæ non permansit, *Dom.* 10.

Tensa Jovis, *Vesp.* 5; *Cæs.* 76. — tensas deducere, *Aug.* 43.

Tentare animos ad res novas, *Tib.* 12.—conditiones pacis, *Aug.* 17.

Tenuis adhuc et obæratus, *Cæs.* 40.

Teretibus membris, *Cæs.* 45.

Terminavit modum manumittendi, *Aug.* 40.

Tessellata pavimenta, *Cæs.* 45.

Tesseræ nummariæ, *Aug.* 41.—frumentariæ, 40.—tesseram dare, *Galb.* 6 (i. e. præceptum).

Testatus est eadem, *Vit.* 15. — testandi gratia signare aliquid, *Cæs.* 20.

Tetraones, *Cal.* 22.

Thalamego nave vehitur, *Cæs.* 52.

Thecæ calamariæ et graphiariæ, *Claud.* 35.

Thema (genethliacum) suum vulgat, *Aug.* 94.

Threx (gladiator), *Cal.* 35, 54; *Tit.* 8; *Dom.* 8.

Thyrsus lactuculæ, *Aug.* 77.

Tiara deducta, *Ner.* 13.

Tiro in forum deductus, *Ner.* 7.

Tirocinium sine ullo honore, *Cal.* 10. — tirocinii dies, *Tib.* 54. — tirocinio suo, *Aug.* 26.

Tirunculus miles, *Ner.* 21.

Titubantia linguæ, *Claud.* 30.—oris, *Vit.* 6.

Titulus levior majestate principali, *Claud.* 17; *Tib.* 50. — tituli Domitiani, *Dom.* 23. — titulo tenus gessit consulatum, *Cæs.* 76; *Dom.* 1. — tituli operum, *Claud.* 41; *Cal.* 34; *Galb.* 2; *Vesp.* 1. — titulo proposito capita sua vovebant, *Claud.* 14. Cf. *Aug.* 59, 75; *Cal.* 32; *Dom.* 10.

Togata Afranii, *Ner.* 11.

Togatarius, *Aug.* 45.

Tollere; sustulit hic matrem, sustulit ille patrem, *Aug.* 45.

Tomentum e culcita, *Tib.* 54.

Tophinus, *Claud.* 21.

Toreumata, *Cæs.* 47.

Tormenta quæstionum, *Tib.* 58, 62; *Claud.* 34.

Tortor Apollo, *Aug.* 70.

Trabeatus, *Dom.* 14. — trabeata fabula, *Gramm.* 21.

Tractare ; tractabat militem pari severitate et indulgentia, *Cæs.* 65. — quos tractaret auctores, *Tib.* 56. — tractavit amicos tanta facilitate, *Cæs.* 72.—non tractari pro spe meritorum, *Aug.* 13. — tractans lanuginem ejus, *Ner.* 34.

Trahere genus ex, *Tib.* 3. — cognomen traxit joco castrensi, *Cal.* 9. — trahere bellum diu, *Aug.* 16.—trahi se a Cæsare, *Tib.* 31. — traxit in contumeliam suam, si, *Dom.* 18. — tractus ambitione, *Tib.* 21. — ad se spem trahere, *Aug.* 94. — sortem trahere, *Tib.* 14.

Tranquillissime senuit, *Aug.* 2.

Transduci in gentes patricias, *Aug.* 2. — Germanos traduxit in Galliam, 21. — transductis ad se jam pluribus, *Cæs.* 14 (ad sententiam suam).

Transferre; Batonem Ravennam transtulit, *Tib.* 20.

Transfigurare, *Ner.* 28. — transfiguratus in speciem simiæ, 46; *Cal.* 22.

Transfretare, *Cæs.* 34.

Transigere bellum prælio, *Aug.* 13; *Oth.* 10.—transigere se ferro,

UNI USU

que commercio assiduo, *Cæs.* 85. — in communi rerum usu novavit multa, *Dom.* 7. — scyphus gratissimi usus, *Ner.* 47. — nullum vas argenteum in usu haberet, *Dom.* 1.

Ut si quis umquam, *Tit.* 7.

Uti artificio, *Gramm.* 9.

Utricularius, *Ner.* 54.

VEC VES

Vacare studiis, *Aug.* 8. — epistolis legendis, 45. — gestationi, quieti, *Vespas.* — 21. manumissioni, *Galb.* 10.

Vacatio annua, *Aug.* 32. — a judicando, *Claud.* 15. — legis Papiæ Poppææ, 19.

Vacerrosus, pro cerrito, *Aug.* 87.

Vacuus; in vacuum pendere, *Claud.* 9.

Valere dicentes singulos appellabat, *Tib.* 72. — valebat non perinde coxendice, *Aug.* 80. — valuit amore et gratia apud, *Cal.* 9. — valuit evadere, *Claud.* 18.

Valetudo ei neque animi neque corporis constitit, *Cal.* 50. — valetudine ut olim gravi, ita postea prospera usus, *Claud.* 31. — valetudinis infirmitatem magna cura tuetur, *Aug.* 82. — valetudo (de morbo); valetudinis caussam contraxit ex, *Aug.* 98; *Tib.* 25; *Vesp.* 7; *Aug.* 43. — a gravi vix firmus, *Aug.* 8. — aggravata, 98. — valetudines graves, 81; *Tib.* 11.

Vapide se habere (de genere quodam languoris), *Aug.* 87.

Varia silvis, etc. rura, *Ner.* 31.

Variare consulatus, *Ner.* 14. — variante morbo, *Aug.* 98. — variatum est de, *Vit.* 1.

Varie et inæquabiliter, *Galb.* 9.

Varietate animi mira jus dicit, *Claud.* 15.

Vario animo et eventu censuram gerit, *Claud.* 16.

Vectigalia; vectigaliorum fructum omnem adjecit, si quibus, etc. *Cal.* 16.

Vellebatur, *Cæs.* 45. — vulso corpore, *Oth.* 12. — velli (de spadone), *Galb.* 22.

Venalis pependit lege prædiatoria, *Claud.* 9.

Venalitii (mangones), *Rhetor.* 1. — venalitiæ familiæ, *Aug.* 92.

Venas tentare alicui, *Tib.* 72.

Venatio; *Cæs.* 10, 39; *Aug.* 43; *Cal.* 18; *Ner.* 4; *Dom.* 4.

Venenari, *Ner.* 33.

Venenum ac virus, *Aug.* 17. — velocissimum et præsentaneum, *Ner.* 33. — lentum atque tabificum, *Tib.* 73, — veneno ter tentat matrem, *Ner.* 34. — interceptus, *Claud.* 1; *Cal.* 33; *Ner.* 35.

Venerari Consules voce ac manu, *Claud.* 12.

Ventilante aliquo cubat, *Aug.* 82.

Verbenatus infulatusque, *Cal.* 27.

Verbum Catonis est, *Cæs.* 53. — verborum reconditorum fœtores, *Aug.* 86. — verborum atrocitate auget immania facta, *Cal.* 29.

Verecundia oris, *Dom.* 18. — ad excusandi verecundiam se compulit, *Aug.* 35.

Vergente jam die, *Oth.* 7.

Veritate integra, *Cæs.* 56.

Vernaculis infensus, *Vit.* 14.

Versare pecunias ex fide, *Galb.* 9.

Vertere; medicamentum in furorem vertit, *Cal.* 50.

Vespillones, *Dom.* 17.

Vestigium; mansura in vestigio suo fundamenta, *Aug.* 28.

Veteramentarius sutor, *Vit.* 2.

Vexatio; ad vexationem ignominiamque vitandam, *Tib.* 61.

Vexatus in turba, *Aug.* 53. — morbo, *Cal.* 50.

Vexillatio Germanicianorum, *Galb.* 20.

Via; alium alia via demerebat, *Oth.* 5.

Vicem; in Caii vicem, *Claud.* 7. — vice mundi circumacta cænatio, *Ner.* 31.

Vici Urbis, *Aug.* 30.

Viduata morte mariti, *Galb.* 5.

Vigens tunc præ aliis citharœdus *Ner.* 20.

Victoria plena, *Cæs.* 60.

Vinarii, *Claud.* 40.

Vincerent ac sibi haberent, *Cæs.* 1 (precantes sc.). — vicissem tot millia, *Aug.* 91 (in lusu).

Vinosioris succi pomum, *Aug.* 77.

Violare; eodem pugione, quo Cæsarem violaverant, *Cæs.* 89.

Violentiorem præsidem nacta provincia, *Cæs.* 35. — violentissimus Tribunorum, *ibid.* 29.

Vir omnium mulierum, et omnium virorum mulier, *Cæs.* 52.

Viridarium; pavonem e viridario, *Tib.* 60.

Vis gravior criminum, inopiæ, luxuriæ, *Cæs.* 27. — vim vitæ suæ afferre, *Vesp.* 6. — ista quidem vis est, *Cæs.* 82.

Visceratio a Cæsare data, *Cæs.* 38.

Vita interior et familiaris, *Aug.* 61.

Vitulus marinus, *Aug.* 90.

Vocare aliquem ad disquisitionem populi, *Cæs.* 15. — vocare desiit (ad cœnam), *Tib.* 53.

Vocatores, *Cal.* 39 (qui convivas vocant).

Vocatu ipsius Cæsaris, *Cal.* 39.

Volubilitas verborum, *Aug.* 86.

Voluntatem alicujus retinere, *Cæs.* 27.—voluntate dispari et existimatione administr. prov. *Vit.* 5.

Voluptas; a voluptatibus, novum officium, *Tib.* 42.

Vomicas suas appellat (filiam et neptes), *Aug.* 65.

Vox; voces exoletæ et reconditæ, *Aug.* 86. — vocis conservandæ gratia, *Ner.* 25, 20. — vox exigua et fusca, *ibid.* — vocem de industria augere, *Claud.* 33.

Vulgaris mulier, *Vit.* 2 (mulier de vulgo, pluribus copiam sui facere solita). Cf. *Dom.* 22.

Vulpes pilum mutat, non mores, *Dom.* 22.

Vultus pædagogi, *Ner.* 37. — vultum efferabat, *Cal.* 50. — vultu adducto, *Tib.* 68.

GRÆCA SUETONII.

E CÆSARE.

CAP. 82. Καὶ σύ, τέκνον; Et tu, fili?

EX AUGUSTO.

CAP. 25. Σπεῦδε βραδέως. Festina lente.
Ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης. Cautus melior est quam audax imperator.
65. Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι. Utinam et sine uxore essem, et sine liberis perissem.
70. Δωδεκάθεος. Cœna duodecim deorum, Consentium.
71. Γεροντικῶς ludere, senum more.
86. Μυροβρεχεῖς cincinni, unguentis madentes.
92. Δυσφημία. Verbi infaustum omen.
94. Θεολογουμένων libri.
98. Ἀπραγόπολις. Q. d. Otioppidum.
Κτιστὴς insulæ. Vid. not.
Κτιστοῦ δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον; Conditoris sepulcrum video ardens.
Ορᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον. Viden' oculis Masgaban honoratum?
99. Εἰ δὲ πᾶν ἔχει καλῶς, τῷ παιγνίῳ δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε. Si res omnino sese bene habet, ludo date plausum, vosque omnes lætabundi manus complodite.
Εὐθανασία. Mors facillima.

E TIBERIO.

CAP. 21. Ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν. Mihi et Musis rem gerens.
Νομιμώτατε. Dux optime constitutus ex legibus.
Καὶ τοσαύτην ῥᾳθυμίαν τῶν στρατευομένων. Et tantam ignaviam militum.
Τούτου δ' ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο Ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ πέρι οἶδε νοῆσαι. Hoc comite vel ex igne ambo redierimus; adeo prudentia valet!
57. Πηλὸς αἵματι πεφυρμένος. Lutum sanguine maceratum.
71. Ἔμβλημα. Vid. not.

E CALIGULA.

CAP. 22. Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Unus esto imperator, unus rex.
Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ. Aut me tolle, aut ego te.
29. Ἀδιατρεψία. Pervicacia mentis.
47. Ἀξιοθριάμβευτος. Dignus, qui in triumpho ducatur.

E CLAUDIO.

CAP. 1. Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. Felicibus etiam tertio mense soboles nascitur.
4. Ἄρτιος. Integer.
Ὁλόκληρος. Perfectus omnibus partibus.
Ἢ χλαττῶσθαι καὶ βεβλάφθαι, καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος, καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα. Neque corporis, neque animi integritate præditum esse.
Τὰ τοιαῦτα σκώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσι. Talia ludere et subsannare soliti.
Μὴ προϋποκειμένου ἡμῖν. Quum nobis nihil certi ante constitutum fuerit.
Μετεώρως. Negligenter, supine.
Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖς σπουδαίοις λίαν. In rebus gravibus valde labitur.
Ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια. Animi generosa indoles.
Ἀσαφῶς — σαφῶς. Obscure — plane.
15. Καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός. Tu quoque senex es, et stultus.
38. Μωρῶν ἐπανάστασις. Vid. not.
39. Μετεωρία et ἀβλεψία. Oblivio et inconsiderantia.
42. Ἀνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ. Ulcisci virum, si quis prior læserit.
Τυῤῥηνικῶν libri Claudii.
Καρχηδονιακῶν libri ejusdem.
43. Ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. Qui vulnus fecit, idem sanabit.

E NERONE.

CAP. 38. Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. Me mortuo vel pereat igne terra.
Immo, ἐμοῦ ζῶντος. Immo, me vivo.
Ἅλωσις. Excidium.
39. Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι.
Νεόνυμφον Νέρων ἰδίαν μητέρ' ἀπέκτανεν.

Nero, Orestes, Alcmæon matricidæ.
Novam nuptam Nero propriam matrem occidit.

Cap. 39. Ἑκατηβελέτης. Sagittarius.

Ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ. Bene valeas, pater; bene valeas, mater.

40. Τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει. Artificium omnis terra nutrit.

46. Θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ. Mori me jussit uxor, mater, pater.

49. Οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει· νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις· ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Non decet Neronem, non decet: sobrio animo esse oportet; age, excita te.

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει. Equorum velocium strepitus aures circumsonat.

E GALBA.

Cap. 4. Καὶ σύ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ. Et tu, fili, imperium nostrum degustabis.

20. Ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν. Adhuc robur mihi firmum constat.

EX OTHONE.

7. Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; Quo mihi magnis tibiis?

E VESPASIANO.

Cap. 1. Καλῶς τελωνήσαντι. Bene vectigal exercenti.

23. Μακρὰ βιβάς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος. Magno gradu hastam magnam torquens.

Ὦ Λάχης, Λάχης, ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξαρχῆς ἔσῃ Κήρυλος. O! Laches, Laches, quum mortuus fueris, iterum dicere Cerylus.

E DOMITIANO.

Cap. 10. Εὐτακτῶ. Ordinem servo.

Μὴ καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις; An et tu nubere vis?

12. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Non prodest multorum dominatio.

14. Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Etsi me ad radicem depascas, tamen adhuc fructus edam,
Unde possit libari in Cæsarem immolandum.

Latine reddidit Ovidius. Vide Kuster. ad Aristoph. Plut. 1130.

18. Οὐχ ὁράᾳς, οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε; Nonne vides, quam pulcher ego sim et magnus?

23. Ἔσται πάντα καλῶς. Erunt omnia bene.

E GRAMMATICIS.

Cap. 2. Ἀκροάσεις. Auditiones.
3. Πανὸς ἀγάπημα. Vid. not.
14. Ὀβελίζει. Signo suppositi notat.
Παρεμβεβλημένοι. Insititii, spurii.

E RHETORIBUS.

Cap. 1. Θέσεις. Sententiæ. Quæstiones.
Ἀνασκευαί. Refutationes.
Κατασκευαί. Confirmationes s. demonstrationes.
Συνθέσεις. Controversiæ.

EX HORATII VITA.

Ἀνθυπερηφανοῦμεν. Vicissim superbi sumus.
Ογκωδέστατος. Crassissimus ventre.

E PERSII VITA.

Οδοιπορικὸν liber.

TABULA

RERUM,

QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS POSTERIORIS ET ULTIMI VOLUMINIS.